Digitized by Google

Plut. LIX 262

Digitized by Google

Digitized by Google

MVSEI ETRVSCI

VOLVMEN II.

TABVLAS CC. ILLVSTRANS.

Digitized by Google

56361
SBN

MVSEVM
ETRVSCVM

EXHIBENS INSIGNIA

VETERVM ETRVSCORVM

MONVMENTA

AEREIS TABVLIS CC. NVNC PRIMVM

EDITA ET ILLVSTRATA

OBSERVATIONIBVS

ANTONII FRANCISCI GORII

PVBLICI HISTORIARVM PROFESSORIS.

VOLVMEN SECVNDVM.



FLORENTIAE. ANNO. CIↃ.IↃ.CC.XXXVII.

IN AEDIBVS AVCTORIS REGIO PERMISSV EXCVDIT
CAIETANVS ALBIZINIVS TYPOGRAPHVS.

Digitized by Google



A D   L E C T O R E M

P R O O E M I V M

A N T. F R A N C I S C I   G O R I.



Mnia ETRVSCORVM monumenta vetuſtiſſima, ni mea me fallit opinio, in quinque capita ſeu claſſes, ſervato quodam ordine, redigi poſſunt. Primum, expoſita TVSCORVM origine & in Italiam adventu, in medium venit THEOLOGIA ſive IDOLOLATRIA, quae Deorum cultum reſpicit: quam his in regionibus adeo amplificarunt, ut merito Arnobius ETRVRIAM omnis ſuperſtitionis parentem adpellet. Siquidem conſtat cum Graecis aliiſque cultiſſimis nationibus, Deos non communes ſolum, verum & pleroſque proprios, patrios ac locales habuiſſe, quos recenſere atque

illuſtrare operae pretium cenſui . Iidem omnium primi , qui nam eſſent DII CONSENTES , quos maiorum gentium dixere , qui Medioxumi & Anculi Lareſque , Latinis & Romanis monſtrarunt : primi etiam ſingulis Deis Genium peculiarem , vel etiam complures : hominibus vero cum Genios comites , tum Furias , Nemeſes quoque duas , alteram bonam , alteram malam , ſua demum unicuique Fata adſignarunt .

Poſt haec traditae FABVLAE cuiuſvis generis, tam communes , quam peculiares ac propriae , ex antiquiſſima Tuſcorum MYTHOLOGIA , locum obtinere videntur : quae priſcam Hiſtoriam , Deorum Heroumque geſta complectuntur , non uti primum patres , mortalium vetuſtiſſimi , ſuis filiis ac poſteris ea narrarunt ; ſed multis commentis , multaque figmentorum caligine obvoluta , & ad captum rudium hominum blandis narrationibus adcommodata ; ne , cognita luce veritatis , vel a ſtudio ſuperſtitioſae religionis avocarentur , vel eius arcana myſteria curioſius perſcrutarentur . Etruſcae Mythologiae accedunt opiniones de natura ac poteſtate Deorum : opiniones etiam circa defunctos homines , vel compotes beatitudinis apud Elyſios , vel tormentis variis cruciatos apud Inferos ; ac proinde ea expendenda ſe ſe offerunt , quae ſpectant ad animarum immortalitatem , quam iidem Tuſci Pythagoricae Philoſophiae maxime addicti (quod Pythagoras ex Etruria ortum duceret) multis rationibus , quae etiam Vrnarum ſepulcralium emblematis confirmantur , adſeruere.

Com-

Complura inſignia & ad hoc tempus inedita, quae profero, monumenta ETRVSCORVM, maximam quoque Hiſtoriae BELLI TROIANI partem, quod notatu dignum cenſeo, manifeſte continent. Haec eruditorum ingeniis anſam forſitan praebebunt accuratius diſquirendi, utrum a Graecis, an potius ab Pelaſgis Etruſciſque, audierit haec divinus HOMERVS. Profecto, quae de Vlyſſis erroribus in mari Tyrrheno narrat, crediderim eum a noſtris didiciſſe: de ceteris videndum. Nec equidem eſt improbabile, Tuſcos diligentius ordinem earum rerum geſtarum tenuiſſe, & ſcripta in tabulis, ſculpta pictave diutius conſervaſſe. Huc facit eximia Strabonis auctoritas, qui Homerum perluſtraſſe Etruriam, multaque collegiſſe, adfirmat.

Poſt cultum Deorum & Fabulas, RELIGIO venit, quae ſacra, feſta, ferias, pompas, ſupplicationes in honorem Deorum complectitur: itemque ſacros ritus & caerimonias: ſacrorum Miniſtros, Pontifices, Sacerdotes, Salios, Augures Haruſpices, Vates, Hymnologos: item Tibicines, Fidicines ceteroſque homines divinae Muſicae in ſacris operam dantes: ſacrificia quoque peculiaria, varia luſtrationum genera, donaria, templa, aras, auſpicia, auguria, fulminum expiationes & oſtenta obſervanda proponit. Deinde ſequuntur belli paciſque praeclara ſtudia, quae oſtendunt in terreſtri ac navali militia ſummam Etruſcorum virtutem & gloriam: quae arma, quae inſignia regum, ducum ac magiſtratuum fuerint: foedera etiam, triumphos, omnis generis ludos, vena-

tio-

tiones , nuptias , convivia , funera , omnemque funerum ſupellectilem : item Muſicam ac Poëſin ; quae denique ad Circum & Theatrum , quae ad Scenam priſcamque Tragoediam & Comoediam , & ad gymnica certamina pertinent , elucidanda ſuppeditant .

Poſtremum caput abſolvunt antiquiſſimae Etruſcorum LITTERAE, quibus accurato ordine digeſtis inſpectiſque , inſcripta omnia monumenta facile hac aetate leguntur , & melius feliciuſque , quam antea ſeculo decimo ſeptimo factum ſit , ope praeſertim Graecae linguae , explicari poſſunt : quod & nos , poſt doctiſſimum Ludovicum Bourguettium , proprio Marte conati ſumus . Poſt haec obſervanda Etruſcorum moneta antiquiſſima : artes quoque praeſtantiſſimae , Pictura , Sculptura , Architectura , Plaſtice , quae denique ad Graphycen pertinent, atque inſigniora huiuſce inclutae gentis inventa , animadverſione digniſſima.

Ita igitur omnis antiquaria Tuſcorum ſupellex hunc in ordinem digeſta , & in quinque CLASSES diſtributa, a me exponitur. Singulis Claſſibus perbreves DISSERTATIONES praepoſui: omneſque in his comprehenſas Tabulas, ſeorſum , non omnes ſimul , obſervationibus illuſtravi , quarum Indicem mox ſubiicio . In his omnibus explanandis , multa forſitan non adſecuto ignoſcent , atque aequi bonique conſulent viri docti : illud etiam , quod ait Plinius initio Hiſtoriae Naturalis , *voluiſſe* , *abunde perpulchrum atque magnificum* , ut ſpero , cenſebunt.

ELEN-

ELENCHVS

CLASSIVM.

CLASSIS I.

DEos proprios, ſelectos & communes Etruſcorum exhibens.

CLASSIS II.

FAbulas ex antiquis Tuſcorum monumentis exhibens.

CLASSIS III.

SAcra, Feſta, Miniſtros ſacrorum & Donaria Tuſcorum exhibens.

CLASSIS IIII.

ETruſcorum, Militiam, Foedera, Triumphos, Ludos, Venationes, Nuptias, Convivia, Muſicam & Funera complectens.

CLASSIS V.

ETruſcorum Litteras, Monetam, Gemmas, Artes, inventa inſigniora complectens.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS

DISSERTATIONVM.

DISSERTATIO I.

De TYRRHENORVM *origine, eorumque in Italiam adventu & Idololatria.*

DISSERTATIO II.

De Mythologia veterum Etruſcorum.

DISSERTATIO III.

De Thyſiologia ſeu Religione veterum Etruſcorum.

DISSERTATIO IIII.

De moribus inſtitutiſque Tuſcorum, quorum Ethologia illuſtratur.

DISSERTATIO V.

De priſca Tuſcorum Scriptura, Lingua, Artibus & Inventis.

IN-

I N D E X
T A B V L A R V M CC.
IN QVIBVS
ETRVSCA MONVMENTA EXPLICANTVR.
C L A S S I S I.
TABVLIS CXVIIII. ABSOLVITVR.

T A B V L A I.

IANVS Pater Tuſcorum Deus, omnium primus. Pagina 1.

T A B V L A II.

VERTVMNVS Deus Etruſcorum, a Volſinienſibus praecipue cultus. 8.

T A B V L A III.

POMONA Dea, uxor VERTVMNI, a Tuſcis culta. 13.

T A B V L A IIII.

NORTIA Tuſcorum Dea, ſumma religione a Volſinienſibus & Volaterranis culta. 16.

T A B V L A V.

ANCHARIA Dea Etruſcorum, a Faeſulanis & Aſculanis maxime culta. 19.

T A B V L A VI.

BELLONA Tuſcorum, praeſertim vero Volaterranorum & Lunenſium Dea. 23.

TABVLA VII. VIII.

VALENTIA Tuſcorum, praeſertim vero Ocriculanorum, patrium Numen. 27.

TABVLA VIIII.

VOLTVMNA. VOLVMNA ET VOLVMNVS Etruſcorum Dii proprii. 31.

TABVLA X. XI.

TILVMNVS ET PICVMNVS veterum Etruſcorum, praecipue vero Ardeatum, Cumanorum & Peruſinorum Dii tutelares. 35.

TABVLA XII. XIII.

FVRINA, eadem quae ANCHARIA, Tuſcorum Dea, a Piſaurenſibus religioſiſſime culta. 39.

TABVLA XIIII.

TAGES Haruſpicinae inventor: a Tuſcis, praecipue vero a Tarquinienſibus, Peruſinis & Cortonenſibus religioſe cultus. 43.

TABVLA XV.

BYGOE Nympha Etruſcorum, Haruſpicinae peritiſſima, divinis honoribus conſecrata. 49.

TABVLA XVI.

VOLTVRNVS Deus Etruſcorum: Campanorum tutelaris & proprius deſcribitur. 53.

TABVLA XVII.

IVTVRNA ET PORTVMNVS Dii Selecti veterum Etruſcorum. 56.

TABVLA XVIII.

VITVMNVS ET MANTVRNA Dii religioſe culti in Etruria. 60.

T A B V L A XVIIII.

VACVNA . PAVSVS ET CLITVMNVS Dii veterum Tuſcorum locales & proprii. 63.

T A B V L A XX.

DEORVM , quos veteres Tuſci peculiari cultu conſecrarunt , nomina recenſentur & illuſtrantur. 67.

T A B V L A XXI.

SATVRNVS ET OPIS ceterique Dii Conſentes & Communes veterum Etruſcorum proponuntur & illuſtrantur. 73.

T A B V L A XXII.

IVPPITER Summanus , Anxurus , Elicius , Fulgerator , Tonans , Lucetius ab Etruſcis cultus. 76.

T A B. XXIII. XXIIII.
XXV. XXVI. XXVII.

IVNO Argiva , Curis , Regina , Cupra , Soſpita , Feronia , Lacinia , compluribus nominibus tota Etruria religioſiſſime culta. 80.

T A B V L A XXVIII.
XXVIIII. XXX. XXXI.

MINERVA Dea veterum Etruſcorum , praeſertim Surrentinorum , Puteolanorum , Faliſcorum , Arretinorum , Peruſinorum & Piſaurenſium tutelaris. 87.

T A B V L A XXXII.
XXXIII. XXXIIII.

APOLLO . SOL . MITHRA ab Etruſcis cultus ; maxime vero a Faliſcis , Volaterranis , Cluſinis & Peruſinis. 93.

T A B V L A XXXV.

DIANA Tuſcorum Dea : ab Iguvinis , Lunenſibus , Cluſinis , Nepeſinis , Faliſcis , Campanis , Numanis , Tudertibus , Ocriculanis , Ravennatibus , Tiburtinis praecipuo honore culta . 99.

T A B V L A XXXVI.

NEMESIS Tuſcorum Dea , praeſertim vero Cortonenſium . 102.

T A B V L A XXXVII.

AESCVLAPIVS Etruſcorum , praecipue Cortonenſium , Arretinorum & Cluſinorum tutelaris Deus . 104.

T A B. XXXVIII. XXXVIIII.

MERCVRIVS Etruſcorum Deus , praecipue vero Arretinorum , Mediolanenſium , Brixienſium , Mantuanorum , Mutinenſium & Firmanorum . 106.

T A B V L A XL.

MARS CAMVLVS Etruſcorum Deus , praeſertim Larinatium , Faeſulanorum , Tudertum , Spoletinorum , Capenatum , Lanuvinorum & Genuenſium . 110.

T A B V L A XLI.
XLII. XLIII.

VENVS Etruſcorum , maxime Volaterranorum , Veientum , Tuſculanorum , Cortonenſium , Arretinorum & Tiſernatium Dea . 114.

T A B V L A XLIIII. XLV.

AMOR triplici forma ab Etruſcis cultus . 119.

T A B V L A XLVI.

VICTORIA Etruſcorum Dea : praecipua religione a Nolanis & Brixienſibus culta . 121.

TABVLA XLVII.

VESTAE cultus antiquiſſimus, Etruſcis cognitus adſtruitur. 122.

TABVLA XLVIII.
XLVIIII. L.

CERES, tota Etruria, praecipuo honore culta, templis ariſque dedicatis. 125.

TABVLA LI. LII.
LIII. LIIII.

BACCHVS Etruſcorum Deus, tota Etruria, Bacchanalibus, Orgiis ſacriſque myſteriis, maximo honore cultus. 129.

TABVLA LV.

BACCHI GENIVS, a Tuſcis cultus, exponitur. 136.

TABVLA LVI.

DII CABIRI SEV CORYBANTES, Bacchi myſteria, ciſtam myſticam & ſacra Cabiria in Etruriam invexerunt. 137.

TABVLA LVII.
LVIII. LVIIII.

PRIAPVS antiquorum Tuſcorum Deus, praeſertim Peruſinorum & Cluſinorum. 141.

TABVLA LX.

SILENVS Bacchi educator, cuſtos & magiſter, ab Etruſcis cultus. 145.

TABVLA LXI. LXII.
LXIII. LXIIII. LXV.

PAN Etruſcorum Deus: praecipua religione a Neapolitanis, a Piſtorienſibus atque a Senenſibus cultus. 147.

TA-

TABVLA LXVI. LXVII.

FAVNI . FAVNAE . SATYRI . SATYRAE . BACCHANTES . BACCHAE . CENTAVRI Liberi Patris aſſeclae : horum imagines Etruſcae proferuntur & illuſtrantur . 152.

TABVLA LXVIII.

CORONIS NYMPHA , una e nutricibus Bacchi pueri . 155.

TABVLA LXVIIII.

DRYAS NYMPHA , arborum fructuumque arboreorum praeſes , ab Etruſcis culta . 158.

TABVLA LXX.

CALLIOPE Muſarum princeps : eius cultus apud Etruſcos adſtruitur ex inſigni pictura Etruſci Vaſis Muſei Barberini . 160.

TABVLA LXXI. LXXII. LXXIII.

HERCVLES cultus ab Etruſcis ; praeſertim vero a Florentinis , Veliternis , Tudertibus , Puteolanis , Tiburtinis , Mediolanenſibus , Brixienſibus , Arretinis , Lucenſibus aliiſque , qui recenſentur . 161.

TABVLA LXXIIII.

CASTOR ET POLLVX Dii Magni , ab Etruſcis culti . 166.

TABVLA LXXV.

NEPTVNVS ceterique DEI MARINI , a Tuſcis culti , recenſentur & illuſtrantur . 169.

TABVLA LXXVI.

TETHYS Nympharum mater : an templum & oraculum in Etruria habuerit , diſquiritur . 171.

TA-

TABVLA LXXVII.

TEMPESTAS DEA. Nonnulla de VOLCANO ſculpto in monumentis veterum Etruſcorum obſervantur. 173.

TABVLA LXXVIII.

DIS PATER ceterique DEI INFERI ab Etruſcis culti, recenſentur & illuſtrantur. 176.

TABVLA LXXVIIII.
LXXX.

PROSERPINA praecipuo honore ſacriſque myſteriis culta ab Etruſcis. 180.

TABVLA LXXXI.

HECATE Etruſcorum Dea. Imagines TISIPHONES, MERCVRII & GENII INFERNI ex vetuſtiſſimis Tuſcorum monumentis adſeruntur & explicantur. 182.

TABVLA LXXXII.
LXXXIII.

LIBITINA DEA, ſive VENVS, ſive PROSERPINA, ſive HECATE ſit, ab Etruſcis culta. 185.

TABVLA LXXXIIII.
LXXXV.

PARCAE. FATA. FVRIAE pro Diis habitae: qua ſpecie ſculptae in monumentis veterum Etruſcorum. 188.

TABVLA LXXXVI.

AETERNITAS Deorum comes. GENIVS famulus Diis adſignatus ab Etruſcis. Imago GENII MINERVAE ex inſigni patera caelata adſertur & illuſtratur. 198.

TA-

TABVLA LXXXVII.

GENIVS PVBLICVS Praeſtes Deus veterum Etruſcorum, proponitur & illuſtratur. 207.

TABVLA LXXXVIII.

GENIVS DOMESTICVS, Lar Praeſtes veterum Etruſcorum, qui fuerit declaratur. 209.

TABVLA LXXXVIIII.

GENII DVO BONVS & MALVS, ſingulis hominibus viventibus adſignati: uti opinati ſunt veteres Tuſci. 211.

TABVLA XC. XCI.

NEMESES DVAE, altera BONA, altera MALA, ſingulis hominibus ab Etruſcis adſignatae. 213.

TABVLA XCII.
XCIII. XCIIII.

GRATIAE VENERIS COMITES ab Etruſcis cultae: e vetuſtiſſimis monumentis proferuntur & illuſtrantur. 216.

TABVLA XCV.

HYMENAEVS cum IVNONE & VENERE pictus in Vaſe Etruſco, quod exſtat in Bibliotheca Vaticana. 220.

TABVLA XCVI.

GANYMEDIS ET ATYS vetuſtiſſima ſigilla ex aere, Etruſci operis, proponuntur & illuſtrantur. 221.

TABVLA XCVII.

DII DEAEQVE felicitatem & bonum eventum rebus donantes, ab Etruſcis cultae. 222.

T A B V L A XCVIII.
XCVIIII.

DII IGNOTI ab Etruſcis culti : coniecturis , qui ſint , explicantur & illuſtrantur . 224.

T A B V L A C. CI.
CII. CIII.

PENATES . LARES PVBLICI AC PRIVATI , e compluribus ſignis veterum Etruſcorum declarantur . 227.

A T A B V L A CIIII.
A D CXVIIII.

DII INDIGETES . AVERRVNCI . HEROES , divinis honoribus conſecrati & culti ab Etruſcis . 229.

C L A S S I S II.
TABVLIS XL. ABSOLVITVR.

T A B V L A CXX.

MINERVAE NATIVITAS , quomodo ab Etruſcis expreſſa , ex inſigni patera oſtenditur . 239.

T A B V L A CXXI.

MVSAE Iovis & Mnemoſynes filiae , cum Minerva ſculptae in patera Etruſca . 243.

T A B V L A CXXII.

ACTAEONIS NEX & ACHELOI PVGNA cum Hercule , e ſepulcralibus Vrnis veterum Etruſcorum expoſita . 244.

TABVLA CXXIII.

ANDROMEDA ceto expoſita, a Perſeo liberata, ferale Sepulcri emblema. 245.

TABVLA CXXIIII.

NEPTVNVS fraudulentum LAOMEDONTEM inſequitur, immiſſo ceto in exitium Troiae. 247.

TABVLA CXXV.

FATA CASSANDRAE ET POLYNICIS, in ſepulcrali Vrna Etruſca expreſſa. 249.

TABVLA CXXVI.

APRI CALYDONII. MELEAGRI. ATALANTAE ET CASTORVM fabulae notae Etruſcis. 250.

TABVLA CXXVII.

HELENAE MENELAI ET CASTORVM APOTHEOSIS, caelata in inſigni Etruſcorum patera, illuſtratur. 252.

TABVLA CXXVIII.
CXXVIIII.

AD PARIDIS IVDICIVM Iuno, Minerva & Venus a Mercurio deductae. 254.

TABVLA CXXX. CXXXI.

ACHILLIS FATA & poſt mortem divini honores ei delati, e pictura antiqui Vaſis Etruſci exhibentur & declarantur. 256.

TABVLA CXXXII.

PVGNA GRAECORVM CVM TROIANIS AD PORTAM SCAEAM ab egregio Etruſco artifice ſculpta in Vrna cineraria marmorea, Volaterris eruta. 259.

TA-

TABVLA CXXXIII. CXXXIIII.

PATROCLI FVNVS ET PVGNA DE EIVS CADAVERE, feralia Etruſcorum Sepulcrorum emblemata. 260.

TABVLA CXXXV. CXXXVI.

AMAZONVM CERTÁMINA cum Hercule & Theſeo, & ad Troiam pro Troianis, e Sepulcris veterum Etruſcorum declarantur & illuſtrantur. 263.

TABVLA CXXXVII.

HERCVLES CROTONEM ex imprudentia occidens. Etruſcae Sponſae, immaturo funere raptae, Sepulcrum adſertur. 266.

TABVLA CXXXVIII. CXXXVIIII.

AVGES ET TELEPHI fabula, Etruſcorum Sepulcrorum emblema luctuoſiſſimum. 267.

TABVLA CXL.

HECVBAE SEV CASSANDRAE fatale connubium, pro ferali emblemate, ſculptum in Sepulcro Etruſcorum vetuſtiſſimo. 269.

TABVLA CXLI.

POLYXENA ad Achillis tumulum immolata, ex anaglypho Etruſci Sepulcri proponitur. 271.

TABVLA CXLII.

POLYMESTOR, defoſſis oculis, una cum filiis ab Hecuba necatus, ex antiquo Etruſci Sepulcri anaglypho oſtenditur. 273.

TABVLA CXLIII.

VLYSSES APVD CIRCEN POTVS, e pictura Etruſci Vaſis Bibliothecae Vaticanae oſtenditur. 274.

TABVLA CXLIIII.
CXLV.

CIRCE Vlyſſis ſocium feris obiiciens: Perſeus Meduſam interimens, Etruſci tripodis abenei emblemata. 276.

TABVLA CXLVI.

ELPENORIS FVNVS, ex anaglypho Etruſci Sepulcri marmorei oſtenditur. 277.

TABVLA CXLVII.

VLYSSES SIRENES PRAETERVECTVS, Etruſcorum Sepulcrorum ferale emblema. 279.

TABVLA CXLVIII.

SCYLLA ET CHARYBDIS, Sepulcrorum veterum Etruſcorum feralis typus. 281.

TABVLA CXLVIIII.

TELEGONVS ignarus Vlyſſem patrem ſuum interficiens: BELVS gladii inventor, ſculpti in Sepulcris Etruſcorum. 283.

TABVLA CL. CLI.

ORESTES ET PYLADES a Furiis agitati, deinde ob caedes expiati, ex Etruſcis Vrnarum ſculpturis obſervantur. 284.

TABVLA CLII. CLIII.

HIPPOCENTAVRORVM & HIPPOCENTAVRIDARVM EXITIALES PVGNAE, ſculptae in antiquis Etruſcorum Sepulcris, quid deſignent, exponitur. 286.

TA-

T A B V L A CLIIII.

Hippocentavrides, Monſtris marinis comites additae ab Etruſcis, in Sepulcris defunctorum ſculptae. 288.

T A B V L A CLV.

Chimaera et grys, inſignia veterum Etruſcorum monſtra, litteris Etruſcis inſcripta, accuratius illuſtrantur. 289.

T A B V L A CLVI. CLVII.
CLVIII. CLVIIII.

Draco. Leaena aliaque monſtra Tuſcorum: de ſuppliciis apud Inferos, & de Elyſiorum beatitudine opiniones illuſtrantur. 294.

C L A S S I S III.

TABVLIS XVII. ABSOLVITVR.

T A B V L A CLX. CLXI.

Choreae in honorem deorvm. Saltatio Saliorum & Saliarum Virginum circa aras. Mos Etruſcis arbores Diis conſecrare. 308.

T A B V L A CLXII.
CLXIII. CLXIIII.

Iovis festvm et sacrvm pictum in Vaſe Etruſco Bibliothecae Vaticanae. Deorum Epiphaniae. Iovi plures Genii ob Etruſcis adſignati. Dii in feſtis omni cultu exornati. 316.

T A B V L A CLXV.

Sacra cerealia et lenaea, ex anaglypho antiquiſſimae Ollae fictilis expenduntur & illuſtrantur. 322.

TA-

TABVLA CLXVI.

GENII SACRVM, hymnis, ſuffitu, muſicis modis & ſaltatione a feminis celebratum. 324.

TABVLA CLXVII. CLXVIII. CLXVIIII.

SACRA VENERI AMORI ET HYMENAEO facta a Sponſis, ex Etruſco Vaſe illuſtrantur. Nova Nupta novuſque Maritus carpento ducti ad ſacra facienda. 326.

TABVLA CLXX.

SACRA ETRVRIAE. Ciſta & myſteria Bacchi a CABIRIS ſeu CORYBANTIBVS in Etruriam delata: his Etruſcorum initiationes, ex antiquis monumentis elucidantur. 330.

TABVLA CLXXI.

SACRA CABIRIA ſive SAMOTHRACIA expiatoria, ab Etruſcis celebrata, ex antiquiſſimis monumentis expenduntur. 334.

TABVLA CLXXII.

SACRA MITHRIACA. Solemnis Etruſcorum BAPTISMVS, quo ritu quibuſve caerimoniis traditus ac ſuſceptus, ex antiquiſſimis monumentis oſtenditur: 337.

TABVLA CLXXIII.

SACRA MITHRIACA apud Etruſcos etiam igne peracta, ad purgationem & expiationem animae, & quo ritu, ex Etruſco Vaſe declarantur. 342.

TABVLA CLXXIIII.

SACRA MITHRIACA cum effuſione ſanguinis ſuſcepta apud Etruſcos: an id etiam factum in honorem VENERIS, HECATES, MATRIS DEVM & FVRIARVM. De victima humana, iuvenum puerorumque immolatione. 346.

Digitized by Google

TABVLA CLXXV.

SACRA ACHERONTICA. Sacra DEAE BELLONAE, ANCHARIAE ſive FVRINAE, quae apud Etruſcos in uſu fuere, ex antiquiſſimis monumentis illuſtrantur. 353.

TABVLA CLXXVI.

ETRVSCA ARVLA TRIPES ex aere, in agro Cortonenſi nuper eruta: ſerpente & avicu'is exornata. Cui nam Deo ſuffitibus adolendis dedicata fuerit, inveſtigatur. 359.

CLASSIS IIII.

TABVLIS XIIII. ABSOLVITVR.

TABVLA CLXXVII.

GALEA ex aere, non Phoeniciis, ſed Etruſcis characteribus inſcripta, illuſtratur. 363.

TABVLA CLXXVIII.

FOEDVS ab Etruſcis ictum iunctis dextris, ex anaglypho Vrnae emortualis illuſtratur. 366.

TABVLA CLXXVIIII.

TRIVMPHVS ET OVATIO veterum Etruſcorum inventum: eius pompa ſive adparatus e vetuſtiſſimo marmoreae Vrnae ſepulcralis emblemate elucidatur. 370.

TABVLA CLXXX.

LVDVS TROIAE. Ludi equeſtres, curules & gladiatorii Etruſcorum, ex antiquis ſculpturis ac picturis illuſtrantur. 374.

TA-

A TABVLA CLXXXI.
AD CLXXXV.

SALTATIO ARMATA. Ludi gymnici & venationes veterum Etruſcorum. In natali NOVI SOLIS ſacra & ludi Mithriaci celebrati, ex anaglyphis ſculpturis marmoreae Cathedrae arcuatae illuſtrantur. 379.

TABVLA CLXXXVI.
CLXXXVII. CLXXXVIII.

MVSICA ET POESIS ANTIQVA Etruſcorum: Ludi Scenici, Tragoedi, Comoedi, Ludiones perſonati, Hiſtriones, Mimi, Saltatores ceterique artifices, ex vetuſtis monumentis illuſtrantur. 385.

TABVLA CLXXXVIIII.

NVPTIIS ETRVSCORVM Dii Deaeque vindices ſcelerum praeſentes: quibus ſacris praemiſſis, quibuſve caerimoniis & auſpiciis iunctae dextrae. Augures, ac pronubae mulieres, pueri patrimi & matrimi adeſſe ſoliti. 397.

A TABVLA CXC.
AD CXCV.

TRICLINIA ETRVSCA. Vaſculorum, coronarum & unguentorum luxus: Servi epulas & vina miniſtrantes: acroamata in conviviis. Vrnae cinerariae Etruſcorum illuſtrantur. 399.

CLAS-

C L A S S I S V.

TABVLIS V. ABSOLVITVR.

T A B V L A CXCVI. CXCVII.

Moneta etrvscorvm . Quid capita Deorum , litterae , notae , orbiculi aliaque emblemata ſignificent , diſquiritur . 419.

T A B V L A CXCVIII. CXCVIIII. CC.

Gemmae caelatae . Artes & inventa inſigniora Etruſcorum obſervantur : pro coronide arator etrvscvs . 431.

P A R E R G O R V M
QVIBVS HAEC VOLVMINA EXORNANTVR RECENSIO.

IN VOLVMINE I.

I. In fronte , inſigne Operis : *Vlyſſes Sirenes praetervectus* ; cum lemmate : VITANDA EST IMPROBA SIREN *deſidia* ; ex Horatio Satyr. Lib. II. Eclog. III. verſ. 14. Ex anaglypho Vrnae Etruſcae marmoreae in Muſeo March. Nicoliniorum .

II. In fronte Dedicationis , duae paterae Etruſcae . I. ex Muſeo Anſideorum , in qua *Hercules , auxiliante Minerva , hydram tricipitem interficit* . II. Ex Muſeo Mediceo : *Minerva , Perſeo adiuvante , Gorgonem interimit* . Medium Gorgoneum caput ex Vrna fictili Etruſca : hinc inde Minervae & Herculis arma .

III. Littera V initialis Dedicationis , refert *Minervam armatam , in aedicula ſedentem* : ex Vaſculo Etruſco depicto, quod exſtat in Muſeo Mediceo .

IIII. In fronte Praefationis pag. XIII. adſeruntur duae paterae , Etruſcis litteris inſignes : I. *Apollinem , Bacchum & Mercurium , Deos comites & παρέδρους exhibet* , ex Muſeo Ficoronio . II. *Pollucem & Caſtorem cum Meleagro in tri-*

tribunali ſedente & Menelao conſilium capientes, *forſitan pro Helena recuperanda*; ex Muſeo Mediceo. Hinc inde addita Etruſcorum inſigniora inventa.

V. Littera O Praeſationis, exhibet Caprae Etruſcae ſignum ex aere, litteris Etruſcis inſcriptum, quod exſtat in Muſeo Mediceo.

VI. In fine Praeſationis pag. xxx. Bulla radiata ex aere, cum litteris Etruſcis, & capite Meduſae Gorgonis. Hanc puto anathema ſive donarium Etruſcorum, Minervae pectori, ſive in templo eius ſuſpenſum; ex Muſeo Medic.

IN VOLVMINE II.

In fronte, idem Operis inſigne, ut in primo Volumine.

In fronte Prooemii ad Lectorem, idem parergon eademque littera, ut in Praefatione Vol. I.

VII. In fronte Diſſertationis I. *Herculis apotheoſis*, ex patera Etruſcis litteris inſcripta, quae exſtat in Muſeo Comitum e Gherardeſca. Hinc inde Herculis arma & inſignia.

VIII. Initialis littera Q ornatur ara Etruſcis litteris inſcripta, in qua ſculpti Duces foedus iunctis dexteris ferientes, adſtantibus lictoribus. Exſtat haec ara lapidea in Suburbano Florentino March. della Stuſa.

VIIII. In fronte Claſſis I. pag. 1. *Deorum geſta Comoedi Etruſci exhibent*, ex pictura Etruſci Vaſculi, quod exſtat in Muſeo Suburbano Nobilium Vecchiettiorum.

X. Littera I ornatur imagine *Iani Gemini cum ſceptro*, ex nummis.

XI. In fine Claſſis I. pag. 232. *Tagetis* aheneum ſignum; exſtat Peruſiae in Muſeo Comitum Anſideorum.

XII. In fronte Claſſis II. pag. 233. *Scylla ſive Charybdis*, ferale marmorei Sepulcri Etruſci emblema; exſtat Volaterris in Muſeo M. Damianii.

XIII. Initialis littera O exhibet *Gorgonis Etruſcum caput*, ex bulla aerea Muſei Medicei.

XIIII. In fine Claſſis II. pag. 296. *Gryphes Etruſci pugnantes*, ex Vrna fictili, quae exſtat Peruſiae apud Comitem de Eugeniis.

XV. In fronte Claſſis III. *Phiala Etruſca*, fictilis, figuris picta, in qua *ludicra ciconiae ſaltatio*, exſtat apud me.

Initialis littera T *Ianum Geminum & alatum*, exhibet.

XVI. In fine Claſſis III. pag. 360. Vas fictile nigerrimum, Etruſci operis, in quo impreſſae *Sues foetae pro ſacris Cereris Chthoniae*; exſtat in Muſeo Comit. e Gherardeſca, alt. ped. 1.

XVII. In fronte Claſſis IIII. *Heroës pugnantes; adſtat Victoria, phaleras ſtrenuo victori offerens*, e pictura inſignis Vaſculi Etruſci, quod exſtat in Mediceo Theſauro.

Initialis littera Q eadem ac ſupra.

In fronte Claſſis V. pag. 401. *Herculis apotheoſis*, idem parergon ut ſupra.

XVIII. Littera initialis D exhibet *Marſiam arbori vinculis revinctum ab Apolline*, ex typo Etruſcae Vrnae, quae exſtat Peruſiae, nunc apud Vgolinios.

XVIIII. In fine Claſſis V. pag. 439. proponitur *Vlyſſes Sirenes praetervectus*, ex Vrna Etruſca, quae exſtat in Muſeo Mediceo, & March. Nicoliniorum, & apud Bonarrotios, & alibi, cum epigraphe deſumta ex Claudiano de raptu Proſerpinae in fine Lib. III. CLARESCIT ATRVSCVM LITTVS.



MVSEI ETRVSCI

DISSERTATIO I.

DE TYRRHENORVM ORIGINE EORVMQVE IN ITALIAM ADVENTV ET IDOLOLATRIA.

QVOD TYRRHENORVM origo vetuſtate antiquiſſima, atque ab omni Scriptorum memoria remota, nondum perſpicue explorata ſit; id pluribus, ut opinor, cauſis tribui poteſt. Omnium prima ea videtur, quia Tyrrheni patrio ſolo ſeu pulſi, ſeu excedere coacti, diu palantes cum in Aſia, tum in Europa, ac per adiacentes inſulas diſperſi, mutatis frequenter ſedibus, mutatoque Ductorum ſuorum imperio; nomen quoque ſuum ſaepenumero mutarunt; nam *Rhaſenas* (1), atque etiam *Turſenas* (2), & variante dialecto, *Tyrrhenos*, quo apud Graecos audiunt, deſumto a ſuis Ducibus nomine, ſe vocarunt: deinde *Etruſcos* & *Tuſcos*: quae adpellationes his Italiae regionibus, quas incoluere, nomen dederunt,

 &

(1) Ex Dionyſio Halic. Lib. 1. Ant. Rom. (2) Cluver. Ital. Lib. 1 I. citat omnes Script.

& apud veteres Latinos & Romanos maxime obtinuerunt. Secunda ea cenſetur, quia Tyrrhenorum Hiſtoriae, quae, ut notat Cenſorinus (1), octavo eorum ſeculo ſcriptae traduntur: Annales quoque, & antiquiſſima litteris conſignata monumenta, facile poſt illud tempus, iniuria vetuſtatis abſumta, periere; quo factum eſt, ut conſecutis temporibus multi Scriptores, ut aetas illa ferebat, fabulis ea inſerſerint, & maxima ex parte obſcurarint: adeoque minime ſincera ac genuina, ſed confuſa atque ambagibus implexa ad nos tranſmiſerint: quod legentibus Dionyſium Halicarnaſſeum, qui complurium veterum Hiſtoricorum inter ſe diſcordes opiniones memorat, ſatis ſuperque liquet (2). Tertiae cauſae, ut nonnulli obſervant, locum facit Graecorum iam pervulgata famoſaque ambitio & invidia, qui ut omnia ad ſe pertraherent, ſeque Graecos omnium diſciplinarum atque artium omniſque humanitatis inventores ac parentes oſtenderent, ſibique omnem principem gloriam vindicarent, Tyrrhenos de litteris, liberaliſſimiſque artibus ac ſtudiis, iam ante ſe ex multo tempore optime meritos, fabuloſis ambagibus obſcurare ac deprimere conati ſunt, ne lux ipſa Hiſtoriae, teſtis ac nuntia veritatis, ſuo fulgore in conſpectum omnium prodiret atque pateſceret.

His eatenus minime obſtantibus, picta ſculptave monumenta veterum Tyrrhenorum, quae hac praeſertim aetate in Etruria eruta ſunt, quae voluminum deperditorum inſtar cenſeri debent, manifeſte evincunt, Etruſcos, litteras, muſicam, divinum opus, quam veteres maximo in pretio habuere, diſciplinas arteſque omnes, quas Graphice complectitur, ad haec quoque gymnica exercitamenta, in Italiam maximo cum ſtudio atque adparatu invexiſſe. Nec deſunt etiam graviſſimorum ſcriptorum Graecorum teſtimonia (3), quibus conſtat, Tyrrhenos penitiorum omnium Naturae rerum, maxime vero Aſtronomiae divinandique ſcientia praeſtantes fuiſſe: qui caelum in ſedecim partes diviſere, ut fulminum manubias & fulgura, aviumque volatus vel ſecundos vel ominoſos, accuratius perſcrutarentur (4). Conſtat etiam, eos Italicam Philoſophiam apud nos omnium primos inſtituiſſe, quam Pythagoras, natione Tuſcus, ut oſtendit Clemens Alexandrinus (5), mirifice auxit, illuſtravit inſtauravitque.

Graecorum arrogantia in hoc litteraturae principatu ſibi adiudicando vindicandoque, quanta fuerit, & quo uſque proceſ-

ſerit,

(1) De Die Natali Cap. XI. & XVII.
(2) Antiquitatum Rom. Lib. I.
(3) Vide Diodorum Sicul. Bibl. Lib. V. 219.
(4) Ex Plinio Hiſtor. Natur. Lib. I. Cap. LII. LIII. LIIII.
(5) Stromatum Lib. I.

ſerit, intelligi facile poteſt ex Prooemio Diogenis Laërtii. Eodem ambitionis & invidiae morbo prae ceteris, ut videtur, laborat Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui, ut hanc diluat evertatque Tyrrhenorum vetuſtiſſimam laudem, reiectis complurium Scriptorum & quidem antiquiſſimorum ſententiis, quae Etruſcae gentis origini & gloriae melius favent; opinionem ſuam ſub nomine aliorum obtrudens (1): *Κινδυνεύουσι γὰρ τοῖς ἀληθέσι μᾶλλον ἐοικότα λέγειν, μηδαμόθεν ἀφιγμένον, ἀλλ' ἐπιχώριον τὸ ἔθνος ἀποφαίνοντες· ἐπειδὴ ἀρχαῖόν τε πάνυ, καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ γένει οὔτε ὁμόγλωσσον, οὔτε ὁμοδίαιτον εὑρίσκεται*; vereri ſe ait, ne veriſimilior ſit eorum ſententia, qui non advenam eſſe hanc gentem, ſed indigenam adſeverant; quandoquidem & pervetuſta eſt, nec cum ulla alia cognatione, lingua, vivendique ratione convenire compertum ſit.

Verum, quod pertinet ad vivendi rationem, auctoritate tot inſignium monumentorum, quae nunc primum hoc in MVSEO ETRVSCO proponuntur & illuſtrantur, & eorum, quae in Dempſteriano Opere iam edita ſunt, apertiſſimum eſſe arbitror, cum Aegyptiorum & Phoenicum Idololatria, moribus quoque atque inſtitutis Tyrrhenos probe conveniſſe: in multis quoque cum Syris, Perſis, Arabibus, Chaldaeis, aliiſque Orientis nationibus, quod ex dicendis erit manifeſtum, magnopere concordaſſe. Siquidem in ſacris genu flectere, ariſque flexo genu incumbere, ut videre eſt in adlatis Tabulis, praeſertim in CLXXI. num. 1. & CLXXII. num. 1. alas, divinae virtutis ac maieſtatis, celeriſque auxilii indices, Diis tribuere, eorumque capillos in orbem & angulos tondere: atque, ſi ſigna Etruſcorum Numinum vetuſtiſſima omniumque prima reſpicias, eorum pedes ſimul iunctos, haud quidem nudos, ſed lunatis calceis repandis ornatos, & manus utroque lateri adhaerentes conſtruere: cognominibus adſcriptis circa Deorum imagines, divinae eorum naturae vim, poteſtatem proprietateſque exprimere, quo cognominum inventu ipſis Graecis praeluxiſſe ſuſpicari poſſumus: adde etiam ſolitos inſcribere litteras in ſimulacris Deorum Heroumque, iiſdemque Diis ſubligacula & femoralia pudendis occultandis adiungere: Heroibus, quos omni cultu deveneratι ſunt, Tauticum ſignum ſive hieroglyphicum monogramma, quod Aegyptii Dei nomen referre cenſuere (2), torque ſuſpenſum ante eorum pectus adponere, ut exhibet Tabula CXIII. Scarabeos e pretioſis lapillis exciſos, divinis imaginibus & litteris inſculptos, pro amuletis geſtare: Diis complures Genios, hominibus vero ſingulis bonum & malum Ge-

(1) Antiquitatum Rom. Lib. 1.

(2) Vide Kircherum in Prod. Copt. Cap. VI.

Genium & duas Nemeſes compluraque Fata adſignare : pro Diis Averruncis, quos Aegyptii flagris & baculis armarunt (1), Furias taedis ardentibus & gladiis minitantes, improborum hominum ultrices, proponere : monſtroſorum animalium inventa, praeſertim Chimaerae & Gryphis, ad declarandam divinam iram ac vindictam in fontium ſcelera ; quapropter in templorum aditu collocari ſolebant : Deorum epiphanias, ſive adparitiones, pompas, conſecrationes & invitationes ad epulas : defunctorum opiniones, de animarum beatitate apud Elyſios, vel de damnatorum ſuppliciis ac poenis apud Tartarum : baptiſmata ob id ſuſcepta pro vivis ac defunctis : luſtrationes, initiationes ſacraque myſteria, in honorem Deorum tradita, poſt varios probationum gradus : Haruſpicinae diſciplinam : miram illam artem pingendi Vaſa variis coloribus ingenioſaque elegantia, quam ab Aegyptiis didicere, ut colligitur ex adlato Vaſculo Bibliothecae Vaticanae in Tabula CLXI. aeris conflandi inaurandique inſigne opificium : atque alia complura, quae ad artes pertinent, utiliſſima ac pulcherrima inventa ; profecto haec omnia a nullis aliis gentibus, quam ab Aegyptiis atque etiam a Phoenicibus, omni divinarum rerum ſcientia, omnibuſque artibus excultiſſimis, Etruſcos noſtros accepiſſe contendo : & ut id confirmem, teſtem adpello Iſiacam Menſam a Pignorio illuſtratam, ex qua ſi Tyrrhenorum Theologia cum Aegyptiaca conferatur, maxima ſacrorum & conſuetudinum ſimilitudo & cognatio inter eos adnotari poterit.

In multis etiam cum Phrygibus & Samothracibus, ut videbimus, Etruſci conveniunt, praeſertim in cultu Magnae Deûm Matris & Cabirorum, quem ab his accepere ; quare primi Cabiria ſacra ſeu Samothracia Italos docuere. Quatuor Samothracum principes Dii memorantur a Mnaſea apud Apollonium in primum Argonauticôn ; nimirum *Axieros*, quae eſt Ceres : *Axiocerſa*, Proſerpina : *Axiocerſus* Pluto ſive Dis Pater : & *Caſmilus*, is eſt Mercurius Deus, quod nomen etiam apud Etruſcos obtinuit. Quod vero Pelaſgi & Etruſci hos Deos impenſe devenerati ſint, tum veterrima eorum ſimulacra, quae in hoc Muſeo adferuntur, & antiquiſſima opere anaglypho ſculpta monumenta teſtantur : tum etiam fidem facit Dionyſius Halicarnaſſeus, qui (2) meminit Cadolorum Sacerdotum, qui iiſdem Deis famulabantur. Cabirorum Sacerdotes & Miniſtros, ſacris myſteriis Cabiriis operam dantes, infra obſervabimus in Tab. CLXXI. Sacra Mithriaca, de quibus etiam inferius ſermo, a Perſis accepiſſe Etruſcos maxime omnium

(1) V. in Par. 1. Inſcr. Etr. Vrb. Tab. XVIII. (2) Antiquitatum Roman. Lib. II.

omnium probabile eſt. Veterum Scriptorum auctoritate memoriae proditum eſt (1), Dardanum, Danaum & Aeneam in Samothracia fuiſſe: ante hos, Tyrrhenos quoque in Thracia verſatos tradit Thucydides (2) & Herodotus (3), quod alibi opportunius obſervabimus. Vnde vero Bacchi ciſta myſtica & ſacra myſteria in Etruriam totamque Italiam manarint, tradit Clemens Alexandrinus (4), cuius auctoritatem mox adducam ad Tabulam LVI. Huius inſanae religionis Cabiri ſive Corybantes auctores fuiſſe dicuntur: ex quibus omnibus apertum eſt, moribus inſtitutiſque cum multis nationibus conveniſſe Tyrrhenos; maxime vero cum Aegyptiis, Aſſyriis & Phoenicibus; nam ab his tum Bacchi tum Priapi cultum (5), & phallorum obſcenas pompas, longe lateque per Italiam traductas, hauſiſſe multa ſuadent.

At quomodo cum Graecis credibile eſt Etruſcos non conveniſſe, quum habuerint communem cum his Deorum cultum, & maxime quidem principum, quos *Conſentes* dixere, communes fabulas, proindeque eamdem fere, paucis variatis, Theologiam & Mythologiam, uti iam edita monumenta fidem faciunt? Perpauca percurrere lubet inſtituta; ut ex his, de quibus conſtat, Dionyſium vel falſitatis vel invidiae arguamus. Igitur non ſecus ac Graeci, Tyrrheni quoque Deorum nativitates, peregrinationes, itinera, adventus: praeterea eorum epiphanias, quia ſacris intereſſe ac praeſentes eſſe credebant, eorumque pompas, & ſolemnes in thenſis ſive aediculis deductiones, feſtoſque occurſus celebrarunt. Id ab Aegyptiis manaſſe, oſtendit Iſiaca Menſa, in qua Dii in thenſis ſive aediculis locati ſunt. Paeana in honorem Apollinis, Orgia in honorem Bacchi, peculiaria cum ſanguinis effuſione in honorem Magnae Deûm Matris myſteria, Eleuſinia in honorem Cereris, etiam apud Graecos inſtituta, Tyrrheni celebrare conſueverunt: in feſtis ſolemnibuſque conventibus in honorem Deorum ducere choreas: Pyrrichen armatam ſaltationem circa Numinum aras peragere, ad id Saliis ac Saliaribus virginibus inſtitutis: Geniorum ſacra, praeſertim natali die, hymnis, ſuffitu, muſicis modulationibus & ſaltatione perficere: floreas corollas dedicare: vittas, panes ac placentas ſuſpendere: ramos in ſacris geſtare: iter floribus ac frondibus ſpargere: Heroum militumque arma ac ſpolia pro donariis in templis adfigere: Argolicos clypeos, galeas criſtatas, haſtas duplices, thoraces, ocreas, chla-

(1) V. Bochartum de Aeneae adv. in Ital. pag. 1070. 1083. 1084. qui auctores citat.
(2) Hiſtoriarum Lib. IV.
(3) Terpſichore Lib. V.
(4) In Protrept. ſive Admon. ad G. pag. 11.
(5) Vide Io. Marshamum Sec. 1. pag. 35. 36. Bochartum Geogr. Sacr. pagg. 426. 440. 446.

chlamydes in bello geſtare. Praetereo alia plura Etruſcorum Graecis ſimillima, cum ſacra tum civilia, inſtituta, ne Lectoris aequis auribus abutar. Non nego, Etruſcos habuiſſe plurimos peculiares mores, reconditas fabulas, & ſacra; ſed, moribus ſacriſque, maxima ex parte, cum Graecis ceteriſque cultiſſimis nationibus propter commercium conveniſſe, contendo.

Quod pertinet ad linguam veterum Tyrrhenorum ſive Etruſcorum, contra Dionyſii opinionem, nego eam cum alia nulla convenire. Si litteras ſpectemus, in aliquibus cum Hebraeis, fere autem in omnibus cum Syris ſive Samaritanis, adeoque cum Phoeniciis conveniunt, a quibus litterarum elementa accepiſſe ſeu didiciſſe comperimus. Conveniunt etiam Etruſcorum litterae XVI. numero, non ut vult Cl. Bourguettius XXIV. (1) quibus ut loquebantur ſcribebant, cum priſcis illis Graecorum litteris, quas iidem quoque Graeci a Phoenicibus ſe habuiſſe gloriantur. Si Etruſci characteres & inſcriptiones cum vetuſtiſſimis apud Graecos Cadmeis litteris inſcriptiſque monumentis conferantur, nimirum cum Sigeo lapide, & Inſcriptione Deliaca (2), figura formaque probe concordare cum his, & propius etiam eas exprimere, (nam diutius ſervarunt priſcam Phoeniciarum ſive Cadmearum litterarum formam) intelligemus. Haec collatio, deque adſimili uſurpata ab his litterarum forma iudicium, fieri debet propoſitis ante oculos Alphabetis, tum a V. C. Edmundo Chishullio, tum a Ludovico Bourguettio, & a me digeſtis, itemque obſervatis iam editis Etruſce inſcriptis monumentis: inter quae nullum fere vel minimum, excepto ſcribendi ſiniſtrorſum conſtanti perpetuoque modo, exceptis etiam perpaucis inſcriptionum retrogradarum exemplis, intercedere diſcrimen obſervabimus. Primigeniae Tyrrhenorum litterae, ut dixi in Prolegomenis pag. LI. Voluminis I. fuere duodecim: his poſtea, ut exigebat novae lucutionis ac pronunciationis uſus, vel id exigente cum aliis gentibus inito commercio, additae quatuor litterae, duplices nimirum & mixtae, quae ſunt ⊙. ✱. 8. Ψ. & gutturalis, ſive adſpirata ⊟. Doctiſſimus Bourguettius putat X *Chi* Graecorum, originem habuiſſe a ✕ Etruſcorum: ego vero ex *Kappa* ortum arbitror, ita apud Etruſcos ſcripto >, eodemque geminato, unoque alteri in hunc modum ✕ angulatim coniuncto. Etruſci V ſupino, I in medio ita interpoſuerunt Ψ, ut notarent KI, ſive X, quod Graeci uſurparunt.

Ex

(1) V. eius Alphabetum, Diſſ. I. Acad. Etr. Cap. I. pag. 122. Edmundus Chishullius ad Inſcr. Sigeam pag. 4. & 16. Vide antiquas Inſcript. a M. Gudio collectas, & a F. Heſſelio editas in Append. Praef.

(2) Hanc edidit Turnefortius in Itinerario Orientali Epiſt. XXII. item R. D. Montfauconius Palaeograph. Lib. II.

Ex his vero Etruſcorum additis duplicibus ſive mixtis litteris, haud eſt improbabile, Graecos ſuas deſumſiſſe Θ. Ξ. Φ. Χ. quarum introductionem apud Graecos, non vero inventionem, ut vult Plinius (1), Palamedi, Troiani belli tempore, perlubenter tribuo; nam longe ante id tempus in uſu apud Etruſcos fuiſſe, perſpicue docent Etruſcis litteris ſcriptae Tabulae Eugubinae, quae propter vetuſtatem, omnia quotquot exſtant monumenta, Aegyptiis exceptis, ſuperant; nam in his ea Pelaſgorum & Etruſcorum calamitas, ob triennem ſaeviſſimam ſiccitatem, memoratur, quam duabus ferme aetatibus ante Troianum bellum contigiſſe Dionyſius Halicarnaſſeus adfirmat (2). Siquidem quum ſimpliciori ratione ſcriberent Tyrrheni, pro ⊙ uſi ſunt +. pro ‡ uſi ſunt duabus ƨƨ, cuius exempla non deſunt apud Dempſterum, ut in Tabula LXXXIII. 7. pro 8 uſi ſunt Aeolico digammate, vel etiam ↄ conſonanti v, quam tamquam ꟻ pronuntiarunt; pro v vero uſi ſunt ꓘ ſive >. quae paene eumdem ſonum habent.

Haec dum ſcriberem, quum perlegiſſem ſumma animi voluptate Diſſertationem de priſcis Graecorum & Latinorum litteris, quam ſummus vir I. de Bouhier, in ſupremo Divionenſium Senatu Praeſes, non minus eruditione quam dignitate conſpicuus, egregie adornavit: quam etiam publico litteratorum bono edidit ad calcem Palaeographiae ſuae omnis antiquitatis egregius illuſtrator ac vindex celeberrimus D. Bernardus Montfauconius; cum doctiſſimo viro in eam veni ſententiam, Pelaſgorum, ac proinde etiam Tyrrhenorum litteras, earumdemque uſum in Graecia, eſſe Cadmo vetuſtiorem. Nam ſi certum eſt, omnium fere Scriptorum & quidem vetuſtiſſimorum conſenſu, Graecos, auctore Cadmo Phoenicio, a Phoenicibus litteraturam habuiſſe; haud negari facile poteſt, Phoenices, qui ante Cadmum per totum Mediterraneum mare commercium exercuere, antequam ad Graeciam accederent, cum aliis gentibus, praeſertim cum Cretenſibns, quibus cum verſati ſunt, litteras communicaſſe. Omnem dubitationem tollit Diodorus Siculus (3), qui ante Deucalioneum diluvium, ac proinde diu ante Cadmum, viguiſſe in Graecia litteras tradit; licet ſtatim addat, earum memoriam cum maxima hominum parte hoc caſu deletam fuiſſe. At a Pelaſgis, Phoenicum filiis ac diſcipulis, qui Graeciam occupabant, eo tempore ſervatas eſſe litteras tradit, antiquorum Scriptotum auctoritate, Euſtathius, cuius inſignem locum (4) obſervavit idem Cl. de

(1) Lib. VII. Cap. LVI.

(2) Antiquitatum Rom. Lib. I.

(3) Biblioth. Hiſtor. Lib. V.

(4) Iliad. Lib. B. ed. Rom. p. 358. Flor. 775.

Bouhier, quem ſilentio praeterire non lubet: *Διὸ καὶ δῖοι* ΠΕΛΑΣΓΟΙ *που λέγονται, ὡς ἄνωθεν Ἕλληνες· οὓς καὶ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν σῶσαι τὰ στοιχεῖα μένους Ἑλλήνων φασί. καὶ διὰ τοῦτο δίους αὐτοὺς καλεῖ. Quapropter* PELASGI, *quippe ab ipſa eorum origine Graeci, dicti alicubi* divini: *quos etiam ſolos de omnibus Graecis, poſt terrarum inundationem, ſervaſſe litteras perhibent*. Ita vertit eiuſdem Euſtathii interpres & illuſtrator doctiſſimus Alexander Politus, in Piſano Athenaeo Graecarum litterarum Profeſſor, qui notat Pelaſgos & apud Heſychium *divinos* cognominari: neque id cognomentum alia, ut videtur, de cauſa conſequi potuere, niſi quia litteras, divinum opus, ſervarunt; quandoquidem iidem Pelaſgi aliique etiam populi ac praecipue Athenienſes, qui Pelaſgici generis fuere, e diluvii aquis elapſi ſunt; nam, teſte Herodoto (1), Pelaſgica gens, regnante Deucalione, Phthiotidem incoluit, & Atticam diluvii aquis immunem, & a ſe ipſa maiorem Graeciae partem, quum ea nondum Ἑλλὰς diceretur, *Pelaſgiam*, & litteras *Pelaſgicas* nuncupavit. Cadmus vero, Agenore Aegyptio ſatus, Pelaſgis infeſtus, tantum auctoritate & armis valuit, ut eos ab Hiſtiaeotide eiecerit, & litteras, quas & ipſe a Phoenicibus habuerat, non Pelaſgicas, ſed Cadmeas & Phoenicias adpellari voluerit: ſeque litterarum inventorem adſeruit, prono in hanc laudem ore conſentientibus omnibus Graecis Scriptoribus; quum tamen multo veriſimilius ſit, Cadmum iiſdem litteris nomen tantum tribuiſſe, quod antea non habebant, vel eas aliquantulum reformaſſe, ſeu nonnihil immutaſſe: & forſitan, ut ego ſuſpicor, utrumque ſcribendi genus, tunc ab Etruſcis ſiniſtrorſum, a Pelaſgis dextrorſum uſurpatum, ſimul coniunxiſſe; nimirum ut altera linea rectâ duceretur, altera vero βουστροφηδὸν, ut Graeci dixere, inſtar boum arantium, facto regreſſu, ductiſque lineis dextrorſum & ſiniſtrorſum: quod ſcripturae genus in arca Cypſeli adnotavit Pauſanias (2), exſtatque inſigne exemplum in Inſcriptione Sigea. Pelaſgi Cadmo cedere coacti ſunt, quum ante Deucalionem & Cadmum in litteratura principatum per totam Theſſaliam, Peloponneſum & Graeciam tenuiſſent, atque Atticorum lingua eadem ac Pelaſgica eſſet. Igitur tum Pelaſgi tum Etruſci, patriis ſedibus excedere coacti, ſuum alphabetum & litteras in Italiam invexere: Latini a Pelaſgis litteras, teſte Plinio (3), & ſcribendi modum ſiniſtrorſum, multoque plures litteras, quam apud Etruſcos eſſent, accepere. Poſtmodum Iones receptis novis quibuſdam elementis, aut

(1) Lib. I. Cap. LVI.

(2) In Eliac. prior. Lib. V. Cap. XVII.

(3) Lib. VII. Cap. LVI. Vide etiam Diodorum Siculum Lib. III.

aut potius in unum collectis, litteras a ſe nomen accipere voluerunt. Cadmeae vero litterae, quae Pelaſgicis ſucceſſere, ſemper vocatae Phoeniciae. Graeci innata vafritie, ut ſibi in litteratura principatus gloriam vindicarent, Cadmeas litteras non ante ipſum Cadmum, ſed poſt eius adventum in Graeciam, *Pelaſgicas* dictas eſſe (quod tunc fieri minime potuit, Cadmo, ut diximus, acriter adverſante) ſcribunt, idque prae ceteris Diodorus Siculus diſerte adfirmat (1).

Haec de Tyrrhenorum & Pelaſgorum litteris, quae nihil vel minimum differunt a Graecorum Cadmeis antiquiſſimis; nam cum Tyrrheni ac Pelaſgi, tum iidem Graeci a Phoenicibus eas acceperunt. Nunc de dialectis linguae Pelaſgicae & Etruſcae, nonnulla dicenda ſunt. Pelaſgicus ſermo utique differt ab Etruſco, non in origine, uſu ac proprietate vocum, ſed tantum in inflexionibus ac deſinentiis: quod evidentius conſtabit, quum proferam, Deo coeptis favente, duo Lexica Pelaſgicum & Etruſcum. Hae inflexiones ac deſinentiae nec cum Graecis, nec cum Latinis omnino concordant; nam ſingula vocabula, tam Pelaſgica quam Etruſca, radicem Graecae dictionis, confuſam licet alteratamque, perſpicue continent, quae multa cum diligentia expiſcanda eſt: nec primis conatibus & diſquiſitionibus credendum; ſed ulterius progrediendum eſt, diligentiuſque inveſtigandum, quod interpretandum proponitur. Non pauca etiam vocabula pendent a cognitione Orientalium linguarum, praeſertim Hebraicae, Chaldaeae, Aethiopicae, Arabae, Syriacae, adeoque & Phoeniciae: quod patet ex verſione Tabulae Eugubinae Pelaſgice ſcriptae, litteris, iiſdem prorſus ac Latinis (nam Latini, quae nunc habent elementa, a Pelaſgis accepere, teſte Plinio (2): fueruntque origine Latinae litterae eaedem ac Pelaſgicae (3) ſive vetuſtiores Graecae) quam nuper ſumma cum laude felicique conatu publici iuris fecit eruditiſſimus Ludovicus Bourguettius. Verum generaliter loquendo, omnia utriuſque linguae, cum Pelaſgicae tum Etruſcae, vocabula, licet earum multiplices dialecti differant inter ſe, & pauciores litteras Etruſci, Pelaſgi vero multo plures habeant, a Graeca lingua pendent, cuius ope ac luce haud omnino difficile, ni mea me fallit opinio, explicari poſſunt. Id meo ſtudio pertinacique labore expertus ſum; an vero eo conatu veritatem (quod maxime cupiebam) detexerim, interpretata Eugubina Tabula Etruſcis litteris ſcripta, aequi ac ſinceri homines litterati,

(1) Hiſtoriar. Lib. III.
(2) Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. LVI.
(3) V. Diſſert. Montfauc. in fine Palaeogr. & L. Bourguet. in Diſſ. I. Acad. Etr. Cort.

Digitized by Google

non invidi atque obtrectatores, iudicabunt. Quod vero nemo virorum doctiſſimorum, qui ſuperioribus aetatibus floruere, id adſecuti ſint, quin potius horum ſenſum eruere, paene impoſſibile adfirmarint Scaliger, Salmaſius, Aleander, Peyreſcius, Fontaninius; id ex eo facile ortum eſt, quia variam ſingularum litterarum formam apud Etruſcos non obſervarunt: vel forſitan ſe oleum & operam perdituros putarunt, quum id facere potuiſſent interpretantes Tabulas Eugubinas Pelaſgice ſcriptas, quarum litterae, Latinis ſimillimae, ſemper eaedem fuere, & numquam figuram variarunt. Quod ſi Iones Aſiatici, cum Etruſcis cognatione iuncti, auctore Herodoto (1), habuere *τέσσαρας γλώσσας χαρακτῆρας*, *quatuor linguae characteres*, id eſt, *idiomata*; haud eſt inveriſimile, Etruſcos quoque plura habuiſſe pro diverſitate locorum, quae incoluere; quum aliter deſinant voces Pelaſgicae, aliter Etruſcae, quae nunc abſque ulla difficultate leguntur, in monumentis in Vmbria, & in Etruria tum interiori tum exteriori, erutis: quod etiam Bonarrotius obſervavit.

Multum etiam lucis in his monumentis interpretandis confert vetuſtior Latinorum lingua; nam hi pleraque vocabula, quae olim apud antiquos Pelaſgos & Etruſcos in uſu fuere, diu ſervarunt ac retinuerunt, quae in iiſdem Tabulis Eugubinis non raro occurrunt; quare credibile magis videtur, Latinam ex Pelaſgica & Etruſca originem habuiſſe, & non e Graeca tantum, ut plures arbitrati ſunt; nam ante Romam conditam, & multo etiam poſt, nullum Latinis & Romanis cum Graecis remotiſſimis commercium fuit, ſed dumtaxat cum colonis Graecanici generis, qui Italiam occuparunt, a quibus iidem originem habuere. Plato ingenue fatetur in Cratylo, Graecos complura nomina a Barbaris accepiſſe. Pro Barbaris habiti ſunt a Graecis Pelaſgi & Etruſci. Pauſanias barbarum nominat Arimnum Etruſcorum regem (2), qui omnium primus Iovi Olympio inſigne ſolium dono miſit, quod idem Pauſanias in eius templo ſive atrio vidit. Phryges quoque habiti in cenſu barbararum gentium; eos tamen vetuſtiſſimo ſermone utentes (3), multa vocabula Graecis ſimillima, ac paene eadem, habuiſſe oſtendit idem Plato in Cratylo. Cum Phrygibus concordant Etruſci tum in moribus & ſacris, tum etiam in multis vocibus, ut iam adnotavimus (4). Barbari etiam habiti antiquiſſimi Hiſpani, qui perinde ac Etruſci, a Phoenicibus artes & litte-

(1) Clio Lib. 1. 10. 26.
(2) Eliac. prior. Lib. v. Cap. 11.
(3) Vide Samuelem Bochartum in Geographia Sacra pag. 1077.
(4) Ad Interpretationem Orthii Carminis Etruſci in Vol. I. pag. LVI. verſ. 5.

litteraturam didicere ; nam , ut videre eſt in eorum veterrimis numiſmatis , atque in edito Alphabeto (1) , eorum litterae eaedem fere ſunt ac Etruſcae. Turdetani Hiſpanorum doctiſſimi , ut tradit Strabo (2) , & ut fama eius tempeſtate ferebat , a ſex annorum millibus , grammaticam & vetuſtiſſima litteris inſcripta monumenta , quin & poëmata legeſque metris conditas , habuere . Pro Barbaris reputati a Graecis Theſſali , Thraces , Poeni , omnes denique Orientales , quos enumerat Diogenes Laërtius in ſuo ad vitas Philoſophorum Prooemio : ab his tamen Barbaris Plato in Cratylo ingenue fatetur , ſe ea , quae in Philoſophia praeſtantiſſima ſunt , mercatum eſſe : ideoque Aegyptios Sacerdotes & Italicos Philoſophos adiiſſe . Tanti fecit Plato Tyrrhenorum ſacra , conſuetudines & inſtituta , ut legiſlatorem ſuum iuſſerit ne in re quidem minima ea abrogare vel innovare (3) . Sed de his ſatis ; haud enim vacat ea repetere , quae exploratiſſima ſunt , praeſertim de origine & progreſſu Philoſophiae & litterarum , quas Graecos a Barbaris accepiſſe luculenter oſtendunt prae ceteris Tatianus Aſſyrius , Clemens Alexandrinus , & Theophilus Antiochenus : haud tamen negandum , omnem hanc litteraturam Graecos mirifice poſtea perpoliviſſe , auxiſſe etiam , atque ampliore in lumine , ordine & dignitate collocaſſe ; quum apud eos divino propemodum ingenio ac ſapientia viri floruerint .

His expoſitis , ſequitur contra Dionyſii Halicarnaſſei opinionem , ſuperius expoſitam (quam viri cum paucis comparandi ſequuntur Bochartus (4) & Cluverius (5) , quibus lubenter parco , quia monumenta , quae adferimus , eis ignota fuere) TYRRHENOS in Italia non indigenas , ſed advenas fuiſſe . Vnde vero & quando Pelaſgi & Etruſci in Italiam advenerint , ſupereſt inquirendum . Id fieri facile poterit , ſi ſtatuamus cum doctiſſimo Theodoro Ryckio , qui optimo ſummoque iudicio de primis Italiae colonis diſſeruit , omnes populos , quotquot in Italiam noſtram migrarunt , eſſe Graecanici generis , atque , ut ex dictis videtur , ex Phoenicibus ortos . Horum vero Aegyptii auctores fuere : qui , ut ſuſpicatur vir perſpicaciſſimus Philippus Bonarrotius (6) , impellente Paſtorum in Aegyptum inferiorem incurſione , in Babyloniae & Aſiae partes , & praeſertim in Graeciam migrarunt , colonias in eam deduxerunt , & urbes ſtatuerunt ſub

Ce-

(1) Exſtat pag. 4. in opere ita inſcripto : *Diſſertation Hiſtorique ſur les Monnoyes antiques d'Eſpagne , par M. Mahudel* &c. a Paris a. MDCCXXV.
(2) Geograph. Lib. III. 139.
(3) De Legibus Lib. V.
(4) Geograph. Sac. Lib. I. Cap. XXXIII.
(5) Italiae antiquae Lib. II.
(6) In Explicat. & Coniect. additis Dempſteriano Operi §. XLVII.

Cecrope Cadmo & Danao. Illud ex Moſis ſacra atque omnium vetuſtiſſima Hiſtoria certum eſt, gentes omnes ex Oriente per orbem diffuſas & propagatas eſſe. Phoenices, Aegyptiorum filii, in Cananaea ſedem ſuam poſuere: iidemque Pelaſgis, Etruſcis Graeciſque originem dedere. Cananaeos, ſtrenuos Idololatriae adſertores, Dei iuſſu debellavit vertitque in fugam Ioſue ſeptem fere annorum ſpatio, uti divina Hiſtoria teſtatur (1). Interim pulſi fugatique ex Cananaea Phoenices, ubique per orbem diſperſi, Cretam & vicinas inſulas, mox Graeciam multaſque regiones, de quibus videndus magnus Bochartus, occuparunt. Italia his intacta ſuperfuit, ut idem Bochartus oſtendit (2): in hanc, variis caſibus exacti e ſuis ſedibus, ſive urgente ſterilitate vel fame, ſive metu diluvii aliarumve calamitatum, ex Peloponneſo Achaiae migrarunt *Aborigines*, qui Graeci generis fuere, ut tradunt Cato Cenſorius & Aſellio Sempronius, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi, quos tamen non ſequitur, utpote ſuae hypotheſi adverſantes: qui licet nec urbis nec ducis, quo id contigit, meminerint; tamen tantos viros id haud temere adfirmaſſe, ſed ex antiquioribus monumentis depromſiſſe, certo certius eſt. Hi igitur Graeci generis, primi fuere Latii coloni, qui illum Italiae tractum, qui inter Tiberim & Latium extenditur, habitarunt, ab antiquiſſimis temporibus *Latium* dictum. Ab his urbes vel conditas vel poſſeſſas ſane multas enumerat Dionyſius (3).

Poſt Aborigines diverſis temporibus in Italiam traiecerunt *Siculi*, *Vmbri*, *Ligures*, & *Auſones*, ſive *Aurunci*, quos aliqui ante Aborigines adveniſſe exiſtimant. Hos Scythicae originis, ab Auſone Atlantis filio ductos in Italiam, atque eſſe Homeri Laeſtrigonas, docte ſuſpicatur Theodorus Ryckius (4), praecipue ex moribus & corporis proceritate, quibus hic populus inſignis fuit: cui coniecturae favet Plinii locus de Scytharum origine (5). At Romani Scriptores, *Pelaſgos* primos fuiſſe, qui poſt Aborigines e Graecia in Italiam venerint, firmiter crediderunt: adeoque Oenotriis anteriores tranſmigratione.

Pelaſgorum prima ſedes fuit Phoenicia, qui id nomen ſortiti ſunt, quod errabundi ciconiarum more, per totam fere Graeciam diſperſi fuerint (6), quae ex eorum nomine ante Deucalionem, vocata fuit Πελασγία: & non modo omnes Graecos, *Pelaſgos* dictos conſtat; verum etiam ſingulos quoque paene Graeciae populos,

(1) In Libro Ioſue Cap. XI.
(2) Geograph. Sacr. Lib. I. Cap. XXXIII.
(3) Antiquit. Rom. Lib. I. pag. 8.
(4) Differt. de prim. Ital. Colon. Cap. II.
(5) Lib. III. Cap. V.
(6) Plura de Pelaſgis Strabo Lib. V. pag. 221.

los, quum Pelaſgorum nomine cenſerentur, peculiari ſolum cognomine inter ſe fuiſſe diſtinctos. Sic Arcadiam incolentes, Πελασγοὶ Ἀρκάδες nuncupabantur: Attici, Πελασγοὶ Κρανάοὶ: priſci Iones, Πελασγοὶ Αἰγιαλέες; & ita de omnibus prope ceteris. At ſub Deucalione eiuſque liberis, ut notat idem doctiſſimus Praeſes de Bouhier, Pelaſgorum gloriam paullatim tamdem decreviſſe certiſſimum eſt. Deucalion enim eos e tota fere Theſſalia, quae Pelaſgorum tunc erat caput (1), expulit; ita ut eorum pars maior in Cycladas, aut Cretam, aut alio confugerit, quemadmodum docet Dionyſius Halicarnaſſeus (2). Ceteri, ab Hellene e Phthiotide pulſi, in Hiſtiaeotidem migravere: unde mox a Cadmeis eiecti, variiſque fortunis acti, tandem in Peloponneſum venerunt, mutatoque nomine Dores vocati ſunt. In Italiam perluſtratis pluribus orbis regionibus veniſſe probabile eſt vel circa Deucalionis aevum, vel, quod pronius crediderim, poſtquam Cadmo in Graecia imperante, omnibus calamitatibus adfecti, novas quaerere ſibi ſedes coacti ſunt. Iam enim in Italia quatuor ut minimum aetatibus ante Troianum bellum validos, opulentoſque fuiſſe, credibile eſt, quum, duabus aetatibus ante Troianum bellum deficere occepiſſent, maximiſque adfici calamitatibus, ut tradit idem Dionyſius Halicarnaſſeus ex auctoritate Myrſili Lesbii (3): quae calamitates in Tabulis Eugubinis tum Pelaſgice tum Etruſce ſcriptis, trium annorum ſpatio duraſſe memorantur. Hinc ſuſpicandi non levis praebetur anſa, Pelaſgos & Etruſcos unius nationis diverſos colonos fuiſſe, quod etiam coniicit Bourguettius, & utroſque vel ſimul, vel modico interiecto tempore Italiam occupaſſe; ita tamen ut in interiore Etruria Etruſci tantum, in exteriore vero praeſertim in Latio, Vmbria & Piceno Pelaſgi habitarint, qui duplici idiomate uterentur: quod ex Tabulis Eugubii inventis, nuperque interpretatis, facile, ni fallor, colligi poteſt. Quod vero Tyrrheni ac Pelaſgi eiuſdem generis eſſent, teſtantur etiam plures veteres auctores, quorum loca adfert doctiſſimus Bochartus (4), ad quem lectorem mitto.

Etſi vero diſertiſſimo Plinii teſtimonio conſtet (5), Pelaſgos litteras Latinis tradidiſſe, haud tamen inficiandum puto & ab Etruſcis nonnullas Latinos accepiſſe. De K, quam ita Etruſci ſcribunt > · < · ꓘ · ꓘ · ꓘ · K · minime dubitandum eſt; haec enim numquam occurrit in Pelaſgorum inſcriptis Tabulis: ſaepiſſime vero

(1) Vide Dionyſium Halicarn. Lib. I. 15.
(2) Antiquit. Rom. Lib. I.
(3) Ibidem.
(4) Geograph. Sacra Cap. XXXIII.
(5) Lib. VII. Cap. LVI. Vide etiam Diodorum Siculum Lib. V. Bibl. Hiſt. 228.

vero in Etruſcis, tum etiam in monumentis in noſtra Etruria repertis. Hanc litteram ab Etruſcis inventam, originem dediſſe putat Bourguettius x Graecorum, de qua nonnulla ſuperius adnotavimus (1): eamque cenſet, antequam in Italiam migrarent, ab iiſdem inventam fuiſſe. Aeolicum vero digamma, quod Etruſci, olim Aeoles, ita ſcribunt ꟻ . ꟻ . ɔ . ɔ . ꟻ . ꟻ . ^ . ɟ . λ . non a Pelaſgis, apud quos in uſu non fuit, ſed ab Etruſcis dubio procul ad Latinos manavit, qui eo etiam per plura ſecula uſi ſunt (2). Duplicem quoque litteram xs, duarum litterarum ſono permixtam, primi excogitarunt Etruſci, atque ita expreſſerunt ᚼ & ϛ. de qua alibi diſſeruimus (3). In Pelaſgicis Tabulis numquam x occurrit. Etruſci Vmbriam incolentes ſcripſere κs. ut videre eſt in Tabula III. penes Dempſterum verſ. 24. & 30. in qua legimus ƧИƎϘ˥AϘB. His adde 8 & ɸ ut in Tab. CXCV. num. 1. a qua Graeci ſuam efformarunt ɸ. Adde ᴪ, cuius exemplo Graeci x, *Chi* expreſſerunt: adeoque evidens eſt, in litterarum inventione Etruſcos Graecis praeluxiſſe; nam Graecorum Phoeniciae ſive Cadmeae litterae, melius referunt Etruſcorum elementa, quam Pelaſgorum: manifeſtumque eſt etiam, tres ſaltem litteras, ni forte plures, Etruſcos, non vero Pelaſgos, veteribus Latinis monſtraſſe. Notas quoque numerales omnium primi Etruſci Latinis ac Romanis oſtenderunt, quae in eorum ſepulcris (4), in numiſmatis, & in Tabulis Eugubinis, Etruſce ſcriptis, occurrunt, nimirum I . V . X . ⅃ . C . Ↄ . M . de quibus alibi.

Poſt Aborigines, ceteroſque ſuperius memoratos, item Pelaſgos & Tyrrhenos ſive Etruſcos, ut vidimus, tanta cum Graecis adfinitate, litteris, idiomate atque elegantia coniunctos, variis tamen dialectis utentes, in Italiam immigrarunt Oenotri, ſive Arcades, quos perperam Dionyſius facit Aborigines. Poſt hos, Tyrrhenorum & Evandri adventum non recte, ut opinor, ponit Ryckius; nam Tyrrhenos in Italiam multo ante migraſſe credibilius videtur, & forſitan ante Pelaſgos: qui quum eiuſdem originis eſſent, id forſitan Dionyſio anſam dedit, ut Etruſcos indigenas Etruriae crederet, quum de Pelaſgorum origine Graecanica non dubitaſſet. Id, praeter multas rationes, alibi opportunius adducendas, oſtendit primigenium Etruſcorum Alphabetum ſimplex, & ſexdecim litteris conſtans; quum e contrario Alphabetum Pelaſgorum pluribus aliis litteris abundet, quibus ſerius Graeci uſi ſunt, eaſque etiam Latini ſerius acceperunt.

An-

(1) Vide ſuperius pag. XXXII.
(2) Vide infra in Claſſe V. pag. 414. 415.
(3) Ibidem pag. 433. ad Tab. CXCVIII. 1.
(4) V. Bonarr. ad Dempſt. pag. 89. 94. 99.

Antiqui auctores non pauci [1], Tyrrhenos origine Lydos faciunt; verum, quia in Lydia diutius, quam in aliis locis forſitan morati ſunt, facile hinc locum famae datum crediderim, eos ex Lydis, atque ex urbe Sarde, quae Lydorum caput fuit, prodiiſſe. Lydum ferunt Tyrrheni fratrem fuiſſe: hinc ambos in Lydia regnaſſe. Ex nominum ſimilitudine, nemo eſt qui non videat ſaepiſſime corruptam tenebriſque offuſam Hiſtoriae veritatem. Hinc Moeonii frequenter vocati Etruſci, praeſertim a Poëtis [2]; quod Lydia Moeoniae eſſet proxima. Nonnulli [3] (quorum ſententiam amplector) neque ex Tyriis, neque ex Lydis Tyrrhenos ortos putant; ſed ex Lydis multa accepiſſe, nimirum Regum inſignia [4], primoſque Lydios modos in Italiam invexiſſe. Profecto extra dubitationis aleam eſt, e patriis ſedibus eiectos Tyrrhenos, Aſiam minorem paene totam luſtraſſe.

Quod vero, ut paullo ante dicebam, Etruſci ac Pelaſgi non in Theſſalia tantum, verum etiam in Thracia atque in Lemno, Imbro, Scyro, Lesbo, Aegei maris inſulis prope Thraciam, & in Samothracia moram fecerint, praeter Scriptores vetuſtiſſimos, qui id adfirmant, Herodotum [5] & Thucydidem [6] ceteroſque, quos citat Bochartus [7]: perſpicue id etiam docent adlata in hoc Muſeo Etruſco monumenta; nam Tyrrhenos coluiſſe conſtat Samothracum Deos, de quibus luculenter idem Bochartus diſſerit [8]: eorumque cultum a Phoenicibus accepiſſe ex dictis liquet. Multa tamen, quae Bochartus Phoenicibus tribuit, vereor ne etiam Etruſcis tribuenda ſint. Thracum Deus Mars fuit, ab iiſdem cognominatus Θούρας, *Thuras*: ab aliis ſcribitur Θούρης & Θοῦρος; unde in Homero ἐπιθετικῶς, Θοῦρος Ἄρης. Dorotheus Sidonius Poëta vetuſtiſſimus, ut obſervat Salmaſius [9], in Aſtrologia, Martis planetam ſaepe Θοῦραν vocat: quod Graecum vocabulum & *violentum impetuoſumque* ſignificat. Id ipſum cognomen Marti tribuerunt Etruſci; nam ИΑΘVϮ. *Turan*, prope eius imaginem ita ſcripſerunt in patera Etruſca, quae apud Dempſterum edita eſt in Tabula IV. e Muſeo Ficoronio. In ea Iuno & Minerva conſilium cum Apolline & Marte de evertendo Ilio

(1) Vide Herodotum Lib. I. c. 94. Strabonem Geograph. Lib. V. pag. 219. Plutarchum in Romulo, & in Quaeſt. Rom. 277. Feſtum in voce *Sardi*. Velleium Hiſt. Lib. I. Cluverium Ital. ant. Lib. II. qui alios plures auctores citat.

(2) Conſule Virgilium Aeneid. Lib. VIII. verſ. 479. & Lib. X. verſ. 155. & Servium in haec loca.

(3) Vide Bochartum Geogr. Sacr. Lib. I. Cap. XXXIII.

(4) Ex Dionyſio Halicarn. Lib. III. c. 61.

(5) Lib. I. 27. Lib. II. 48. Lib. VII. 180. 184.

(6) Lib. I. in principio.


(7) Geograph. Sacr. Lib. I. Cap. XXXIII.

(8) Ibidem Lib. I. Cap. XII.

(9) In Plinianis Exercit. pag. 872.

Troianaque gente capiunt : ac ſimul colloquentes , modum , quo id recte fiat , inveſtigare ac proponere videntur . De hac inſigni patera plura inferius adnotantur (1) .

Ex his igitur manifeſte adpatet , non ſolum in Theſſalia , Thracia & Samothracia Tyrrhenos fuiſſe ; verum etiam , quod oſtendere volebam , poſteriori origine Graecos eſſe , quod ſcilicet cum Pelaſgis Graeciam paene univerſam incoluerint , & lingua & moribus cum Graecis & Phrygibus aliiſque nationibus convenerint , contra Dionyſii opinionem . Siquidem ex Oriente facta gentium diſperſione , ex Aegypto in loca Cananeae proxima migrarunt cum Phoenicibus , quorum filii ac diſcipuli fuere (2) : e Phoenicia eiecti , profligante eos Ioſua bello & armis (3) , Cretam ac proximas inſulas petierunt : deinde in Graecia conſtitetunt , litteraturam omnem ante Graecos docentes : demum variis caſibus exagitati , eiectique Cadmi infenſiſſimi hoſtis potentia , per orbem diffuſi , ubique tamdiu vagarunt , quoad fixas quietaſque ſedes in Italia invenirent . Idololatriam vero primum ab Aegyptiis , deinde a Phoenicibus , ſimulque artes & litteras ab utriſque didicerunt , quod etiam ex mox dicendis luculentius conſtabit .



MV-

(1) Ad Tab. XL. pag. 112. & 113.
(2) Vide Henr. Noris de Epochis Syromaced. Diſſertat. IV. pag. 295. 296.
(3) Vide Edmundum Dickinſonum de Delphis Phoenicizantibus Cap. III. & XII. ed. Oxoniae a. MDCLV.



MVSEI ETRVSCI

CLASSIS I.

DEOS PROPRIOS SELECTOS ET COMMVNES ETRVSCORVM EXHIBENS.

TABVLA I.

IANVS

Pater Tuſcorum Deus, omnium primus.



N ipſo aditu huiuſce THESAVRI ETRVSCARVM ANTIQVITATVM, quem litterariae reipublicae bono, emenſis lubenti animo tot laboribus, aperio, operae pretium me facturum arbitror, ſi tangam praecipua quaedam argumenta, quae meo iudicio declarant, haec antiquiſſima DEORVM ſigna Tuſcanici operis eſſe, nullique genti, quam ETRVSCAE, omni ſuperſtitioni addictiſſimae, eſſe adſignanda. Id enim primum cavendum mihi omni ope eſſe video, ne adlata tam inſigni veterum ſigillorum copia, quae ab Etruſcis artificibus confecta eſſe contendo, ab his, qui in antiquitatis cognitione ac ſtudio non ſatis verſati ſunt, turpi nota vel

A auda-

Digitized by Google

audaciae, vel temeritatis inurar. Siquidem veritatis amor rebus omnibus, & ipſi patriae gloriae ac ſplendori eſt praeferendus. Singula igitur, quae in lucem nunc primum profero, omnium quotquot exſtant vetuſtiſſima monumenta, Aegyptiis exceptis, perluſtratis Etruriae celebrioribus Muſeis, atque his quae Florentiae ſunt, praeſertim vero Regio Mediceo Cimeliarchio, diu multumque diligenter expendi & obſervavi: habitoque inſuper calculo virorum rei antiquariae peritiſſimorum, pro Etruſcis operibus habenda eſſe una cum ipſis cenſui.

Primum talia eſſe indicat opificii genus; nam Tuſcorum ſculptura (quod etiam Quinctilianus (1) obſervavit) primoribus praeſertim ſaeculis duriuſcula eſt, & in quibuſdam partibus aliquantulum rigens: quam ob rem non pauca ex his ſignis vix aequare poſſunt molliora illa, exquiſitique artificii plena artificum Graeciae praeſtantiſſimorum opera; quamvis in ornatu ac varietate, in veſtium concinnitate, in inventione, in quadam, ut ita dicam, virili elegantia ſolidaque maieſtate, vel minime illis cedant, vel facile cum ipſis de principatu & gloria certare poſſint. Conſtat enim Etruſcam nationem, ingenio atque eruditione excultiſſimam, omnes artes omneſque diſciplinas in Italiam invexiſſe; homineſque in Pictura, Sculptura, Architectura, Plaſtice, atque in fuſoria arte ſummos ac praeſtantiſſimos habuiſſe: quod certe haec quoque inſignia opera, & ea quae praeclaro Dempſteriano operi addita ſunt, manifeſte evincunt (2). In ſingulis Deorum imaginibus aliquid inſuper eſt vel inuſitatum, vel opido rarum, quod in ceteris eorumdem Numinum iconibus penes alias politiſſimas nationes minime obſervatur. Profecto Dii Deaeque Tuſcorum peculiari veſtium cultu exornantur; calceos gerunt Tyrrhenos lunatos, nunc clauſos, nunc apertos, loris etiam & vinculis uſque ad ſuras revinctos: interdum quoque ſandalia & crepidas habent elegantiſſimo opificio inſignes; quae non communem, ſed peculiarem ſpeciem a frequentiori uſu remotam praeſeferunt.

His ornamentis alia inſolitae formae addenda ſunt, videlicet torques, ſtroppi, monilia, inaures, periſcelides, armillae cum purae, tum duplices, compluribus bullis dependentibus ornatiſſimae: quae, quum in uſu eſſent apud Etruſcas feminas valde divites, atque in omnem luxum maxime effuſas, iiſdem quoque ornamentis, maioris cultus & elegantiae cauſa, Numina vel publico, vel domeſtico cultui Pontificum iuſſu, Augurumque adprobatione deſtinata, decoranda ac nobilitanda eſſe cenſuerunt: quae quidem longe

(1) Inſtitut. Orator. Lib. XII. Cap. X. (2) V. Bonarrot. §. XXXVII. ad Dempſt.

ge recedunt ab uſitato aliarum nationum inſtituto Deos exornandi, Aegyptiis exceptis, ut Iſiaca Menſa oſtendit; a quibus Etruſci noſtri, quod inferius ſatis luculenter oſtendam, omnia fere acceperunt, maiorique cultu amplificarunt.

His adde tibialia & cothurnos, quos Iunoni, Apollini, Baccho, Furiis, aliiſque Diis dedere: praeterea diademata, vel pura, vel gemmis diſtincta: baſes, vel calathos, vel modios in ſpeciem eorum, qui capiti Iſidis, Serapidis, ceterorumque Deorum, quos Aegyptii coluere, imponuntur: item tutulos, mitellas, nimbos, aliaque perrara capitis ornamenta: ad haec coronas duplices, praeſertim radiatas, corollas myrto laurove intextas, vel quernas, internitentibus inter folia gemmis, pretioſiſſimas. Adde etiam alas, quas ferme omnibus Diis Deabuſque tribuere, tamquam praecipuum divinitatis caeleſtiſque praeſentiae & maieſtatis inſigne; ad exemplum Phoenicum, & Aegyptiorum, qui primi Idololatriae, omniſque ritus & religionis inventores & amplificatores fuere, quemadmodum Herodotus (1), & Lucianus docent (2): quod inventum poſtea tum Graeci, tum Romani veteres artifices lubentiſſime amplexati ſunt, ut videre eſt apud celeberrimum antiquitatis interpretem Giſbertum Cuperum, qui alatos Deos utriuſque nationis enumerat, atque erudite deſcribit (3). Neque vero inter cetera argumenta, quae adferre poſſum, ut probem haec opera Tuſcanica eſſe, illud parvi momenti eſt, quod haec inſigniora ſigilla in Etruriae locis, olim populo atque aedificiis valde frequentibus, effoſſa & inventa eſſe conſtat; vel etiam in oppidis finitimiſque urbibus, quas olim Tuſcos noſtros tenuiſſe veteres Hiſtorici, ac Scriptores teſtantur.

Haec dicta ſunto de ſimulacris Deorum ex aere, quae inſcripta non ſunt Etruſcis litteris; nam de illis, quae litterata, &, ut ita dicam, loquentia exſtant, nullum profecto dubium eſſe poteſt. Notandum tamen eſt, quod ea quae litteris non ſunt conſignata, valde cum his conveniunt, atque idem opificii genus praeferre videntur. Ex his litteratis Etruſcorum parvis ſimulacris, quae nimirum, more vetuſtiſſimo ab Aegyptiis deſumto, inſcripta ſunt vel in veſte, vel in femore, vel etiam in crure, atque in brachiis (4), perpauca ad manus meas venere: multoque minus aurea & argentea, quae maleferiatorum hominum graſſante avaritia omnino periere: fictilia vero propter fragilitatem & ipſa intercide-

A 2

(1) Lib. II. 4.
(2) De Dea Syra in principio. Vide Io. Marshamum Saeculo I. pag. 34.
(3) Vide Eplic. in Tab. Apotheoſ. ſeu Conſecrat. Homeri pag. 169. &c.
(4) Lege Herodotum Lib. II. pag. 56.

ciderunt; quare ex his pauciſſima vidi: quotquot vero invenire potui in his Tabulis incidenda curavi.

Nihil dico de fulmine inuſitatae formae, quod Tuſci noſtri novem Diis, ut auctor eſt Plinius (1), dedere, editaque apud Dempſterum monumenta Tab. I. & III. teſtantur. Nihil de capillorum cultu, diſpoſitione atque artificio, qui aliam praeferunt ſpeciem, Graecis Latiniſque artificibus vix uſitatam: nam caeſaries Deorum vel brevis eſt vel prolixa, & in fine aequali linea vel tonſa, vel concinna diſpoſitione poſt humeros revincta, ſive ſoluta: adeoque interdum crines miro artificio ſculpti, ita ſunt in quaedam fila diſpertiti, ut facile numerari poſſint; quod opificii ſpecimen in aliis non obſervavi. Nihil de veſtibus floridis, palmatis, ſcutulatis, quae etiam gemmis ſparſae videntur, internitentibus quibuſdam inciſis globulis, vel radios in ſegmentis habent ad ornatum, fimbriaſque elegantiſſimas, vario opere pulcherrimo elaboratas, quae dumtaxat in Etruſcorum monumentis occurrunt: quae quidem & alia plura, quae vix diligentiſſime complecti poſſum, multo accuratius poſtea obſervabunt viri in antiquitatis ſtudio peritiſſimi.

Illud etiam ſilentio minime praetereundum, quod Dii Deaeque veterum Tuſcorum, praeſertim vero quae operis ſunt longe vetuſtiſſimi, atque, ut creditur, ante Troianum bellum fabricati, rudi ac ſimplici ſtructura, (quod nemo in aliis hactenus obſervavit) dextera vel laeva manu globum ſive pomum praeferunt: quae ſymbola quid deſignent, paullo inferius inveſtigabimus. Fateor, a Graecis quoque inaures Deabus datas, & quidem variae ac peculiaris formae, quae praeſertim in antiquis Siculorum nummis obſervantur: ſed compertum eſt Scriptorum teſtimonio, Tuſcos noſtros non ſolum Siciliam incoluiſſe (2), verum etiam Lemnum & Athenas, atque inter Biſaltiam, Creſtoniam, & inter Edones complura oppida & loca occupaſſe (3), & cum incolis urbium Corinthi non amicitiam ſolum, verum etiam negotia & commercium habuiſſe: quod Thucydides, Herodotus, Diodorus Siculus aliique auctores memoriae prodiderunt (4). Armillis ornantur ſigna praeſertim Veneris apud Graecos: at vero apud Etruſcos non ſolum Veneri, verum etiam Iunoni, Minervae, Furiis, ceteriſque promiſcue Diis Deabuſque, vel etiam duplices armillae maioris cultus gratia tribuun-

(1) Hiſtor. Lib. II. Cap. LII.
(2) Meminit Heſiodus in Theogon. Vide Strabonem Geogr. Lib. VI.
(3) Ex Thucydide Hiſtor. Lib. IV.
(4) Vide etiam Plutarchum Lib. de virtutibus mulier. Herodotum in Clio Lib. I. Senecam de Conſolat. Cap. VI. Diogenem Laertium in vita Pythagorae.

Digitized by Google

buuntur. Quare, ut rem paucis abſolvam, ne lectoris eadem ſigna obſervare quantocius cupientis, abutar patientia, in his Tuſcorum operibus, quae nunc primum in lucem depromo in hac locupletiſſima ſupellectile, ſemper aliquid vel non uſurpatum ab aliis nationibus, vel ob inventionem curioſum & peregrinum ſumma cum animi voluptate adnotatur.

His praemiſſis ad enumerationem deſcriptionemque DEORVM, qui proprii ac peculiares fuere veterum ETRVSCORVM, quique nunc primum in his Tabulis exhibentur, gradum facio: atque eo lubentius, quia de his parum aut nihil diſſeruit ſummus omnis antiquitatis interpres Philippus Bonarrotius, Senatorii ordinis eximium decus, qui a Diis Conſentibus Tuſcorum exorſus eſt, quos ipſi cum Graecis & Latinis communes habuere. Primum igitur ordinem ducit IANVS, Italiae, ac praeſertim Etruriae *princeps Deus*, ut ait in Horatium Donatus (1). De eius origine, nomine & cultu in Diſſertatione I. inferius ſermo inſtituetur: quod etiam praeſtabo in illuſtrandis reliquis Diis, qui nunc in hoc operis veſtibulo breviter dumtaxat deſcribuntur. In Tabula I. num. 1. peculiaris eſt corona, quam gerit IANVS tamquam inſigne capitis ornamentum: quae quidem nec radiata eſt, nec turrita; licet radios & turrium pinnas aliquo modo imitetur: quae coronarum genera ab Etruſcis inventa fuiſſe alibi luculenter oſtendam. Florem patulis foliis apertum referre videtur; ut facile quis ſuſpicari poſſit, a flore foliis hiante in hunc modum capiti impoſito, cui divinum quid ineſſe veteres putarunt, petito a natura exemplo, ut fere uſu venire ſolet in rerum omnium inventarum primordiis, huiuſmodi coronam, ac praeſertim radiatam, quae patentem florem imitatur, originem duxiſſe: certe ea eſt antiquiſſima, nec in aliis ſignis ſimulacriſque Deorum apud Graecos, aut Romanos ad hoc tempus obſervata. Folia, in quae diſpertitur, ſunt decem. Ita apud Aegyptios primum omnium coronamentum capitis Deorum fuit loti flos, quem praeferunt Harpocrates, aliaque Numina ſculpta in Menſa Iſiaca, & apud Cuperum. Aegyptios fere in omnibus imitati ſunt Etruſci noſtri, ut ſuo loco oſtendam, qui coronam capiti IANI impoſuere, quae florem refert, uti hoc omnium longe vetuſtiſſimum ſignum oſtendit. Aliud etiam decus non praetermiſerunt, Aegyptiorum exemplo, pinnas addentes capiti Minervae, ut videre eſt in patera Etruſcis litteris inſcripta in Dempſteriano opere Tabula II. in qua Herculis apotheoſis exhibetur (2). Forte etiam hoc primum

(1) Vide in Epiſtol. ult.

(2) Vid. Obſerv. Ph. Bonarrotii pag. 11.

mum coronae genus fuit, quod ab Iano Tuſci inventum putarunt; nam, ut docet Draco Corcyreus in ſuis de lapidum generibus commentariis apud Athenaeum [1], Ianus primus coronarum inventor fuit [2]. Viſitur etiam non raro, ut inferius adnotabimus, eius caput in nummis ſignatum, querna vel laurea corona exornatum.

Obſervandum eſt, quod IANVS praegrandes aures habet; nec raro in hoc opere Dii bene auriti conſpiciuntur: qua in re, etſi peccare potuerunt primi Etruſcorum artifices, tamen id non ſine conſilio ac ratione ab ipſis factum fuiſſe arbitror. Ita enim Deos exprimentes, innuere voluerunt, eos intentis auribus percipere cultorum preces & vota. Id forſitan ita tangit Homerus [3];

Ος κε Θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ;

Qui Diis obtemperaverit, multum quoque ipſum audiunt.

Hinc Dii non ſolum PROPITII dicti, verum etiam AVDIENTES, & OBSEQVENTES appellati. Exſtat in Gruteriano Theſauro [4] vetus inſcriptio Graeca votiva, & alia inter Florentinas a me editas [5], quae Iſidi Fortunae, & Iſidi Bonae ΕΠΗΚΟΩΙ Εμικόῳ ſacra eſt; quae ita cognominatur, quod audiat ſupplicum vota & exaudiat. Bene ac ſapienter in ſacris Litteris [6] cultores Baal irridet divinus Elias clamantes de mane uſque ad meridiem, & dicentes, *Baal exaudi nos;* inquiens, *Clamate voce maiore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur*. Hanc cultorum falſorum Numinum dementiam ſubſannat quoque Arnobius [7], qui adnotat putaſſe dormire Deos ſi non exaudirentur; ideoque aereis tinnitibus, cymbalorum ac tympanorum quaſſationibus, ſymphoniarum & ſcabillorum ſtrepitu eos excitaſſe: itemque cantaſſe matutino tempore excitationes quaſdam collatis ad tibiam vocibus, ut ad annuendum votis audientes illos redderent. Lacedaemonii Iovem hac de cauſa cum quatuor auribus effinxere [8].

IANVS habet manus pendulas, non tamen lateribus omnino cohaerentes, more Deorum, quos Aegyptii coluere. Tunicula amictus eſt ſatis brevi, & ad talos demiſſa: pedes lunatis calceis,

quos

(1) Lib. v. Cap. XIII.
(2) Vide Nic. Leonicum de varia Hiſtor. Lib. I. Cap. LXXI.
(3) Iliadis Lib. I. verſ. 218.
(4) Pag. LXXIII. 8.
(5) In Parte I. Inſcript. antiq. Etruriae Vrbium pag. 81.
(6) Regum Lib. III. Cap. XVIII.
(7) Lib. VII. adverſus Gentes.
(8) V. Gyraldum Synt. I. Hiſt. Deorum.

quos Etruſci noſtri invenere, induti ſunt: contra vero nudipedes ſunt Dii veterum Aegyptiorum: quod dico, ne quis ab Aegyptio artifice hoc Iani ſigillum fabricatum eſſe ſuſpicetur. Peculiare etiam obſervandum ornamenti genus torques, ſtroppus ſeu torulus, intortum funem referens, quo, ut in aliis ſignis Deorum Etruſcae gentis conſpicitur, eius collum exornatur.

Obiicient heic forſitan aliqui, IANVM, qui ſedem in Ianiculo habuit in Etruſca Tiberis ripa, repraeſentari ſolitum cum gemina vel trina facie, vel etiam quadriformem: quale illud ſimulacrum fuiſſe memorat Servius (1), quod captis Faleriis Tuſcorum urbe, ibidem inventum eſt quaterno vultu inſigne. Hoc quidem non nego; ſed neque id obſtat, quo minus credam, hoc longe omnium vetuſtiſſimum ſigillum, quod ſpectatur in Mediceo Theſauro, Tuſcanici operis eſſe, atque ipſum IANVM referre. Nam idem Deus, quem Tuſci primum regem ſuum, Deorum omnium antiquiſſimum fecere, quemque primo in loco in ſacris ante omnes *patrem* praefari atque invocare conſuevere (2), non raro etiam unica facie ſculptus eſt: quod oſtendam ex aſſibus ſive ponderibus ac nummis, eius imagine ſignatis, mox in hoc opere adferendis illuſtrandiſque; quare de eius vultu plura ſuo loco.

Sequitur in Tabula I. num. II. aliud IANI ſignum ex aere maximae procul dubio antiquitatis, & quidem Tuſcanico artificio inſigne. Nam toto corpore nudus eſt, pudendis exceptis, quae ſubligaculis velantur: quod itidem Etruſci noſtri fecere exemplo Aegyptiorum, qui, ut videre eſt in Iſiaca Menſa, ita Deos cum ſubligaculis expreſſere. Hoc genitalium partium tegumentum διάζωμα appellat Suidas: quod poſtmodum ſibi proprium fecere athletae in arenam deſcendentes, ut erudite oſtendit Petrus Fabrius in Agoniſtico (3). Alas praeterea Iano, ut & ceteris Diis, dedere Etruſci: quo inſigni ſymbolo divinam, ut arbitror, ſummamque vim & poteſtatem innuerent, vel paratum celereque numinis auxilium, uti interpretatur doctiſſimus Bonarrotius (4). Propitium quoque ſe oſtendit Ianus, ſiniſtrae manus vola eo modo in ſupplices cultores converſa. Aliud ſigillum, huic valde ſimile, ſed non tantae vetuſtatis, vidi Florentiae in Muſeo nobiliſſimo Marchionum Riccardiorum.

Vt vero Ianum potius alatum referre putem, quam Iovem, vel Plutum, queis etiam alas veteres dedere, uti oſtendit Cupe-

(1) Ad Aeneid. Lib. VII. pag. 476. Vide etiam Macrob. Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(2) Vide Macrobium Saturnal. ibidem.
(3) Lib. II. Cap. IV.
(4) In Monumenta addita Dempſteriano Operi §. IV. pag. II.

Cuperus, id me potiſſimum movet, quod Iuppiter in Etruſcis pateris caelatus, atque in vaſculis pictus alio modo exhibetur (1), nimirum ſuperiore parte nudus, inferiore vero tectus, ſceptrum ſive haſtam & fulmen tenens, vel etiam tunica & pallio amictus (2). Pluto vero toto corpore nudus (3) repraeſentatur: quare ſolos Etruſcos, Aegyptiorum imitatores, femoralia Diis dare conſueviſſe, ex his aliiſque mox producendis monumentis manifeſtum eſſe arbitror.

IANVM Deorum Deum, Saliari carmine celebrari ſolitum (4), referre puto alterum aheneum paruum ſimulacrum, quod in eadem Tabula I. num. II. expreſſum eſt ex archetypo fere eiuſdem magnitudinis, quod in Mediceo Theſauro adſervatur. Quemadmodum & Saturnus fingi ſolet, caput habet velo tectum; nam peragrato fere univerſo orbe, tamdem in Etruria ſedem poſuiſſe ferunt. A laevo humero pendet amiculum, quod circa brachium advolvitur. Hoc ſignum non eſt tantae vetuſtatis, ut cum altero prolato num. I. comparari poſſit: eſt tamen ab antiquiſſimo Etruſco artifice eleganter fabrefactum. Elato dextro brachio manuſque digito, caelum ipſum Deorum ſedem indicare videtur; nam proditum memoriae eſt, teſte Plutarcho (5), eum primum omnium docuiſſe Italos homines Deos reverenter colere, primumque aras & templa in honorem Deorum ſacraſſe, itemque ritus & ſacrificia inſtituiſſe: quem ideo Numa maximo in honore habuit.

T A B V L A II.

VERTVMNVS
Deus Etruſcorum a Volſinienſibus praecipuo bonore cultus.

HOc ipſo anno CIƆ.IƆ.CCXXXV. prope Pratum Etruriae civitatem, in loco, qui vulgo dicitur *Pizzimonte*, una cum pluribus Penatium Deorum & Larum ex aere parvis ſignis & votivis donariis, erutum eſt hoc elegantiſſimum aheneum ſimulacrum, miro artificio expreſſum, quod procul-

(1) Vide apud Dempſterum Tab. XXX. & XXXII.
(2) Tab. I. ibidem.
(3) Tab. XCI. ad finem tom. II.
(4) Vide Crinitum Lib. IV. Cap. X.
(5) In Problemat. Rom.

culdubio Tuſcanicum eſſe nemo eſt qui non videat. Statim ac inventum eſt, ut in manus meas veniret, curavit humanitate propemodum ſingulari, ob egregia in rem litterariam merita vir celeberrimus Ioſeph Blanchinius Pratenſis, apud quem hodie adſervatur. Eodem in loco fanum ſive lucum Diis Penatibus Etruſca religione ſacrum fuiſſe, haec monumenta non obſcure indigitare videntur. Diademate revinctum eſt eius caput; e quo retro poſt humeros nullae vittae aut lemniſci dependent, Etruſcorum more: quod etiam alibi obſervavimus. Coma capitis brevis eſt, in orbem ita attonſa, ut & ipſa coronae ſpeciem praeferat. Id etiam poſtea aliarum nationum ſolertiſſimi artifices factitarunt: qui non raro crines Deorum, in modum coronae vel tonſos vel varie plexos, concinnarunt. Stat nudo pectore, nudo dextro humero, nudis etiam brachiis: reliquae corporis partes veſte, longe ornatiſſima ſummoque artificio caelata, quae etiam membrorum latentium nuditatem perbelle aperit, amictae ſunt: quae quidem veſtis haud alia eſt quam toga, ut mox oſtendam. Fimbria eiuſdem togae eſt operoſiſſima, radiis undique coronata Tuſcanico opificio, quo nihil pulchrius elegantiuſque cerni poteſt. Dei pedes, qui Tyrrhenis crepidis, & quidem ornatioribus, induti ſunt, plumbeae baſi, quae vaſculum quoddam refert, inſiſtunt: circa baſim additum eſt vetuſtiſſimum quoddam glutinum, peritiſſimis viris incognitum, certe inſtar ferri duriſſimum. Id factum arbitror, ne olim, quum alicui faſtigio vel columellae idem Deus, ut ſtulte credebant, infixus eſſet, priſco Etruſcorum ritu, facile a ſede ſua divelli, aliove evocatus transferri poſſet. Id notavit Prudentius deſcribens Caſtoris & Pollucis ſigna (1):

—————— magnique triumphi
Nuncia, ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Stultiſſimum hoc gentium conſilium acrius ita irridet Arnobius (2): *Si permanendi neceſſitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe, aut quid infelicius poterit, quam ſi eos in baſibus ita unci retinent, & plumbeae vinctiones?* Paullo poſt curam in Diis retinendis impediendiſque ita ſuggillat: *Si apertum vobis & liquidum eſt, in ſignorum viſceribus Deos vivere atque habitare caelites; cur eos ſub validiſſimis clavibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliiſque huiuſmodi rebus cuſtoditis, conſervatis atque habetis incluſos: ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, aedituis mille protegitis, atque excubitoribus mille?*

 Sed

(1) De ſimulacro Romae verſ. 230. (2) Lib. VI. adverſus Gentes.

Sed de hac Deorum effuſo plumbo, vel intrinſecus inani corpore, vel in baſibus coërcitione, ne ſcilicet fugiendi ipſis, aliiſque divellendi poteſtas eſſet, inferius redibit ſermo.

Facile dixerim, hoc inſigne ſimulacrum, ad archetypi magnitudinem in hac Tabula diligenter expreſſum, referre BACCHVM, praecipuo honore ab Etruſcis cultum (1); nam vultu non ſolum placido ac ſereno, ut plerumque Dii urbium ſervatores repraeſentari ſolent, verum etiam mirum in modum hilari ac ridenti fabricatus eſt: qui certe eidem Deo *laetitiae datori*, ut ait Virgilius, recte convenit. Verum alio habitu cultuque Bacchum caelatum conſpiciens in Etruſca patera, & in Etruſcis vaſculis pictum, quae adferuntur in Dempſteriano Opere (2); rationeſque praecipuas ex libris anquirens, queis opinionem meam firmarem, VERTVMNVM referre potius auguratus ſum: nam apud Propertium (3) ita ſe pingit, ut complura quae notat, non invito eius Genio, perbelle cum hoc ſigno conveniant.

Primum igitur idem Deus originem ſuam exponens, Tuſcum ſe eſſe fatetur, atque a Volſinienſibus, apud quos antiquitus maximo in honore fuit, ad Romanos, ut puto, evocatione facta, tranſlatum; eo fortaſſe tempore, quum Romulus contra Sabinos belligeravit: apud quos ſtatuas, aedes, vota, ferias, ſacrificia annua, quae *Vertumnalia* ab eius nomine dicta ſunt, rite promeruit. Ita igitur ait:

> *TVSCVS ego, e TVSCIS orior; nec poenitet inter*
> *Troelia Volſinios deſeruiſſe focos.*

De Vertumnalibus ſacris diſſerui ad monumenta addita Donianis Inſcriptionibus antiquis Tabula IX. illuſtrans votivum marmor inſigne, opere anaglypho caelatum, quod exſtat Romae in locupletiſſimo Muſeo Victorio (4). Poſt haec apud eumdem Propertium nominis ſui cauſas exponit: nimirum quod ſit Deus varius, mutabilis, multiformis; adeoque iuxta tempora, in quae annus circumagitur & vertitur, nunc ſit arator, ſeminator, meſſor: nunc vinitor, plantator, inſitor, olitor: nunc foſſor, frondator, paſtor: nunc mercator, venditor: nunc deſultor, auriga, piſcator, auceps, & quid non (1)? Quod vero in rem meam facit, aliorum Deorum ſpeciem ſe furari poſſe adſeverat, quos enu-

(1) Vide Ariſtidis orationem in Bacchum; Lucianum de Saltatione; & Cl. Matth. Aegyptium in S. C. de Bacchanalibus.

(2) Tab. III. & XI.

(3) Lib. IV. Eleg. II.

(4) Vide pag. 73. Tab. IX.

(5) Vide I. Cruquium in Horatium Sermonum Lib. II. Satyr. VII.

enumerat, & quidem principe in loco Bacchum, deinde Apollinem & Faunum. Iactat etiam ſe non ſolum puellam, Cois veſtibus indutam, verum etiam virum ſumta toga conſpicuum referre poſſe. Ambigua certe eſt in hoc aheneo ſigno eiuſdem Dei forma, ut non ita facile dignoſcas, utrum mas an femina ſit: marem tamen potius refert; nam papillae non tam bene tumentes ſunt. Sed praeſtat ipſum ita loquentem apud Propettium audire:

Opportuna mea eſt cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella:
Atque virum ſumta quis neget eſſe TOGA?
Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, ſi modo plectra dabis.
Caſſibus impoſitis venor; ſed arundine ſumta
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.
Eſt etiam aurigae ſpecies VERTVMNVS, *& eius*
Traiicit alterno qui leve pondus equo.

Quae diximus de eius cultu, confirmari poſſunt Acronis auctoritate (1), qui ita ait: *Is Deus poſitus erat in multis locis civitatis: fere enim in omnibus municipiis Italiae conſecrabantur eiuſmodi ſimulacra, quibus ambigui vultus eſſent: prout dediſſent eis habitum, ita in diverſas facies numinum verterentur*. Ptaeſtat etiam Alexandri ab Alexandto verba adferre (2), e quibus colligimus, ubi Vertumni templum Romae fuerit, & quanto in honore & cultu apud Tuſcos habitus; ita enim inquit: *Ex vico Tuſco, & Velabro per boarium Forum in clivum publicum flectebatur, atque in aedem Iunonis Reginae: ibique aedem* VERTVMNI *fuiſſe auctores tradunt: qui Deus inſtar magni numinis apud* TVSCOS, *& multo in honore fuit; in capite enim vici Tuſci, inter Circum maximum & Aventinum, Argiletum, & ſepulcrum Argi viſebatur*.

Toga igitur, qua amictus cernitur, plane inſignis eſt, atque ornatiſſima, qualis hunc Deum decet, ut notat Propertius, itemque Tibullus (3), qui eum multiplicis ornatus ſtudioſiſſimum facit, ita inquiens:

Talis in aethereo felix VERTVMNVS *Olympo,*
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

 Quod

(1) Ad Satyr. VII. Lib. II. Horatii.
(2) Genial. Dier. Lib. II. Cap. XVIII.
(3 Lib. IV. Carm. II. in Sulpitiam: & vide quae notant viri docti.

Quod vero veſtis, qua VERTVMNVS inſignitur, toga ſit, nemo dubitare poteſt, vel qui heri antiquitatis ſtudio ſit initiatus. Togam imitatur Haruſpicis Etruſci, cuius ahenea ſtatua, Tuſcis litteris inſcripta, exſtat in Muſeo Mediceo, editaque eſt in Dempſteriano Opere Tabula XL. & in Muſeo Florentino Tom. III. Tabula LXXXI. niſi quod illa totum ſiniſtrum brachium tegit, haec vero non: cuius modi ea cauſa eſt, quod initio, vetuſtiſſimis ſcilicet temporibus, quum ab Etruſcis noſtris inventa eſt, non tam lata, ut ſequiori aevo, ſed anguſtior fuit, quae maxime ad ovalem figuram accedebat. De toga, eiuſque origine & uſu, ne nimius ſim, conſulendus ampliſſimus Senator Bonarrotius in Vaſa vitrea Coemeterialia (1), atque in Explicationibus & Coniecturis ad monumenta Etruſca addita Operi Dempſteriano (2). Quae vero opera in limbo caelata ſunt, ea, ut arbitror, in togis pictis referebantur; quae etiam, ut dicemus, ab Etruſcis ad Romanos pervenerunt.

Ceterum non pauci ſcriptores ſunt, qui Ianum & Vertumnum unum tantum Deum faciunt. Verum quod alter ab altero diverſus ſit, diſertiſſimum habeo Horatii teſtimonium, ex quo colligimus, eos duplici ſimulacro diverſaque ſpecie cultos fuiſſe; ait enim librum ſuum adloquens (3):

Vertumnum Ianumque liber ſpectare videris.

Foedata fabulis priſca Etruſcorum Theologia, confuſa quoque ſunt Deorum adtributa & officia; & quod uni conveniebat alteri tributum, nemo eſt qui ignoret (4).

Plura qui cupit, & quidem longe meliora, de Vertumno Deo, adeat nobiliſſimum Genium antiquitatis Laurentium Begerum, qui eiuſdem Vertumni adfert aliud inſigne ſigillum aheneum (5), cuius artifex antiquiſſimus hoc exemplo, diverſimode tamen, togatum Numen fecit. Multa ſunt, quae & ipſum Etruſci operis eſſe adſtruunt: id tamen quum ipſum prototypum non videam, non adfirmo. Caput habet corona e tortili gramine redimitum: dextera cornucopiae, laeva pateram omnigenis hortorum fructibus refertam gerit: quae omnia cum Propertiana deſcriptione perbelle congruunt. Pedes Etruſcis ſandaliis amicti conſpiciuntur: quo quidem ſimulacro nihil elegantius, curioſius nihil videri poteſt.

TA-

(1) Pag. 158. & ſequent.
(2) Vide §. XXXIII. pag. 56. 57.
(3) Lib. 1. Epiſtol. ultim. verſ. 1.
(4) Ex Macrob. Saturn. Lib. 1. Cap. XVII.
(5) Tom. III. Theſauri ſelecti Elector. Brandemburg. pag. 289.

TABVLA III.

POMONA

Dea, uxor VERTVMNI, *a Tuſcis culta.*

E Mediceo Theſauro editum eſt in Dempſteriano Opere Tabula XLI. aheneum Deae ſignum fere cubitale, eleganti artificio confectum, atque inſcriptione Etruſca poſt humeros exornatum: quam, quia in nonnullis peccat, in calce huius Tabulae III. ex archetypo a me diligenter deſcriptam, rurſus incidendam curavi. Huic aliud ſignum ex aere omnino ſimile, cubitum altitudine ſua excedens, adſervatur in eodem regio Cimeliarchio, quod in hac Tabula peraccurate delineatum exhibeo. Deeſt in hoc inſcriptio & caput: cuius loco caput alterius ſimulacri, quod modo indicavimus, repoſuimus, multo tamen fidelius expreſſum, quam in eadem Tabula XLI. apud Dempſterum videmus: poſteriorem quoque capitis partem, ne quid eruditioni deeſſet, adiecimus. Id ut facerem illud in cauſa fuit, quod non ſolum alteri perſimile eſſe, verum etiam eiuſdem Etruſci artificis manum non obſcuris notis redolere animadverti. In eodem capite oculi ex argento repoſiti ſunt, quod notandum eſſe cenſeo. Dextera manus non adhaeret femori, ſed ab eo aliquantulum diſtat: laeva non globum, ſed pomum gerit; nam in medio fere umbilicum vel coronam, uti malum punicum, refert.

Sed ut veniam ad deſcriptionem huiuſce ſimulacri, quod heic exhibeo; corona, qua Deae caput redimitur, myrtea eſt, vel potius foliacea: quod genus coronamenti egregie illuſtrat Carolus Paſchalius (1). E ſcapis, ad exemplum encarporum, quibus arae Deorum exornantur (2), prodeunt folia inter ſe compacta, quae retro tenui filo cinguntur, nullis dependentibus lemniſcis. Id, ut monuimus, vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuit apud Etruſcos noſtros. Frequenter enim in Tuſcanicis monumentis non ſolum Dii, verum etiam homines occurrunt coronati; ſed corona anteriorem tantum capitis partem vel foliis, vel lana cingit, atque utrimque ad tempora pertingit; ſed retro non folia aut lana, ſed filum ſolummodo viſitur, reliquum capitis revinciens.

Id

(1) Lib. I. Cap. XIII. de Coronis. (2) V. Philandrum in Vitr. Lib. IV. Cap. I.

Id ut obſervarem, identidem in familiari colloquio me admonuit Philippus Bonarrotius Senator ampliſſimus; quod ſibi de Etruſcorum moribus differenti excidiſſe aiebat (1). Non nego coronis lemniſcatis uſos eſſe Etruſcos; verum antiquiori aevo his caruiſſe obſervo: poſtea vero creſcente luxu additi coronis lemniſci, & quidem aurei, ut Plinius his verbis teſtatur (2): *Craſſus Dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit: acceſſeruntque & lemniſci, quos adiici ipſarum coronarum honos erat propter* ETRVSCAS, *quibus iungi niſi aurei non debebant.*

In medio eiuſdem coronae ſupra frontem congeſta in orbem viſuntur quaedam parva poma, ſive fructus, eiuſdem coronae decus pulcherrimum. Non adverſabor, ſi quis dicat his orbiculis gemmas indicari poſſe: verum quum gemmae in coronis Etruſcorum frequenter interiectis ſpatiis diſtinguantur, non coacerventur in hunc modum, poma vel terrae fructus facilius referre credam.

Hinc igitur conſiderata corona foliacea ſeu myrtea, in medio fructibus referta, pomoque, non autem globo, quod manu dextera tenet, probabilis coniectura orta mihi eſt, hoc ſimulacrum referre poſſe POMONAM, hortorum pomorumque praeſidem Deam; quam etiam patronam veteres dixere, teſte Varrone (3), qui eam cum Volturno, ſeu melius cum VERTVMNO Etruſcorum Deo coniungit. Hanc ſiquidem Vertumni uxorem faciunt auctores probatiſſimi, traduntque eodem cum viro ſuo apud Tuſcos inſigni honore cultam fuiſſe. Aliqui eamdem cum Dea NORTIA faciunt (4). Nomen POMONAE Tuſcum eſſe aliqui credunt (5). Eius cultum maxime poſt Etruſcos proſecuti ſunt Latini populi ac Romani, qui ei Flaminem Pomonalem tribuere (6), templumque & lucum ſacrarunt extra Vrbem, via Oſtienſi in agro Salonio ad duodecimum lapidem, diverticulo a miliario octavo: quem locum *Pomonal* (quae Etruſca vox eſt, nam plurimae in hunc modum deſinunt) dixere, ut auctor eſt Feſtus. Ovidius poſt Pomonam Deam, quam deſcribit, ſtatim Vertumnum adiungit (7): traditque, eamdem Deam ante Romam conditam a Proca rege inter Hamadryadas cultam fuiſſe; falcemque utrique tribuit, rei hortenſi valde opportunam. Romani veteres ſtatuarii eam cum ſinu pomis referto expreſſere (8).

Ad

(1) Vide etiam ad Tom. I. Muſei Flor. Claſſ. I. Tab. x. num. 1. & 11. pag. 28.
(2) Lib. xxi. Cap. iii.
(3) Lib. vi. de Lingua Lat.
(4) Vide L. Begerum Theſaur. Brandemb. Tom. I. pag. 67. & Struvium Antiquit. Roman. Syntagm. Cap. 1. pag. 180.
(5) Vide eumdem Begerum ibidem.
(6) Vide Feſtum.
(7) Lib. xiv. Metamorph. verſ. 622.
(8) Vol. iii. Muſei Florent. Tab. lxiii. pag. 65.

Ad formae decus (nam Tuſci omni cultu atque elegantiae lenociniis Deas ſuas exornarunt) pulcherrimi generis inaures additae ſunt : deeſt tamen , (quod in alio ſimulacro edito in Dempſteriano Opere Tabula XLI. conſpicitur) monile auguſtioris formae , nimirum pluribus bullis ex eo dependentibus nobilitatum : verum palla , quam ſiniſtra manu attollit , tam elegans , & in ſinus tam venuſtos concinnata eſt miro ingenio atque opificio , ut ad aliud exemplum in tota antiquitate provocare minime poſſim .

Pedes calceis ſeu crepidis Tyrrhenis , & quidem lunatis , ſunt longe ornatiſſimi : quorum ſub planta (quod ad hoc tempus a viris doctis obſervatum non video) catenae , ex eodem metallo fuſae , innexae ſunt : quae dubio procul indicant , hoc ſimulacrum , Etruſco more , vinculis aut compedibus vinctum fuiſſe , ne alio fugeret : vel ſi arae , ut credere etiam libet , impoſitum , ita fixum fuit , ut per catenarum annulos intromiſſa ferri lamina , vel clavo , quaſi peſſulo , impediret , ne Dea ipſa a manu irreligioſa alio transferri dimoverique poſſet : vel ſi forte vellet ab hoſtibus evocata alio transfugere , ab ea urbe , in qua divinis honoribus colebatur , cuius erat cuſtos & tutelaris Genius , minime poſſet abire aut excedere . In urbium obſidione ſolebant Dii conſervatores protectoreſque ab hoſtibus evocari votivo carmine : cuius evocationis formulam adfert Macrobius ex Q. Sammonico Sereno libro quinto Rerum reconditarum (1) , quam libet mihi heic proponere : *Si Deus , ſi Dea eſt , cui populus civitaſque Karthaginienſis eſt in tutela , teque maxime ille , qui urbis huius populique tutelam recepiſti , precor veneror que , veniamque a vobis peto , ut vos populum civitatemque Karthaginienſem deſeratis : loca , templa , ſacra , urbemque eorum relinquatis , abſque his abeatis : eique populo civitatique metum , formidinem , oblivionem iniiciatis , proditique Romam ad me meoſque veniatis : noſtraque vobis loca , templa , ſacra , urbs acceptior probatiorque ſit : mihique populoque Romano militibuſque meis praepoſiti ſitis , ut ſciamus intelligamuſque . Si ita feceritis , voveo vobis templa ludoſque facturum .* Vertumnum Deum Etruſcorum , obſeſſis Volſinienſibus a Romanis evocatum fuiſſe colligo ex eius verbis apud Propertium (2) , quae etiam ſupra recitavimus :

> *TVSCVS ego , e TVSCIS orior ; nec poenitet inter*
> *Proelia Volſinios deſeruiſſe focos .*

Ea de cauſa metu perculſi Tuſci , vel fortaſſe etiam iidem Volſinien-

(1) Lib. III. Saturnal. Cap. IX. (2) Lib. IV. Eleg. II. verſ. 3.

nienſes, Pomonam Vertumni coniugem, ne ab ea defererentur, catenis devinxerunt. Id quoque factum a Lacedaemonibus atque ab Athenienſibus memorant ſcriptores nobiliſſimi (1): quorum primi Enyalii ſeu Martis ſimulacrum, alteri vero Victoriae, ne abirent, vinculis revinxere. Tyrii, obſeſſa oppugnataque urbe ab Alexandro, aurea catena Apollinis ſimulacrum devinxere: araeque Herculis, cuius numini urbem dicaverant, inſeruere vinculum, quaſi illo Deo Apollinem retenturi, ut memorat Curtius (2). Alia in hanc rem inferius adnotabo, quum proferam Herculis Etruſci ſignum, plumbea maſſa, tamquam compedibus, cohibitum, ne alio evolaret: adeo curioſa fuit omnium fere nationum ſuperſtitio.

T A B V L A IIII.

N O R T I A

Tuſcorum Dea, ſumma religione a Volſinienſibus & Volaterranis culta.

STatuariam artem familiarem Italiae, quoque & vetuſtam, Plinius oſtendens (1), inter alia argumenta, illud etiam memorat, ſigna Tuſcanica per terras diſperſa, quae in Etruria factitata non eſt dubium. Deorum tantum putaret ea fuiſſe, ni Metrodorus Sceſius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum eſt, propter duo milia ſtatuarum Volſinios expugnatos obiiceret. In numero Deorum, quos Volſinienſes coluere, praeter Vertumnum, de quo paullo ante diximus, recenſenda & NORTIA Dea: quae, auctore Livio (4), praenobile apud eos templum habuit, araſque ſuo nomine ac divinis adpellationibus inſignes: quas vide inter Donianas inſcriptiones antiquas nuper a me editas (5). Praeterea diſertiſſimum habeo Tertulliani teſtimonium, qui complurium Italicorum municipiorum, ac proinde Etruſcorum locales Deos enumerans, ita ait; libet enim eius verba paullo altius repetere (6): *Vnicuique etiam provinciae & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriae Atagartis, ut Arabiae Duſares, ut No-*

(1) Pauſanias Lib. III. & Diodorus Siculus Lib. XVII. Biblioth.
(2) Lib. IV. Cap. III. num. 22.
(3) Lib. XXXIV. Cap. VII.
(4) Lib. VII. Vide etiam Feſtum Pompeium; Iuvenalem Sat. X. verſ. 74.
(5) Claſſ. I. num. 149. 150.
(6) In Apologet. Cap. XXIV.

Noricis Belenus, *ut Africae Caeleſtis*, *ut Mauritaniae Reguli ſui : Romanas*, *ut opinor*, *provincias edidi*, *nec tamen Romanos Deos earum*, *quae Romae non magis coluntur*, *quam qui per ipſam quoque Italiam municipali conſecratione cenſentur ; Caſinienſium Deluentinus*, *Narnienſium Viſidianus*, *Faeſulanorum Ancharia*, *Volſinienſium* NORTIA, *Ocriculanorum Valentia*, *Sutrinorum Hoſtia*, *Faliſcorum in honorem patris Curis*, *& accepit cognomen*, *Iuno*. Meminit etiam eiuſdem Deae Iuvenalis (1): ubi codices & interpretes in eius nomine variant. Sed veterum lapidum auctoritate legendum eſt non *Nurſia*, *Nurtia*, *Nurſcia*, *Northia*, *Norcia*, *Narſia*, *Norſia*, ut aliqui voluere, ſecuti propriam pronuntiationem ; ſed NORTIA. Ita perſpicue eius nomen ſcribitur non ſolum in aris, quae apud Volſinienſes eidem dedicatae ſunt, verum etiam in marmore, quod adfert Fabrettus (2), atque in hoc Florentino : quod, ut habet Reineſius (3), inventum eſt in fundamentis aedis S. Reparatae.

MAGNAE DEAE NORTIAE

Perſpicuum ex eo eſt, tum Etruſcos, qui haec loca, ubi poſtmodum Florentina Colonia conſtituta eſt, tum etiam ipſos Municipes & Colonos Florentinos Deam Nortiam coluiſſe, ac *magnam Deam* adpellaſſe : eo quod, uti de Fortuna ait Cicero (4), magna eius ſit vis in utramque partem, vel ad res ſecundas vel adverſas. Deae NORTIAE nomine, alios SORTEM, NEMESIN nonnullos, quamplures TYCHEN ſive Fortunam, ſignificaſſe tradit Martianus Capella (5).

Quod vero non ſolum Volſinienſes, ſed etiam Volaterrani ſumma religione coluerint NORTIAM Deam, ex eo arguere poſſumus, quod etiam num ſupereſt marmoreum ſimulacrum, ut creditur, eiuſdem Deae, profecto vetuſtiſſimum, Etruſcis litteris inſcriptum ; ſervaturque Volaterris in impluvio aedium nobiliſſimorum Virorum Petri & Ludovici Equitis Maffeiorum : quo etiam in loco obſervavi pervetuſta e marmore epiſtylia perelegantis operis, quae non invitus crederem fuiſſe eius templi eximia ornamenta. Temporis iniuria variis in locis labefactum eſt ; nam deeſt caput : collum, quod cernitur, ex gypſo & plaſte antiquitus inſtauratum minioque pictum fuiſſe adparet. Superne in foramine exſtat adhuc ligneus paxillus,

(1) Satyr. x. verſ. 74.
(2) Inſcript. domeſtic. Cap. x. pag. 742. num. 507.
(3) Claſſ. I. num. CXXXI.
(4) Lib. II. de Officiis.
(5) Lib. de Nuptiis Philolog. Cap. IX.

xillus, in quo caput facile inſeri potuit. Oſtendam inferius, Etruſcos conſueviſſe capita ſtatuis reponere. In humeris & pectore adhuc viſitur quaedam linea ſcalpro ducta, quae oſtendit id a vetuſto artifice factum, ut diligentius refecto opere corrupto inſtauraretur. Marmorea eſt ſtatua a collo uſque ad media crura: reliqua e lapide tophaceo conſtant, antiquo plane opere. Alta eſt Romanos pedes quatuor, ultra uncias quinque & dimidium. Quum autem vidiſſem in Tabula XLII. Dempſteriani Operis (1) magna cum incuria delineatum hoc ſignum, Etruſcam inſcriptionem multis cum mendis corruptam, iterum ſi producerem nova facie, putavi me operae pretium eſſe facturum. Meritum omne apud litteratos viros adſcribo amico meo optimo Hippolyto Mariae Cigna civi Collenſi, Pictori egregio, qui in antiquitatis monumentis obſervandis delineandiſque ſtudio & diligentia utitur maxima; nam quum & ipſum puderet in lucem prodiiſſe hoc ſimulacrum tam indiligenter delineatum, iterum ſumma fide a ſe pictum duplici ſchemate ad me miſit, quod nunc exhibeo.

Inſcriptio, quae ab humero dextero uſque ad dexteram manum veſte contectam excurrit, conſtat litteris Etruſcis octo ſupra viginti: quae quid ſignificent, alibi indicabimus: conferentibus patebit, quanto nunc ſint accuratius exſcriptae. Cultores eruditae antiquitatis lubenter amplexati ſunt, quod & ego lubentiſſime facio, clariſſimi Philippi Bonarrotii divinationem, qui putavit hoc ſimulacrum referre NORTIAM Etruſcorum Deam: quam celebres ſcriptores, ut vidimus, eamdem ac Fortunam eſſe cenſuere. Puellum ſuſtinet faſciis involutum. In marmorea urna Cluſina (2) puer, quem ipſa in ulnis geſtat, nudus eſt. Ita Praeneſtini Fortunae ſignum cum Iove puero fecerunt, quod deſcribit Cicero (3): ac forte ob celatum eius ortum, ARCANVM cognominarunt, ut docet vetuſta ara, edita inter Donianas Inſcriptiones pag. XLI. & apud Fabrettum (4). Praeterea Fortunae, ut obſervat idem Bonarrotius, infantem Plutum, divitiarum Deum, aliquando in manus dedere antiqui, ut videre eſt apud Pauſaniam (5): qui etiam notat, Cephiſodotum Athenienſibus Pacem feciſſe, Plutum in ſinu ſuo gerentem.

Eamdem Nortiam, ut opinor, referunt duo ſigilla ex aere, Tuſci operis: quorum alterum cum capite velato extitat Cortonae in Muſeo Academiae Etruſcae; alterum in Mediceo Theſauro.

TA-

(1) Tom. I. pag. 281.

(2) Tab. LXVIII. num. 1. apud Dempſt.

(3) Lib. II. de Divinat. Vide etiam quae de Fortunae imagine ſculpta in Gemma adnotat Cl. Bonarrotius in Obſervat. ad Numiſm. max. mod. pag. 226.

(4) Inſcription. Cap. V. num. 352.

(5) In Boeoticis Lib. IX. Cap. XVI.

TABVLA V.

ANCHARIA

Dea Etruſcorum, praecipue a Faeſulanis culta.

ANCHARIAM Deam cultam fuiſſe a Faeſulanis, qui in Etruria ſunt, perſpicue, ut vidimus, docet Tertullianus; ait enim *Faeſulanorum Ancharia*. In nonnullis codicibus perperam corruptis, pro *Faeſulanorum*, irrepſit *Aeſulanorum*, *Aeſculanorum*, & *Aſculanorum*. Rigaltius lubentius legit *Aſculanorum*. Vir doctiſſimus Sigebertus Havercampus, qui ſummo ſtudio recenſuit Tertulliani Apologeticum, perpetuoque Commentario omni eruditionis fruge referto illuſtravit, veterum codicum fidem ſecutus, edidit *Aeſculanorum Ancharia*: verum in notis praetuliſſe videtur alteram lectionem, *Faeſulanorum Ancharia*; quam vetuſti marmoris auctoritate, de quo dicturi ſumus, confirmat. Meo quidem iudicio aperte patet ineſſe mendum, ſi pro *Faeſulanorum*, quodlibet ex adlatis nomen reponatur; nam Tertullianus Deos recenſet a municipiis Italiae, ac praeſertim Etruriae adoptatos: *Aſculani* autem & *Aeſculani* fuere Piceni populi: Etruriae vero *Faeſulani*, ut in Parte II. Inſcriptionum antiquarum Etruriae Vrbium ſatis luculenter oſtendi (1). Igitur Ancharia Dea Faeſulanorum propria ac peculiaris fuit, adeoque ipſis reſtituenda. Accedit ara vetuſtiſſimae auctoritatis, quam Faeſulis repertam deſcripſit Lucas Holſtenius, atque ex eius ſchedis vulgavit illuſtravitque Thomas Reineſius (2), omnium antiquariorum doctiſſimus: quam ego quoque iterum in lucem protuli (3). Ea igitur ita ſe habet:

L. MAGILIVS. L. F. PAVLLI
NVS. VARISCVS. III. VIR
SIGNVM. ANCHARIAE
SVA. PEC. RESTITV
L. D. D. D.

Ex ea colligimus Faeſulis fuiſſe ſignum ſive ſtatuam Deae Ancha-

(1) Vide pag. 77. & ſeqq. Plinium Lib. III. Cap. VI. & Lib. VII. Cap. XIII.

(2) Claſſ. II. num. XXIII.

(3) In Parte II. Inſcr. ant. Etr. pag. 77.

chariae, nec dubium eſt, templum quoque: quam ſtatuam, dato loco, decreto Decurionum, ubi cum ara & hoc titulo collocaretur, injuria temporis, ut arbitror, labefactatam, pecunia ſua reſtituit L. Magilius Paullinus Variſcus, qui Faeſulanorum Triumvir fuit. *Anchariam* cenſet appellatam fuiſſe doctiſſimus Turnebus (1), quod furorem erroremque immitteret in eos, quos ſuo numine adflabat: eiuſque cultores ideo *Ancharii* ſeu *Ancarii* dicti ſunt, quaſi furioſi, immiſſoque a Dea furore perciti: quemadmodum, ut idem notat, ex antiquo Lexico, *Bellonarius* vocatur Bellonae furore correptus; nam, uti de furioſo loqui videtur Lucilius, qui ita apud Nonium ſcribit:

Haec eadem rudet e roſtris atque eiulitabit,
Concurſans velut ANCARIVS, *clareque quiritans.*

Simulacrum aheneum, quod profero, ad exemplum archetypi ſervata magnitudine diligentiſſime delineatum, cum propter raritatem ipſam, tum propter opificii vetuſtiſſimi elegantiam magno in pretio habendum eſſe nemo eſt qui non videat. Cur vero ANCHARIAM Deam ab Etruſcis, maxime vero a Faeſulanis cultam referre credam, illud in cauſa eſt, quod hoc ſignum prope Faeſulas repertum fuiſſe amici quidam mei prodidere: inde tranſlatum, per multos annos viſum eſt Piſtorii apud nobilem virum; deinde forte fortuna ad manus meas venit. Neque etiam dubium Etruſci artificis opus eſſe pereximium: quod perſpicue declarant pedes lunatis calceis ſeu crepidis ornati: inſuper diadema ſeu vitta maior; nam lata undique eſt & integra, neque lemniſcis retro pendentibus revincta, quod primum in uſu fuit: ad haec veſtis quoque in elegantes ſinus concinnata, e cuius angulo, ut mos fuit veterum Etruſcorum artificum, a quibus alii didicere, annexa eſt anſula ſive flocculus, vel ornatus gratia, vel quia antiquiſſimis temporibus veſtes ex eadem anſula ſuſpendi ſolebant, ut commodius ſervarentur, vel dilutis earum ſordibus ſoli exponebantur. Quod adtinet ad raritatem huius ſigni, notandum eſt, quod quum ſit Tuſcanici opificii, non recedit tamen in multis ab antiquiſſima Aegyptiorum ſculptura: adeoque non obſcure confirmat Senatoris Bonarrotii, viri in re antiquaria cautiſſimi ac perſpicaciſſimi, opinionem (2); cui, ſcrutanti vetera Tuſcorum monumenta, vehemens orta eſt ſuſpicio, Etruſcos noſtros in haec Italiae loca ex Aegypto veniſſe: eadem forte impellente Paſtorum in

(1) Adverſarior. Lib. XVII. Cap. XXIV. (2) Ad Monum. addit. Dempſt. §. XLVII.

in Aegyptum inferiorem incurſione, ob quam, ut cenſet doctiſſimus Ioannes Marſhamus (1), Aegyptii in Babiloniae & Aſiae partes, & praeſertim in Graeciam migrarunt, Colonias in eam deduxerunt, & urbes ſtatuerunt ſub Cecrope, Cadmo & Danao. Plura & in hoc ſigno ſunt, quae opinionem hanc confirmant. Primum occurrit ſtatus atque habitus eiuſdem Deae, quae more Deorum Aegyptiorum non gradientium, ſed in quiete ſtantium, pedibus ſimul iunctis inſiſtit, manuſque ad utrumque latus pendulas & cohaerentes habet: quae quidem licet admodum rudi opere confectae ſint (quod & in aliis ſignis Deorum Etruſcorum in ipſa artis infantia factum non raro offendimus) neque reliquis partibus reſpondeant; quamdam tamen praeſerunt vetuſtiſſimi opificii elegantiam auguſtamque maieſtatem. Aegyptiae ſculpturae clariſſimam notam praeferunt quoque capilli ſoluti, poſt humeros fluxi, prolixi, atque undique ita caeſi in fine, ut lineam ſuam nemo unus excedat. Tonſuram capillorum ſervant alia Etruſcorum ſigilla, quae tum Deos, tum Heroas referunt rebus in bello geſtis claros; quorum imagines mox in ſequentibus Tabulis adducam. Hac de cauſa averſam eiuſdem Deae partem in hac ipſa Tabula delineandam curavi numero II. ut caeſaries promiſſa, & ima in parte aliquanrulum attonſa, accuratius conſideretur. Is enim cum veſtium tum capillorum cultus vetuſtiſſima redolet tempora: in quibus, ut notat idem Bonarrotius (2), homines paucis contenti, longeque remoti a luxu deliciiſque recentiorum, rudiore ac naturae proximo cultu procedebant: adeoque perſpicuum eſt, Etruſcos, qui Aegyptios imitati ſunt, longiores capillos, natura id docente, nutriviſſe: atque iuxta morem ſuum ita Deos Deaſque bene capillatas effinxiſſe.

Servatur in Muſeo Bonarrotio ſignum μεσιτικὸν e ſilice, ſeu lapide ſubnigro duriſſimo, in quo quadrato loculo ſive aedicula ſculpta eſt Iſis Dea. Loculi extimus limbus circumquaque ſacris & arcanis Aegyptiorum notis ſcriptus eſt: quod inſigne monumentum in lucem protuli in Parte I. Inſcriptionum, quae exſtant in Etruriae Vrbibus Tabula XVII. num. 1. quod, ſi otium eſt, quaeſo vide. Faeſulis repertum fuiſſe tempeſtate ſua teſtatus eſt mihi idem Senator Bonarrotius. Ex hoc igitur adlatiſque monumentis perſpicuum eſt, Tuſcos in primordiis artis ſtatuariae ac fuſoriae, in qua mirifice excelluere, imitatos fuiſſe Aegyptios, quorum ſimulacra apud ſe retinuere: & quemadmodum Aegy-

ptii

(1) Saecul. VIII. pag. 110. 111. qui veterum Scriptorum teſtimonio id confirmat.

(2) In Explic. ad Monum. addita Operi Dempſter. §. XXXIII. pag. *62. 63.*

ptii Deos ſuos loquentes repraeſentarunt, nimirum inciſis litteris in anteriore ac poſteriore parte corporis atque in veſtibus; ita quoque litteris inſcripſere ſigna Numinum & virorum illuſtrium (quod deinceps videbimus) ut ita auguſtiora hominibus apparerent, maiorique veneratione & honore colerentur.

In ima parte tunicae aliquantulum ſupra pedes apparet etiam nunc caput ſeu bulla clavi: ex quo coniecturae locus non malae, ut opinor, hoc ſignum vel in aedicula, vel potius haſtae fixum fuiſſe, & in pompis deferri ſolitum. Mos fuit antiquorum Aegyptiorum, a quo reliquae gentes, ac praeſertim Etruſci noſtri accepere, in pompis ſeu ſupplicationibus Deorum deferre eorum ſimulacra: quod patet ex Menſa Iſiaca ab eximio Laurentio Pignorio illuſtrata. Paſtophori & Paſtophorae dicebantur ſeu viri ſeu feminae, quae ſigna Deorum in ferculis vel in thalamis deferebant; qui ornati erant picturis, caelaturis, auroque & argento inducti: de quibus vide diſſerentem praeſtantiſſimum Gisbertum Cuperum in Harpocrate. Imaginem Alexandriae Paſtophorae Deae Iſidis, quae perraro cognomine ΘΕΑ ΝΕΙΛΩΤΙϹ ΕΙϹΙϹ ΑΓΝΗ, *Dea Nilotis Iſis Caſta* dicitur, dedi ex marmoreo anaglypho Muſei ſuburbani Strozii, quo eius ſepulcrum Graeca & Latina inſcriptione inſigne exornatum eſt (1). Sculpta eſt hoc modo, nimirum raſo capite atque aperto; nudo ſinu, veſtibus, ut arbitror, lineis: dextera manu geſtat paſtophorium longiori haſtae impoſitum, e quo ſuperne adſurgit palma foliis radiatis, quae in Iſiaca pompa deferri ſolebat, ut narrat Apuleius (2). Verum ex hoc marmore intelligimus, paſtophorium fuiſſe tabulam ligneam bifrontem, utrimque pictam ſive caelatam, fortaſſe etiam inauratam vel inargentatam, cum effigie eius Numinis, in cuius honorem pompa celebrabatur.



Quum igitur hoc ſignum ex aere, quod nunc primum in lucem profero, in poſtica parte ſit valde excavatum, cernaturque eiuſdem aeris lamella ſuperne recurva; puto ita factum eſſe, ut firmius haerere poſſet haſtae ligneae, infixumque in faſtigio aliquo eminere vel adtolli, vel in pompa in altum ſublatum deferri poſſet, atque ita omnibus conſpicuum fieret. Pompas Deorum Etruſci quoque noſtri veterum Aegyptiorum imitatores ſagaciſſimi celebrare conſuevere; quae pompae viſuntur in va-

(1) In Parte I. Inſcr. ant. Etr. pag. 373. (2) Lib. 1. Metamorph.

vaſis Etruſco opificio pictae, quae tum in Opere Dempſteriano, tum in hoc libro exhibentur. Sed de his mox dicemus.

De Dea ANCHARIA, quum haec breviter adnotaſſem, iamque formis excuſa eſſent, opportune me admonuit vir Illuſtriſſimus ac Celeberrimus Iacobus de Comitibus, Patricius Aſculanus, Magni Ducis Etruriae a ſupplicibus Libellis, & ab intimis Conſiliis, cuius eximiam ſapientiam, ſingularem iuſtitiam, integritatem ac pietatem nullae umquam laudes aequare poſſunt; ut patria Aſculanorum monumenta diligenter obſervarem: quorum fide ſcriptorumque teſtimonio (1) perſpicuum eſſe comperi, Anchariam Deam & ab Aſculanis praecipuo honore cultam fuiſſe. Equidem ex his conſtat non ſolum aras ſolemni dedicatione inſcriptas, ſacrificia & inſignes cum ex aere, tum e marmore ſtatuas eidem dedicatas fuiſſe: verum etiam in eius honorem extructum fanum, ubi nunc inſigne cernitur Caſtrum, quod ab eadem Dea Ancharia *Ancharanum*, vel *Ancaranum* a maioribus inditum nomen retinet: quae quidem denominationis ratio magni momenti apud cultores antiquitatis eſſe debet, ut non Faeſulanorum tantum, verum etiam Aſculanorum patrium & locale Numen credatur.

TABVLA VI.

BELLONA
Tuſcorum, praeſertim vero Volaterranorum & Lunenſium Dea.

QVamvis inter Deos communes BELLONAM collocet Servius (2), ita ſcribens: *Dii communes ſunt, ut alii dicunt, Mars*, BELLONA, *Victoria, quia hi in bello utrique parti ſavere poſſunt: Dii communes ſunt qui ἄζωνοι dicuntur: ideſt, qui caeli certas non habent partes, ſed generaliter a cunctis coluntur*; tamen origine ſua proprium & peculiare Numen veterum Etruſcorum fuiſſe non dubito. Conſtat enim eius cultum ad Romanos

(1) Vide Guliel. Stuchium Antiq. Convlv. Addit. 1. ad Lib. II. Sebaſt. Andreantonellium Aſculanae Hiſtor. Lib. II. pag. 33. 34. P. Paulum Ant. Appiani e Soc. Ieſu in Vita s. Emidii Ep. & M. Lib. 1. Cap. VII.

(2) Lib. XII. Aeneid. ad verſ. 118.

nos tranſiſſe poſt victoriam de Etruſcis partam ab Appio Claudio Craſſo, cui poſtea cognomen Caecus fuit (1). Is enim bellum gerens contra Etruſcos, in medio pugnae diſcrimine, inter prima ſigna, ſublatis ad caelum manibus ut conſpiceretur, ita hanc Deam precatus eſt, ut narrat Livius (2): BELLONA, *ſi hodie nobis victoriam duis, aſt ego templum tibi voveo*. Hinc non obſcure colligere poſſumus, Bellonam, cuius ſacra tunc Romanis erant incognita, praecipuum Etruſcorum Numen fuiſſe. *Erat enim vetus mos*, quemadmodum obſervat Alexander ab Alexandro (3), *ut in urbium obſidione, ubi ad ultimam dimicationem ventum eſſet, tutelares Deos, ſub quorum praeſidio urbs foret, certo carmine & verbis conceptis in novas ſedes evocarent, templaque ampliora & ſolemnes aras illis promitterent: nefas opinati, Deos urbium praeſides, urbe hoſtiliter direpta, velut mancipia captivos ducere*. Vnde Appius Bellonae nomen & ſummam poteſtatem noverit, non explicat Livius. Crediderim, rituum morumque Etruſcae gentis ſatis peritum fuiſſe. Templum in honorem eius, ut voverat, fecit in Cenſura, quam ante ſuperiorem Conſulatum ſuſcepit, anno V. C. CDXLI. cuius templi dedicationem deſcribit Ovidius (4). P. Victor collocat eius aedem in IX. Regione, verſus Portam Carmentalem in Circo Flaminio: apud quam Senatus convocabatur, dabaturque plerumque e bello redeuntibus ducibus & legatis exterarum gentium, quos in urbem admittere nolebant, teſte Livio (5). Ante hanc aedem erat columella, quae bellica vocabatur: ſupra quam haſtam iaciebant quum bellum indicebatur, ut Feſtus & Ovidius ſcribunt. Hanc Deam, ut arbitror, Etruſci vetuſtiore appellatione DVELLONAM, qui & DVELLVM *bellum*, dixere (6). Huius Deae nullum ex aere ſimulacrum in compluribus Muſeis, quae per Etruriam diligenter luſtravi, invenire potui; quare ad Etruſca toreumata, quae profero in hac Tabula, confugiendum fuit.

Qua nam vero ſpecie, quibusve ſymbolis hanc Deam Tuſci expreſſerint, libet nunc ex priſcis eiuſdem gentis monumentis breviter praenotare. Alas ei aptarunt; ut oſtendit patera fictilis, eximio opere confecta, quam primus omnium in lucem dedit eruditiſſimus Michaël Angelus Cauſeus (7). Eam ecce iterum in hac Tabula num. 1. propono, tum quia inſignis eſt Etruſcoque opere commendabilis; tum etiam quia aliam fictilem, huic omnino ſimi-

(1) Vide Livium Dec. I. Lib. X.
(2) Decad. I. Lib. X.
(3) Genial. Dier. Lib. VI. Cap. IV.
(4) Faſtor. Lib. VI. verſ. 298. de Bellona plura apud Gyraldum Synt. X. Hiſt. Deor.
(5) Lib. XXVIII. Vide etiam Alexandrum ab Alex. Genial. Lib. VI. Cap. VI.
(6) Vide Feſtum in voce DVELLVM.
(7) In Muſeo Romano Sect. III. Tabula XXIV. quam explicat pag. 86. 87.

ſimilem, ſed male fractam vidi Volaterris apud Nobiles Viros Falconcinios, qui anno CIƆ.IƆ.CCXXXII. in agro Volaterrano in ſuis praediis erutam adfirmarunt: cuius fragmenta, ſi opus erit, inferius adducam. Tuſcos in ſacrificiis ea uſos fuiſſe, indicat globus in extima parte in medio excavatus, in quo medii manus digiti iniiciebantur, ut teneri facilius poſſet. A praeſtanti Etruſco artifice factam non dubito: quod etiam idem Cauſeus adfirmat. Quatuor currus in ea ſculpti ſunt, quadriiugis equis tracti. In eo, qui notatur num. 1. expreſſa eſt, ni fallor, BELLONA cum Marte, quam aliqui ſororem, alii uxorem, alii aurigam eius faciunt (1). In altero num. 2. viſitur Hercules clavam gerens, ſedenſque in curru cum Victoria. Herculis comitem Victoriam oſtendunt complura antiqua monumenta (2); quare etiam paſſim arae Herculi VICTORI dedicatae occurrunt. In curru num. 3. ſedet cum Dea alata, Deus Marti ſimilis, cum capite galea tecto: quem vel Terrorem, vel potius Pauſum Deum cum Pace eſſe dixerim. Meminit Pauſi Dei Arnobius (3): ex quo coniicit Turnebus (4), veteres exiſtimaſſe ab eo pauſam adferri & quietem poſt bellorum incendia: hac de cauſa cum eo ſculptam eſſe Pacem credo, quam Etruſci divinis honoribus adfecere; eamque in ſculpturis repraeſentarunt puellum in ulnis tenentem; quaeque in ipſo belli diſcrimine praeliantibus viris apparet, ut videre eſt in Etruſca urna marmorea, edita apud Dempſterum in Tabula LXVIII. In altero curru, qui ſequitur num. 4. viſuntur duae Deae. Alteram, quae utraque manu equorum habenas moderatur, quod non faciunt Bellona, Victoria, & Pax, Nemeſin Deam eſſe puto, bellantibus propitiam, victoribus nimium elatis adverſam. Quae vero veſtium cultu ornatior eſt, Venerem Deam refert, ut arbitror; quare otioſis manibus eam effinxit artifex. Bene & ipſa, tamquam comes & ſocia, coniungitur cum Diis Deabuſque in eadem patera expreſſis: praeſertim vero cum Marte, ut canit Lucretius (5):

Nam tu ſola potes tranquilla pace iuvare
Mortaleis, quoniam belli fera moenera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui ſaepe tuum ſe
Reiicit, aeterno devinctus volnere amoris.

Prope rotas quadriiugi currus, canes vel cervi, & ſerpentes velociſſi-

D me

(1) Vide Th. Dempſterum ad Roſinum Paralip. Cap. x. Lib. IV. & de Etruria Reg. Lib. I. Cap. XVII.

(2) Vide Inſcr. Donianas Tab. VI. pag. 55. Muſei Flor. Tom. II. pag. 35. 110.

(3) Lib. I. adverſus Gentes.

(4) Adverſar. Lib. XV. Cap. XXI.

(5) Lib. I. verſ. 32.

me currentes ſculpti ſunt. Circa capita Deorum retro volitant Genii, vel coronam vel copiae cornu gerentes. Cauſeus Numina galeata Minervam & Martem referre putat: cuius explicationem, a noſtra diverſam, ſi otium eſt, quaeſo vide.

Bellonae imaginem habes in hac ipſa Tabula num. II. Deſumta eſt ex pictura Etruſci vaſis apud Dempſterum Tabula XLVIII. Illa currum triumphantis ducis & pompam praecedit, galea pictaque tunica inſignis. Siniſtra tenet tubam, in plures ſpiras circumvolutam: e qua dependet pannus, cuius fimbria in plures radios diſſecta eſt. Deam belli praeſidem referre cenſet Bonarrotius (1).

Sequitur num. III. icon eiuſdem Bellonae, quae facem tenet, crinibus non paſſis, ſed collectis, more virginum. Eam cum coma ſparſa ſanguine pingit Silius Italicus (2):

Ipſa facem quatiens, ac flavam ſanguine multo
Sparſa comam, medias acies BELLONA *pererrat.*

Pugnantibus adverſus Regem immaniſſimis hominibus eadem adparet, furoremque face accendit, ut exhibet urna Peruſina apud Dempſterum Tabula XXI. num. 1. e qua delineandam curavi.

Habes num. IV. in eadem Tabula Bellonae imaginem deſumtam ex Etruſco ſepulcro Volaterris detecto, quod inferius producam. Eadem occiſis in bello duobus viris fortiſſimis, adſtat in medio, claſſicum canens. Coronam capite gerit, quae turritam non male refert, de qua ſuo loco. Induta eſt tunica ſuccincta, quo ad bellum ſit expeditior; reiecta in humeros chlamyde, quam fibula ante pectus ſubnectit.

Hanc Deam, bellorum moderatricem, praecipuo honore coluere Volaterrani, ut indicat ara marmorea votiva, eidem ſacra, quae a Donace Liberto Auguſti Menſore dedicata eſt. Eam illuſtravimus in Parte II. Inſcriptionum antiquarum, quae exſtant in Etruriae Vrbibus (3). Vidi Volaterris veſtigia antiqui templi in praediis Nobiliſſimorum Comitum Guidiorum, in cuius ruderibus inventae glebae tetri odoris ſanguine infectae; quare conieci Bellonae ſacrum olim fuiſſe: nam in eius honorem Bellonarii, qui frequenter in Vrnis apud Volaterras repertis ſculpti viſuntur, ſanguinem ſuum effundebant: de quo ſacro mox dicemus.

Exſtat etiam in Gruteriano Theſauro (4) titulus arae pervetuſtae, inventae in ruinis Lunae, antiquiſſimi Etruriae oppidi, quam

(1) Ad Monum. Dempſt. §. XXXI. pag. 54.
(2) Lib. V. Punicor. verſ. 220.
(3) Pag. 147. 148. 149.
(4) Pag. MLXVIII. 4.

quam Bellonae voti compos dedicavit Stephanus Imperatoris Veſpaſiani Libertus : ex qua , ut opinor , perſpicuum eſt , apud Lunenſes (1) divinos honores & praecipuum cultum promeruiſſe .

TABVLA VII. VIII.

VALENTIA
Tuſcorum , ac praeſertim Ocriculanorum , patrium Numen .

Diſertiſſime meminit huiuſce Deae Tertullianus , qui , ut ſupra vidimus , ait , *Ocriculanorum* VALENTIA (2) . Non eſſe legendum *Otriculanorum* , multoque minus *Cericulanorum* , perſpicue oſtendi in Notis ad Inſcriptiones Donianas (3) , auctoritate vetuſti marmoris votivi , quod Aurelius Fauſtus ex viſu DEAE VALENTIAE dedicavit : quodque , ut habent ſchedae Vaticanae , Ocriculi inventum eſt , ubi maxima religione haec Dea colebatur . Exactis Vmbris (nam Ocriculum in Vmbria eſt) Tuſci , ac praeſertim Ocriculani , Pontificum Augurumque conſenſu , proprium ſibi hoc Numen fecerunt . Facile crediderim , ab eius auſpicatiſſimo nomine urbi ROMAE nomen factum , quae prius VALENTIA vocata eſt , ut docet Solinus (4) . *Sunt qui videri velint , ROMAE vocabulum ab Evandro primum datum , quum oppidum ibi offendiſſet , quod exſtructum antea VALENTIAM dixerat iuventus Latina : ſervataque ſignificatione impoſiti prius nominis ,* ΡΩΜΗΝ *Graece , VALENTIAM Latine nominatam : quam Arcades quum in excelſa parte montis habitaſſent , derivatum deinceps , ut tutiſſima urbium arces vocarentur* . Rationem reddit doctiſſimus Salmaſius (5) : Ῥώμη Graece proprie eſt *Valentia* Latine ; nam ἐῤῥῶσθαι eſt *valere* Gloſſae : Ῥώμη , *Valentia* . Ita vocatur robur corporis , quod & ipſum ex eadem origine venit . Nam ῥῶμος & ῥώμη , ἀπὸ τοῦ ῥώεσθαι . Inde Latinum *robur* : inde etiam dicti Ρῶμος , Ρωμύλος , *vir fortis* . Inde Latinis priſcis *Romulus* . Feſtus : *Romulus & Remus a virtute , hoc eſt robore , appellati* . Veteres Romani *virtutem* proprie de viribus corporis , & robo-

(1) Vide Thom. Dempſter. de Etrur. Reg. Lib. IV. Cap. XX.

(2) Cap. XXIV. Apologetici , ex recenſione v. c. Sigeberti Havercampi .

(3) Claſſ. I. num. 169. pag. 36.

(4) Cap. I. de origine Vrbis Romae .

(5) In Plinianis Exercitat. in C. Iul. Solinum Polyhiſtor. pag. 5. & 6.

robore dixerunt. Ἀνδρείαν quoque ſic vocaverunt, ut Graeci etiam ῥώμην. Gloſſographi Graeci Ὑγείαν etiam interpretantur; quaſi tu dicas *Valetudinem*, pro *Valentia*. Ὑγείαν ſiquidem pro *valentia* uſurparunt; quum proprie ſit *valetudo*. ROMAM fuiſſe Aeſculapii filiam fingunt: a qua Romae urbi nomen impoſitum tradiderunt, ut Marinus ſive Marianus Lupercaliorum poëta; cuius hi verſus, qui apud Servium leguntur ad Eclogam I. ita digerendi ſunt & concipiendi:

Roma ante Romulum fuit:
Et ab ea nomen Romulus
Adquiſivit . . . .
Sed Diva flava & candida
ROMA *Aeſculapii filia*,
Novum nomen Latio facit.
Hanc conditricis nomine
Ab ipſo omnes ROMAM *nominant*.

Haec Salmaſius. Sunt qui adfirmant, ROMAM ab Etruſcis conditam fuiſſe, ſi fides Alcimo vetuſtiſſimo Hiſtorico, quem citat Feſtus (1). Romulum non potuiſſe civitatem ſuam condere, niſi Tuſcis adcitis, narrat Plutarchus in eius vita; quare facile eſt, antiquiſſimum nomen ROMAE datum fuiſſe ab Etruſcis Haruſpicibus, a nomine, ut opinor, huius Deae VALENTIAE deſumtum: quam meam coniecturam diligentius expendent viri docti. Veram huiuſce nominis originem non pauci ſcriptores fabularum ambagibus & caligine obſcurarunt: aliqui etiam depravarunt odio vel invidia in Etruſcam gentem: quod legentibus, praeter ceteros Graecos, Dionyſium Halicarnaſſenſem (2), acrius eidem infeſtum, perſpicuum eſt, ut iam adnotarunt litterati homines (3).

In nummis omnium plane antiquiſſimis, qui vulgo pondera, patrio ſermone *peſi*, vocantur, quos Romani primum aere fuſo ad exemplum Etruſcorum conflarunt, non vero percuſſerunt (4), de quibus inferius dicemus; cernitur in anteriore parte caput Deae ROMAE exornatum galea, vel lupina pelle & rictu contectum: in averſa vero Taurus furens, & ſub eo ſerpens ocyſſime currens: quae emblemata, ut mihi videtur, perbelle congruunt cum virtute

(1) Lib. XVI. Vide etiam Th. Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. I. Cap. IX.
(2) Antiq. Rom. Lib. I. pag. mihi 23. ac paſſim ubi Tuſcorum meminit.
(3) Vide Edmundum Dickinſonum in Diatriba de Noe in Italiam adventu, eiuſque nominibus Ethnicis pag. mihi 29. 30. 31. 32.
(4) Confer Bonarrotium ad Monum. Etr. addita Dempſt. Operi §. XXXVIII. pag. 78.

tute & robore, quod exprimit vetuſtiſſimum nomen VALENTIA, vel ROMA, eorum urbi poſtea inditum, quodque in iiſdem nummis ſcriptum legitur. In aliis eiuſdem generis nummis veterum Romanorum, pone caput eiuſdem ROMAE caſſide tectum, Minervae ſimillimum, conſpicitur clava & nota ∽, quae ſemilibrae pondus deſignat. Non abs re viſum eſt mihi haec praenotare, quum in lucem nunc primum adferam e Mediceo Theſauro ſimulacrum ex aere, profecto admirandum, ab eximio Tuſco artifice confectum, uti ex quibuſdam illuſtribus notis arguimus: quod quum habeat caput galea inſigne, & ſerpenticulum dextero brachio advolutum, puto, augurio plane non contemnendo, referre Deam ipſam, quam primum VALENTIAM ſeu VALETVDINEM, poſtmodum SALVTEM veteres dixere. Quod vero eam Tuſci coluerint, perſpicuum eſt non ſolum teſtimonio Tertulliani, verum etiam Martiani Capellae: qui M. Tullium ſecutus, qui, ex diſciplina veterum Etruſcorum, caelum diviſit in ſexdecim partes, in undecima regione VALENTIAM ſive VALETVDINEM collocavit, deditque ei comites Fortunam & Favorem. Eidem Deae VALENTIAE recte ſerpens tributus, tamquam ſymbolum & inſigne ſalutis; ſine qua robur & valetudo corporis ac mentis eſſe non poteſt. Quum enim, ut priſci Mythologi obſervarunt, ignea ac divina ſit ſerpentis natura, & acrior ſpiritus, atque aetatem ſubinde cum exuviis renovet (quod etiam eius exemplo facere videntur, qui e morbo convaluere) hinc ſacrum eſſe animal cenſuere: ideoque inter notas hieroghyphicas ſive ſacerdotales, ut quidam vocant, Aegyptii retulerunt (2). Deinde Diis ſalutaribus urbiumque conſervatoribus, atque etiam Genio & Heroibus hoc animal ſacrum eſſe voluere, veluti illuſtre vigilantiae, nec non ſalutaris auxilii ac providentiae ſymbolum (3).

Galea, quam capite gerit, pura eſt ſine cono & criſta; cui utrimque ad tempora volutae ſunt non minimo ornamento. Cingitur etiam caput ſacra vitta, quae non omnino a galea celatur, ſed evidenter adparet: quod raro aut numquam factum ab aliis artificibus obſervo. Tunica interior circa pectus quanto opificio ſit elaborata, vix dici poteſt. Plumario opere inſignis eſt; quam circa collum ambit radiatum quoddam monile: quod ornamentum Etruſci Statuarii valde auguſtum ac maxime dignum Dearum maieſtate eſſe exiſtimarunt. Eadem veſtis circa brachia ele-

(1) De Nuptiis Philoſoph. Lib. I. Vide etiam Gyraldum Syntagm. I. Hiſtoriae Deorum pag. 17.

(2) Vide P. Crinitum de honeſta Diſcipl. Lib. XVI. Cap. II.

(3) Lege, ſi vacat, Io. Marshamum Saeculo X. pag. 255. & 256. Franc. Iunium de Pictura vetor. Lib. I. Cap. IV. pag. 25.

elegantiae cauſa pluribus bullis ſive fibulis exornatur. Serpens, quem tenet manu dextera, circa brachium ita advolvitur, ut ſpeciem armillae exhibeat: laeva vero eo geſtu ita conformata eſt, ut aliquid praetuliſſe videatur. Denique palla, qua ſuperne induitur, miro artificio in ſinus ac plicas concinnata, tam belle refluit e ſiniſtro brachio, ut nihil pulchrius, praeſtantius nihil cerni poſſit. Sunt aliqui, qui putant, hoc praeſtantiſſimum ſimulacrum referre Minervam Ὑγείαν *Hygeam*, vel, ut legitur in antiquis aris, *Hygiam*, quam Athenienſes coluere. Id, ut arbitror, arguunt ex capite galeato, & ſerpenticulo, quem gerit. Verum quum videam, hanc Deam non habere Meduſae caput in pectore inſculptum, quod ſymbolum numquam Tuſci Minervam effingentes praetermiſere, ut infra videbimus: vel ſi non effinxere in pectore, in eius clypeo repraeſentarunt; probabilius cenſeo referre ipſam Deam VALENTIAM: quae, ut diximus, primum eadem ac ROMA Aeſculapii filia habita eſt: deinde etiam VALETVDO & SALVS appellata: cuius augurium quale fuerit, explicat noſtri Lycei eximium decus Angelus Politianus (1), ab Etruſcis dubio procul inventum: quae etiam divino cultu conſecrata ante Romam conditam, templum habuit in Etruria celeberrimum (2).

Sequitur in Tabula VIII. aliud ex aere ſignum valde elegans, opificio tamen non tam excellenti & exquiſito, ut cum altero comparari poſſit. Servata diligenter prototypi magnitudine, ſatis accurate exprimendum curavi. Exſtat in ſuburbano Muſeo Villae Nobilium Virorum Philippi & Bernardi Vecchiettorum, quae celebris eſt, patrioque ſermone *Il Riposo* appellatur. Picta Etruſcorum vaſa, aliaque inſignia monumenta, quae in eo adſervantur, humanitate ſingulari mihi indicavit vir Praeclariſſimus Antonius Maria Biſcionius, ob egregia quae edidit, & quae nunc parat opera, praeſertim accuratiſſimum Catalogum omnium manu conſcriptorum Codicum Bibliothecae Mediceae Laurentianae, & Hiſtoriam noſtrorum Etruſcorum Scriptorum, litteratis hominibus acceptiſſimus. Hoc quoque rariſſimum ſimulacrum referre arbitror VALENTIAM Deam, quae eodem ſymbolo inſignitur. Conſpicuae in eo ſunt omnes notae Tuſcanici opificii. Primum obſervatu dignum diadema ſive mitella auguſtioris formae: quam, ut faceret ornatiſſimam, ſolertiſſimus artifex quibuſdam ſegmentis, tamquam radiis, diſtinxit. Ex quibuſdam notis apparet, auribus appenſas inaures habuiſſe. Inſignis eſt torquis, e quo, Etruſco more, tres bullae dependent: quae etſi in ſpeciem cordis ſint factae, potius tamen

(1) Miſcellaneor. Cap. XIII.

(2) Vide Tacitum Annal. Lib. XV. num. 53.

tamen referunt folia arboris, quae quercus eſſe videntur. Hanc arborem veteres Mythologi auſpicato Diis ſalutaribus & ſervatoribus dedere; quod prima omnium ſit, ut docet Suidas, & natura ſua quodammodo aeviterna ſit & ſalutaris; nam eius fructu, fingunt, aureo aevo ſervatum priſcorum hominum genus. Quercuum vitae aequalem eſſe vitam Nympharum exiſtimavit Pindarus (1), quas ea de cauſa putat Hamadryadas appellatas fuiſſe. Bene conveniunt folia quercus huic Deae, quam viribus corporis, & incolumitati praeeſſe veteres Tuſci cenſuere. Palla velatum habet caput; quod in eo potiſſimum ſit valetudinis & ſalutis fons conſtitutus: ſitque mentis ſedes, animique & rationis habitaculum. Ita etiam velato capite non raro expreſſus in antiquis imaginibus Aeſculapius, eiuſdem Deae pater (2): vel cum pileo, velut Vlyſſes, vel cum petaſo, ne quid dicam de pallio (3); quamvis aliqui credant propter itinerum neceſſitatem. Dexteram manum exerit e palla, quae Tuſco more in laevum humerum reiicitur. Siniſtra ſerpenticulum tenet, illis magnitudine & ſpecie ſimilem, quos Etruria gignere ſolet: quique caput habet erectum, & in caelum converſum. In vultu Deae certat blanda comitas, cum ſevera quadam maieſtate & gravitate coniuncta.

TABVLA VIIII.

VOLTVMNA
VOLVMNA ET VOLVMNVS
Etruſcorum Dii proprii.

DEarum parva ſigna, quae exhibeo in hac Tabula VIIII. minime adfirmare audeam, referre VOLTVMNAM & VOLVMNAM, quae patria Tuſcorum Numina exſtitere: haud tamen eſt omnino improbabile. Illud, quod cernitur, relatum num. 1. apud me exſtat. Rudis ſculptura perſpicue oſtendit ſummam operis vetuſtatem, atque ipſam artis infantiam: aes

(1) Apud Plutarchum de Oraculorum defectu. Vide etiam Benedictum Averanium, Florentinum Tullium, Diſſertat. XXXVI. num. 1. in Virgilium.

(2) Imaginem Aeſculapii pueri adfert L. Pignori in Symbol. Epiſtolic. XIII. pag. 48.

(3) Vide Meibomium in Iuſiurand. Hippocrat. pag. 50. Cael. Rhodiginum Lib. XX. Cap. XII. pag. 773. vitam Hippocr. interprete Foeſio, Genevae MDCLVII. in fol.

aes vero, quo fuſum, optimi generis eſt; nam aliqua in parte lima expolitum, flavedinem auri refert. Simplici tunica amicta eſt Dea, gradienti ſimilis: dextera manu pomum tenet: ſiniſtra vero iamdudum fracta. Caput habet tutulo exornatum: ſupra tutulum eminet nimbus (ita enim a Latinis vocatur) ſive diadema, quod diſcum refert. In ſpeciem caſſidis ſine buculis confectum eſt, ut capiti imponi, & in eo ſtare facile poſſet. De hac inſigni divinitatis & maieſtatis nota, quam ab Aegyptiis Tuſci noſtri, a Tuſcis Romani accepere, opportune dicam ſuo loco (1). Quod vero hoc ſignum Tuſcanici operis antiquiſſimi characterem praeferat, praeter alia, oſtendunt etiam calcei lunati, quos Etruſci Diis dedere, quo auguſtiores cultoribus viderentur.

Alterum parvum ſimulacrum aheneum, eo in loco erutum prope Pratum, Etruriae civitatem, ubi Vertumni ſignum inventum fuiſſe ſupra diximus, vidi inter Cimelia Praeclariſſimi Equitis Ioannis Hieronymi de Pactiis Patricii Florentini, in quo vivit adhuc eximia avorum probitas, elegantiorumque Muſarum adſiduum ſtudium. Nihil dico de eius mitra, quae pileum Phrygium imitatur, quam undique ornant globuli, quaſi ea gemmis diſtingui ſoleret: deque alia corona, quae tamquam monile ex unionibus compactum, ſub mitra caput exornat: nihil de tunica ſcutulata vel picta, de torque circa collum, de calceis, deque geſtu, quem manibus facit, quae omnia diligenter obſervanda ſunt. Illud vero in hoc parvo Deae ſimulacro maxime notatu dignum, quod oculos habet clauſos; quod indicium eſt maximae antiquitatis. Siquidem complures auctores ferunt, cum primis vero Diodorus Siculus (2), Daedalum, ſumma artis ſcientia praeditum, in ſtatuis fabricandis mortales omnes ſuperaſſe: quandoquidem antiqui opifices ſigna ſua faciebant oculis clauſis, manibus demiſſis, & lateribus veluti agglutinatis, ac tamquam immota in ſede ſua: ipſe vero ſtatuarum oculos aperuit, pedes a ſe invicem ſeparavit, crura fecit gradientia, manus protenſas: adeoque merito in admiratione apud omnes fuit. Perſpicuum igitur eſt, hoc ſigillum eſſe antiquiſſimum. Suſpicabar etiam, ea de cauſa hanc Deam clauſis oculis effictam, quod ſomniis praeeſſet, vel malis avertendis, vel bonis immittendis. Nam veteres eos Deos, quos maxime colebant, tamquam ἀλεξικάκους, *malorum expulſores*, & averruncos, eos etiam ὀνειροπόμπους, *ſomniorum immiſſores* ſumma religio-

(1) Interim, ſi lubet, vide Laur. Pignorii Obſervationes in Menſam Iſiacam FF. pag. 45. 46. 47. 48. & Sen. Bonarroti in Vaſa Vitrea Coemeter. Tab. IX. num. 1. & 11. pag. 60. 61. 62.

(2) Lib. IV. Eius teſtimonium adfert Franc. Iunius, & erudite illuſtrat in Catalogo Pictorum &c. in DAEDALO: quem vide.

gione divinis honoribus proſequebantur. De Diis ſomniorum immiſſoribus egi in Parte I. Inſcriptionum antiquarum, quae exſtant in Vrbibus Etruriae, differens de Hercule SOMNIALI (1). Sed de hoc iudicium eſto penes viros doctos.

Pereleganti capitis & veſtis cultu ſpectabile valde eſt aereum ſigillum, quod num. III. & IV. in eadem Tabula profero, ex Cimeliis eruditiſſimi viri Petri Mariae Ferrarii, de Clericis Regularibus Scholarum Piarum, quod Genua ad me miſit, duplici ſchemate accurate delineatum. Torquis eſt omnium, quos viderim, elegantiſſimus. Dextera manus & pes ſiniſter fractus. Notandum hoc loci eſt, Etruſcos non ſemper calceatos Deos exhibuiſſe, ſed interdum etiam nudipedes: quod apud Aegyptios maxime ac conſtantiſſime in uſu fuit: uti videre licet in Menſa Iſiaca, atque in aliis iam editis veterum Aegyptiorum monimentis.

Alterum, incogniti mihi Dei, ex aere perparvum ſignum, relatum num. V., ſine dubio Etruſcum, exſtat in Mediceo Cimeliarchio. Cavi ſunt oculi, pro quibus gemmas, vel aureos vel argenteos oculos repoſitos fuiſſe auguror, invento Etruſcorum ſatis frequenti. Immanes & ipſe aures, quemadmodum Ianus, habet: de quibus ſupra dicebam.

Redeo nunc ad VOLTVMNAM, quam Etruſcorum Numinum primam habitam fuiſſe cenſet Thomas Dempſterus (2). Eius fanum longe celeberrimum, atque, ut credere fas eſt, donariis locupletiſſimum ac valde inſigne, fuit prope Volſinium: ad quod, utpote in medio totius Etruriae ſitum, frequenter concilia Etruſci habere ſolebant, ut memorat Livius (3); praeſertim de rebus ad bellum vel parandum, vel propellendum, vel ad auxilia obſeſſis ſociis ferenda, ad pacem vel foedera ineunda, maxime pertinentibus. Etruſcorum inſtitutum conveniendi, in rebus graviſſimis deliberandis, apud templa Deorum celeberrima, quod & Romani eorum exemplo fecere, egregie illuſtrat Alexander ab Alexandro: cuius obſervationes lubet adſcribere (4); ſiquidem, enumeratis duodecim Etruriae urbibus, quae capita populorum habebantur, ita inquit: *Hi ergo communiter Rege creato, hoſtili imminente tumultu, ſi qua arma ſuſcipienda aut detrectanda forent, unanimi conſpiratione & concordi conſilio conferebant: quod conſilium apud VOLTVNAE* (ita enim ſcribit pro VOLTVMNAE; an recte, neſcio) *fanum Etruſcae Deae, in totius Etruriae medio, habebatur. Fuit enim fanum VOLTVNAE prope Volſinium, ut vulgo iactitant, haud procul a Ciminiis iugis: quip-*

E pe

(1) Vide pag. 291. 292. 293. ad num. 14.
(2) De Etr. Reg. Lib. I. Cap. XV. pag. 62.
(3) Decad. I. Lib. IV. & V.
(4) Genial. Dier. Lib. III. Cap. XXVIII.

pe in agro Volſinienſi, quo facilior eſſet aditus conventus toti Etruriae, ſi quid conſulto opus foret, indicebatur: quod quidem nono quoque die indici ſolebat: & ob id crebra concilia, & nonas multipliciter apud Etruſcos inveniri tradunt. Lilius Gregorius Gyraldus, ubi meminit VOLTVMNAE Deae, monet videndum eſſe, an apud Livium legendum potius ſit VORTVNAE, ut *Vortumus*, quam VOLTVMNAE: cuius Deae, ut ipſe ait, non ſemel idem Livius meminit: quibus vero in locis, nec ipſe notat; neque mihi diligenter inveſtiganti occurrunt.

Qualis haec Dea fuerit, aut quibus ſacrificiis placaretur, Scriptores non exponunt. Id accidiſſe putat Thomas Dempſterus, quia Etruſcorum arcana religioniſque myſteria Romanis parum nota erant. Coniicere poſſumus, totius Etruriae tutelare Numen habitum fuiſſe; quaſi rerum recte gerundarum curam haberet: bonam mentem bonaque conſilia immitteret, & praeeſſet omnium populorum quieti & tranquillitati; nam ea, ut arbitror, de cauſa ad eius fanum conſilia & conventus frequentiſſime habebantur. Neſcio, an D. Auguſtinus hanc Deam indigitet, quum *Deam Mentem* memorat, & cum Diis Etruſcorum *Volumno* & *Volumna* coniungit: ait enim (1), invocationes factas DEAE MENTI, *ut bonam haberent mentem: Deo* VOLVMNO & VOLVMNAE *Deae, ut bona vellent*. Eius ope facile dixerim, Volſinienſium agris depopulatis, immane monſtrum e terra ortum, quod *Voltam* dixere, evocatum fuiſſe a Porſena Etruſcorum rege, ut narrat Plinius (2). Forte etiam, quia eiuſdem Deae nomen proprium, arcanum & occultum fuit, quodque efferre nefas habebant, ne ab hoſtibus carmine & precibus devoveretur (credebant enim preces apud Deos inefficaces, ſi proprium nomen non exprimeretur) ideo a monſtro *Volta*, alio evocato verſoque, VOLTVMNAM Tuſci cognominarunt. Auctor mihi eſt doctiſſimus Gisbertus Cuperus (3), licere etiam dubia interdum extrudere, ut alii ad ea diligentius illuſtranda incitentur.

Supereſt, ut aliqua de Deo VOLVMNO & VOLVMNA pro corollario breviter exponam. Fuiſſe haec Tuſcorum Numina, & ipſa praecipuo ritu & religione in Etruria culta, oſtendit Dempſterus (4). Quod bona vellent, ita appellata fuiſſe, coniicit D. Auguſtinus, ut paullo ante vidimus, adlato eius teſtimonio. Quum vero ſtatim nominet *Deos Nuptiales*, perperam aliqui, Deorum genera non diſtinguentes, Deos nuptiarum & coniugiorum praeſides Volu-

(1) Lib. IV. Civit. Dei Cap. XXI.
(2) Lib. II. Hiſtor. nat. Cap. LIII.
(3) Ad Numiſm. antiq. explic. pag. 235.
(4) De Etr. Reg. Lib. I. Cap. XV.

lumnum & Volumnam exiſtimarunt: quod fecit non ſolum Ioannes Roſinus (1), verum etiam Lilius Gregorius Gyraldus (2), quorum lapſum notat idem Dempſterus (3). Suſpicatur Dempſterus, VOLVMNAM Deam Etruſcorum a turritis arcibus, quibus praeeſſet, nomen accepiſſe: *Vola* enim Etruſca lingua *arx* aut *urbs* eſt: de qua alia plura erudite congerit. Quemadmodum a Dea *Ancharia*, familia *Ancariorum* nomen accepit, ut videtur, in Etruria clara, ac praeſertim Peruſiae ac Fulginii (4): ita a Deo *Volumno* & *Volumna* nomen accepere *Volumnii*, quorum frequens mentio in antiquis lapidibus: memorandusque eſt Volumnius poëta Tuſcus, qui Tragoedias Tuſcas ſcripſit, multo antea quam Tragoediae nomen Romae eſſet auditum (5).

TABVLA X. XI.

PILVMNVS ET PICVMNVS

veterum Etruſcorum, praecipue vero Ardeatium, Cumanorum & Peruſinorum Dii tutelares.

Etruſcorum Dii proprii fuere PILVMNVS & PICVMNVS: id enim indicat eorum nomen, ut videtur, Etruſcum; ſicut alia VERTVMNVS, VOLVMNVS, quae Etruſco modo definunt: quemadmodum etiam PORTVMNVS, portuum & maris Deus; in cuius honorem aedes in portu Tiberino facta, & feriae inſtitutae, quas Latini *Portumnalia* dixere, ut docet Varro (6). Auſpiciis & auguriis praeeſſe crediti ſunt hi Dii (7), eorumque praeſidio & tutelae infantes & coniuges commendati. Id conſtat auctoritate antiquorum ſcriptorum. Pilumni meminit non uno in loco Virgilius: ad quem haec notat Servius (8): *Varro* Pilumnum & Picumnum *infantium Deos eſſe ait: eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploretur, an vitalis ſit qui natus eſt*. Piſo, Pilumnum *dictum, quia pellat mala infantiae*. Nonius

(1) Lib. II. Antiquit. Rom. Cap. XIX.
(2) Hiſtor. Deor. Syntagm. I. pag. 50.
(3) De Etr. Reg. Lib. I. Cap. XV. pag. 61.
(4) Vide Fel. Ciattium in Peruſia Romana pag. 225. 226.
(5) Vide eumdem Lib. III. Cap. XXXV.
(6) De Ling. Lat. Lib. V.
(7) Vide Th. Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. III. Cap. VIX. pag. 297.
(8) Aeneid. Lib. X. verſ. 76.

nius Marcellus nunc audiendus (1): Pilumnus & Picumnus *Dii praeſides auſpiciis coniugalibus deputantur. Varro de vita populi Romani Lib. II. Natus, ſi erat vitalis, ſtatim ac ſublatus ab obſtetrice, ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe: Diis coniugalibus* Pilumno & Picumno *in aedibus lectus ſternebatur*. Haec ſacra auſpicia non dubito ab Etruſcis ad Romanos perveniſſe, qui nullum peregrinum Deum, a quo bona ſperarent (adeo erant inſani) reiecere. Erant igitur hi lecti ſacri praeſidibus hiſce Diis: quod etiam adfirmat Alexander ab Alexandro, haec ſcribens (2): *Quumque infans primam lucem tranſiſſet, Romanis erat in uſu, ut ab obſtetrice exceptus, humi ſterneretur, quaſi divinationem futuri exitus inde auſpicati: lectoque* Pilumno & Picumno *in aedibus parato, ita augurabantur, ut his praeſidibus Diis vitalis foret: neve* Silvanus *in domum irrepere valeret, quem vexare pueros opinio erat, ad fores aedium tres viros, qui pervigiles domum circumirent, advocabant: quorum primus limen ſecuri, alter pilo feriebat, tertius vero ſcopis everrebat: mox nomen & tempus editorum filiorum apud Praefectos aerarii publicis actis teſtarentur & ſcriberent: quae quidem in Saturni aede tamquam publica monumenta ſervari proditum eſt*. Eadem fere D. Auguſtinus (3), qui tres illos cuſtodes Deos appellatos fuiſſe *Intercidonum*, *Pilumnum*, & *Deverram* ſcribit. Omnis etiam invidia abigebatur coronato aſini capite, & ad genialem puerperae lectum ſuſpenſo (4). Id unum ex praeceptis fuit Tagis ſive Tagetis Etruſcorum Haruſpicinae inventoris, ad avertendum faſcinum, de quo Iuvenalis (5):

——— Parvis frons aerea lectis
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Idem aſini caput, tamquam amuletum, praefigebatur praeſepibus ruris, & in agrorum limitibus, uti ex Columella (6) colligit Thomas Dempſterus (7):

Hinc caput Arcadici nondum cute fertur aſelli
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.

Plura, quod adtinet ad originem nominis de Deis *Pilumno* & *Picumno*, fabulantur; quae quum a Voſſio (8), Meurſio (9) &

Pa-

(1) De Doctorum indagine pag. mihi 528.
(2) Genial. Dier. Lib. II. Cap. XXV.
(3) De Civit. Dei Lib. VI. Cap. IX.
(4) Vide Th. Bartholinum de Puerperio veterum pag. 54.
(5) Satyra II. verſ. 96.
(6) Lib. X. de re ruſtic.
(7) De Etr. Reg. Lib. III. Cap. I. pag. 243.
(8) De Orig. & progr. Idolol. Lib. I. Cap. XI.
(9) Lib. II. Animadverſ. miſcell. Cap. I.

Pareo (1) congeſta ſint, omittenda eſſe cenſeo, ne aliorum ſcrinia expilare videar. Ab omnibus receptum video, quod Dii connubiorum proliſque ex his natae praeſides & tutelares fuerint. Varro, ut notat Servius (2), *Coniugales Deos* appellat. Philippus Pareus (3) exiſtimat Numam in lege ſua *Pilumnum* & *Picumnum* innuiſſe: SEI. PVER. PARENTEM. VERBERIT. OLE. PLORASIT. PVER. DEIVEIS. PARENTVM. SACER. ESTO. Si igitur viris doctis placet, adnotare poſſumus multas aras, quae apud Raphaëlem Fabrettum (4), atque inter Gudianas (5) & Donianas (6) adferuntur, DIS PARENTIBVS *Pilumno* & *Picumno* ſacras eſſe; quod parentum Dii Praeſtites & propitii crederentur. Meminit etiam Plautus in Mercatore (7):

> *Di Penates meûm* PARENTVM, *familiaeque*
> LAR PATER, *vobis mando meûm parentum rem bene ut tueamini.*

Iacobus Philippus Tomaſinus (8) *Pilumnum* mariti Genium exiſtimat: ego tum viri, tum uxoris. In urna fictili Cluſina, quam editam vide apud Dempſterum Tabula XLIV. num. 1. (9) expreſſae ſunt nuptiae, quae ante ianuam domus longe ornatiſſimam celebrantur. Ad laevam ſponſa conſpicitur, quae cum viro convenit: iuxta eam adſtat Furia, quae gladium ſive *harpen* tenet. Ad dexteram iuxta ſponſum adſiſtit Deus alatus, iuvenili ſpecie decorus, qui malleum gerit, eique innititur. Illud maxime notandum, quod caput leonina, ſeu potius canina pelle (quod infra diligentius inveſtigabimus, adlata Plutarchi auctoritate in Quaeſtionibus Romanis) circa pectus revincta, opertum habet. Hunc Bonarrotius (10) eſſe putat Genium zelotypiae; Deam vero Diſcordiam. Videndum, an Genius ille potius ſit *Pilumnus* vel *Picumnus*, quos connubiis praeeſſe fabuloſa finxit antiquitas, ut eſſent auſpicatiſſima.

Tuſcorum exemplo, primi omnium Rutuli fuere, qui *Pilumnum* & *Picumnum* inter Deos patrios numerarunt. Aliqui volunt, Pilumnum Regem Rutulorum vetuſtiſſimum fuiſſe, & Ardeae conditorem; quare Ardeates, qui civitatem Rutulorum principem incolebant, ei aedem in agro dedicarunt, quam nupturae virgi-

nes

(1) In Electis Plautinis pag. 214.
(2) In Lib. IX. Aeneid. verſ. 4.
(3) In Electis Plautinis pag. 225.
(4) Inſcr. Cap. II. num. VI. pag. 72.
(5) Pag. LXII. num. 7.
(6) Claſſe I. num. 128. pag. 43.
(7) Act. V. Sc. I. verſ. 5.
(8) De Donariis ac Tabellis votivis Cap. XIII.
(9) Etrur. Reg. Tom. I. pag. 298.
(10) Ad Monumenta addita Dempſteriano Operi §. XXXIV. pag. 64.

nes frequentabant. De his Deis plura diſſerit vir exquiſitiſſimae eruditionis Petrus Marcellinus Corradinus, purpurei Sanctae Romanae Eccleſiae Senatus eximium decus & ornamentum (1).

Neque etiam ſilentio praetereundi ſunt Cumani, ex Etruſcis orti (2), qui vetuſtiſſimis temporibus, & deinceps quum a Romanis uti municipalibus ſuis legibus obtinuiſſent, Pilumnum municipii ſui Genium eſſe voluerunt: quod ex hac vetuſtae arae, quae apud eos exſtat, inſcriptione, perſpicue colligitur (3).

PILVMNO . SANCTISSIMO
GENIO . MVNICIPI . SACRVM
P . IVBENTIVS . ANCHARIVS . II . VIR

Si qui vero Etruriae populi, horum Deorum numini devoti, atque impenſius ſumma veneratione dediti, memorantur; hi certe Peruſini fuere: quod fuſius oſtendit Felix Ciattius (4). Argumento admodum probabili ſunt loca, quae a Pilumno Deo nomen accepiſſe videntur, quod etiam nunc retinent: uti Caſtrum *Pila*, ubi reperta eſt inſignis ſtatua ahenea, litteris Etruſcis in limbo veſtis inſcripta: quam vide in Dempſteriano Opere Tabula XL. & in Tom. III. Muſei Florentini Tabula LXXXI. itemque Caſtrum *Pilonico* & *Pilello*. Circa haec quoque loca inventum ſimulacrum Tagetis, quod mox adducam. Plura in his veterum Etruſcorum monumenta in dies erui, ſtatuaſque inſignes latere ſuſpicatur idem Ciattius. His coniecturis lucem & fidem adſtruunt Feſti verba, e quibus originem horum locorum expiſcari poſſumus: PILAE, inquit, *& effigies viriles & muliebres ex lana Compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quod (hunc diem feſtum) eſſe Deorum Inſerorum*, (alii *Inferiorum*) *quos vocant* LARES, *putarent: quibus tot pilae, quot capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur; ut vivis parcerent, & eſſent his* PILIS *& ſimulacris contenti* (5).

In Tabula X. tria profero parva ſimulacra, ex aere affabre confecta. Quod in medio poſitum eſt num. 1. apud me exſtat. Globum dextra manu tenet, auguralis diſciplinae vel donariorum ſymbolum, quibus ſtulti cultores placari poſſe Deos ſuos credebant. Capilli per gyrum quaſi calamiſtrati apparent. Nuper illud emi a quodam ruſtico, qui adfirmabat ſe inveniſſe in

agro

(1) Veteris Latii profani Lib. I. Cap. XI. Cap. XIII. Cap. XXIV.
(2) Vide Dempſterum de Etr. Reg. Lib. I. Cap. IX. & Lib. IV. Cap. XCIV.
(3) Apud Gruterum pag. XCVI. 4.
(4) In Lib. IV. Peruſiae Etruſcae pag. 117. 118. 119.
(5) V. etiam Macrob. Sat. Lib. I. Cap. VII.

agro Piſtorienſi ; quare haud inveriſimile eſt & apud Piſtorienſes cultum *Tilummum :* verum an haec ſimulacra , quae adduco , revera *Tilummum* ſive *Picummum* referant , non audeo adfirmare .

Reliqua hinc & hinc relata num. 1I. & 11I. in lectiſſimo Muſeo Illuſtriſſimi Comitis Dominici Montemellini , Patricii Perusini , adſervantur , quae eruta ſunt in Agro Peruſino . Omine auſpicatiſſimo manus , orantium ritu , apertas , atque vel ad caelum vel ad cultores ſublatas tenet , quod eſt obſervatu digniſſimum . Etruſci , ut videmus , eorumque exemplo Latini ac Romani , plerumque Deos effinxere eo geſtu , quo ipſi in ſacrificiis faciundis , precibuſque fundendis ad eos accedebant ; nam orare , ſublatis ad caelum manibus , mos Hebraeorum fuit , a quo Ethnici accepere (1) .

Spectandum eſt in ſequenti Tabula XI. pulcherrimum ſimulacrum aheneum , ad magnitudinem prototypi diligenter delineatum , quod ſervatur Cortonae in locupletiſſimo Muſeo Coratio . Toto corpore nudus eſt hic Praeſtes Deus . Ingenioſiſſimo artificio confecta , atque in tricas elegantiſſimoſque plexus diſpertita eſt caeſaries , quae circa humeros diffunditur . Supra frontem capilli ita ſunt diſpoſiti , ut quamdam , ut ita dicam , galeam referant . Siniſtra manu , quid nam antiquitus praetulerit , modo ignotum . Haec atque alia plura aliis inveſtiganda relinquimus .

TABVLA XII. XIII.

FVRINA
eadem quae ANCHARIA *Tuſcorum Dea , a Piſaurienſibus religioſiſſime culta .*

FVriarum omnium principem & praeſtantiſſimam fuiſſe FVRINAM Deam , facile argui poteſt ex verbis M. Tullii , qui primis Romanae reipublicae temporibus a Romanis cultam , lucumque ſuo nomine famoſum promeruiſſe teſtatur , inquiens (2) : *Cur non* EVMENIDES*? quae ſi Deae ſunt , quorum & Athenis fanum eſt* (3) , *& apud nos , ut ego interpretor , lucus* FV-

(1) V. Ph. Bonarrot. in Vaſa vitr. Coemeter. Tab. XVIII. & Tab. XXI. pag. 120. 121.

(2) Lib. III. de Nat. Deorum.

(3) V. Pauſan. in Corinth. Lib. II. Cap. XI.

FVRINAE. Inter quindecim Flamines, qui, aucta urbe Roma, conſtituti fuere, qui omnes a Diis, quibus ſacra faciebant, cognomenta ſortiti ſunt; non poſtremum certe locum habuit Flamen FVRINALIS, a Dea FVRINA appellatus (1): in cuius honorem feriae publicae & annua ſacra ſunt inſtituta, quae FVRINALIA dixere. Horum fit mentio in faſtis marmoreis, e quibus octavo Kalendas ſextiles celebrata fuiſſe diſcimus. Varro ſua tempeſtate FVRINAE Deae nomen vix notum paucis ſcribit (2): *FVRINALIA a FVRINA; quod ei Deae feriae publicae dies is, cuius Deae honos apud antiquos. Nam ei ſacra inſtituta annua, & Flamen adtributus: nunc vix nomen notum paucis*. Meminit quoque eiuſdem Deae, & ſacrorum *Furinaliorum* Feſtus. In Regione Tranſtiberina, in qua frequentior ac celebrior eius cultus, repertae ſunt arae ei dedicatae, quas profero, ut diligentius eas expendant eruditi homines (3).

FVRINAE . SACRVM
FLAVIVS . IVLIANVS
ſic CEPPHY\SIODORVS
SACERDOS

In altero eiuſdem arae latere legitur:

ſic ERYNNYSIOS
LOCVS . SACER

Ex alia ara marmorea, ibidem reperta, liquet *Placabilem* cognominatam fuiſſe; ita enim in ea ſcriptum:

FVRINAE . DEAE . PLACAB.
SACRVM

Hanc Deam, Etruſcorum exemplo, Latini populi ac Romani divinis honoribus conſecrarunt colueruntque; quod crederent eius numen praeſentiſſimum ac potentiſſimum eſſe, impiorumque hominum ſcelera ulciſci, poenaſque meritas, immiſſo furore & conſcientiae angore, ut ait Cicero (4), de iiſdem ſumere.

FVRINAM eamdem eſſe arbitror ANCHARIAM Tuſcorum Deam,

(1) Vide Alexandrum ab Alexandro Genial. Dier. Lib. VI. Cap. XII.
(2) De Lingua Lat. Lib. IV. V. & VI. Vide etiam Gyraldum Synt. I. & VI.
(3) Exſcripſit Marq. Gudius ex Ligorio, edidit nuper V. C. Franciſcus Heſſelius, pag. LXII. num. 5. 6.
(4) Lib. I. de Legibus.

Deam, quae bonos numine ſuo adflabat; malos vero immiſſo furore, (quod Oreſti, poſtquam matrem interemit, accidiſſe tradunt) corriperet, poenaſque patrati ſceleris exigeret, atque imminenti debitae vindictae ultione identidem angeret ac terreret.

Dum haec ſcribo, peropportune, quamvis paullo ſerius quam oportebat, duo inſignia Etruſcorum monumenta, cum aliis, quae ſuo loco adducam, ad me miſit Vir Praeſtantiſſimus, literariae reipublicae bono augendo natus, Annibal de Abbatibus Oliverius, Patricius Piſaurenſis; cum quo felicibus auſpiciis amicitia mihi conciliata eſt, quum ei per litteras gratularer ob editum praeclarum opus, quod continet Obſervationes in quaedam monumenta antiquorum Pelaſgorum (1). Ea igitur ſunt duae paterae fictiles, nuper repertae in agro Piſaurenſi. Confectae ſunt ex argilla coloris lutei ſubnigri, cuius vena ignoratur: durities paene ferrea. Typo formatae ſunt, eoque rudiuſculo: imagines vero haud imperitam manum praeſeferunt. In prima quae adfertur Tabula XII. litterae Etruſcae viginti tres, ac reliqua ornamenta ſunt inciſa. In altera vero, quam exhibeo Tabula XIII. litterae undecim inciſae, uti & cetera ornamenta, de quibus dicam. Hae adſervantur in Muſeo locupletiſſimo Clariſſimi Viri Ioannis Baptiſtae Paſſerii I. C. Piſaurenſis, qui αὐτοχειρίᾳ delineavit, quo diligentius nunc primum in lucem prodirent, eximiumque eſſent huius operis ornamentum. In his, ut videmus, aperte ſcriptum eſt ANCHARIA ſive ANKARIA; quae, ut diximus, Dea eſt veterum Etruſcorum; nam in patera primo loco relata AIЯAϽHA; in altera vero abbreviatum ꓘAϽИA, nimirum ANKARIA legitur.

Igitur ANCHARIA, ſive FVRINA, quo nomine a Romanis adpellata fuit, ſcelerum ultrix Dea, expreſſa eſt in prima patera, pectore tenus nuda, nudo collo, nudiſque brachiis; nullis decora ornamentis, ſtrophio, torque, bulla, armillis, quae ceteroquin Furiis dari a Tuſcis ſolent. Quo vero facilius terrorem maximum & metum ſceleſtis hominibus incuteret, rigentibus capillis, in duplicem ordinem vel gradum diſpoſitis, veluti duplicem coronam referant, grandibus oculis, ore foedo, vultu horrifico ac terribili, efficta eſt. Illud etiam notandum, alas, quas in capite & in humeris gerit, non plumeas & pennatas eſſe, ſed quales veſpertilionum alae adparent. Sub pectore, ut conſpicitur, incincta eſt brevi tunica; quae indicat celeri motu ſemper expeditam eſſe, ut hominum facinora ulciſcatur & puniat.

(1) Hic Liber editus eſt Piſauri, anno MDCCXXXV. cum hoc titulo: *Spiegazione di alcuni Monumenti degli antichi Pelaſgi ec.* cuius idem V. C. eſt auctor.

niat. Id apertius liquet ex integra imagine, quae in altera patera exhibetur. Variat haec in paucis: nam eadem Dea non humeros, ſed ſolum caput habet alatum. Pectus ornatur vittis decuſſatis: crura & pedes induti cothurnis obſervantur. Siniſtram manum poſt tergum, ut ita dicam, abſcondit: dextera vero bipenni innititur; quaſi hoc inſtrumento innuat, ſe adſidue paratam eſſe ut ſontes plectat; inſontes vero a flagitiis committendis deterreat.

Hinc inde circa Deam ANCHARIAM e terra conſurgunt duo ramuſculi: cuius vero arboris ſint, alii diligentius expendent. Ilicis eſſe crediderim: nam folia, praeſertim ſi obſervemus coronam, quae interiorem gyrum paterae circumdat, quam priore in loco propoſuimus, manifeſte aculeata ſunt, qualia in ilice videmus. Fuit haec arbor Furiis vel ſacra, vel admodum grata, quod Pauſanias ſignificat (1); qui ſcribit in luco ilicibus condenſo conſtitutum fuiſſe fanum Dearum, quas Athenienſes Σεμνὰς, hoc eſt *Severas*, ſive, ut alii interpretantur, *Venerandas*, Sycionii *Eumenidas*, quaſi vindices non bonae mentis, nominarunt (2). Fuit ilex arbor apud Etruſcos in maxima religione, ut docet Plinius (3); qui notat ilicem Vrbe vetuſtiorem in Vaticano extitiſſe: in qua titulus, aereis litteris Etruſcis, religione arborem iam tum dignam fuiſſe ſignificabat (4). Memorat etiam Pauſanias in earumdem Dearum honorem, ſtato die quotannis, mactari ſolitas oves praegnantes, ac mulſum pro libamine, pro corollis flores adhibitos. Ex his pateris arguimus ramuſculos ilicis geſtari adferrique ſolitos in ſacris Deae ANCHARIAE; ſparſos etiam flores; vel, ni fallor, roſas: nam tum ramuſculi, tum roſae in his pateris expraeſſae viſuntur. In priore patera, praeter corollam iliceam, undique in ſuperiore gyro interpoſiti ſunt flores loto ſimiles, vel potius lilio convallium, quod nos appellamus *mughetto*; cuius ingens in pluribus Etruriae locis copia innaſcitur. Additi etiam alii flores, e compluribus foliis conſtantes, ſupra lilium viſuntur. In altera patera ſolutae corollae, una poſt aliam, inſculptae ſunt; quae ex unionibus compoſitae videntur: quamquam facilius crediderim e flocculis e lana colorata compoſitas fuiſſe, nodiſque undique ita conſtrictas, ut unionum lineas referrent. Hae corollae in honorem ANCHARIAE, ut ex his monumentis probabiliter coniicere poſſumus, in ſacris deferri, itemque in eius aede vel in ara ſuſpendi ſolebant.

Pa-

(1) In Corinth. Lib. II. Cap. XI.
(2) Vide Gyraldum Hiſtor. Decor. Synt. VI.
(3) Hiſt. Nat. Lib. XVI. Cap. XLIV.
(4) Vide Salmaſii Exercit. Plin. pag. 676.

Patera, poſtremo in loco relata, ex una parte excavata eſt, ut facilius teneri manu poſſet, dum ſacrae libationes eidem Deae offerebantur. Ex his igitur inſignibus monumentis habemus certiſſimam ANCHARIAE Deae imaginem, quae eadem fuit ac FVRINA, hoc nomine poſtea a Latinis ac Romanis adpellata: ſimulque manifeſte conſtat, Etruſcorum Numen proprium fuiſſe, quod, praeter Faeſulanos & Aſculanos, ſummo honore PISAVRENSES quoque coluerunt; nam, ut diximus, hae paterae in Agro Piſaurenſi nuper effoſſae ſunt.

Silentio minime praetereundus eſt FVROR, & ipſe inter Deos relatus ab Etruſcis: quod nunquam auderem adſerere, niſi eum viderem, tamquam comitem, cum FVRINA ſculptum in marmoreo ſepulcro, quod apud me exſtat. Diu incertus animo haeſi, an hoc loci illud adferrem: verum, ut perſpicuo ordini conſulerem, nolui cum ſignis Deorum commiſcere defunctorum monumenta. Igitur inferius illud obſervabimus. *Furina* Dea facem utraque manu, quaſi iactatura, tenet, ſculpta in dextro latere ſepulcri: in laevo FVROR gladium intentat. Vtraque Numina humeros grandibus alis inſtructos habent: capiti utriuſque imminet columella. *Furor* barbatus, virili aetate, torvo minacique oculorum obtutu repraeſentatur. Furiarum ſi non frater, conſanguineus certe a Poëtis fingitur: quem graphice ita effingit Petronius Arbiter, ut pictor nemo melius. Eius verſus mox adducam. Interim haec adnotaſſe ſatis.

T A B V L A XIIII.

T A G E S

Haruſpicinae inventor: a Tuſcis, praecipue vero a Tarquinienſibus, Peruſinis & Cortonenſibus religioſe cultus.

QVod in numerum Deorum referam TAGETEM, quem aliqui putant vix nomen Dei mereri, auctor mihi eſt Feſtus, qui divinam eſſe eius originem docet; ita enim inquit: *TAGES nomine, Genii filius, nepos Iovis, puer dicitur diſciplinam Haruſpicii dediſſe duodecim populis Etruriae.*

riae. Cicero incertus pendet, utrum Deum an hominem, vel potius nec Deum nec hominem credat; nam, declarata ex libris Etruſcorum, eius portentoſa apparitione in agro Tarquinienſi, quum terra araretur, e qua repente impreſſis altius ſulcis emerſit, puerili, ut fertur, ſpecie viſus, ſed ſenili praeditus prudentia; totaque Etruria ſtatim concurſu facto, ritum genti, & Haruſpicinae diſciplinam monſtravit, ita diſerte ait: *Eſt ne quiſquam ita deſipiens, qui credat, Deum exaratum an hominem? Si Deum; cur contra naturam in terram ſe abdiderit, ut patefactus aratro lucem adſpiceret? Quid? idem non ne poterat Deus hominibus ſuperiore ex loco tradere? Si autem homo Tages ille fuit, quo nam modo potuit terra oppreſſus vivere? Vnde porro potuit illa, quae docebat alios, ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior, quam illi ipſi, qui credunt iſta, qui quidem contra eos tamdiu diſputem*. Mihi valde placet coniectura inſignis viri Ioannis Gerardi Voſſii (1), qui putat, hanc de Tagete fabulam originem trahere potuiſſe ab Adamo, terrae filio, a quo primum edocti ſunt homines cultum Dei: vel ſi puer eiuſcemodi e terra exſtitit, a quo Lucumones Etruſci diſciplinam exſtiſpicii diſcerent, is malignus fuerit ſpiritus: quem Deus non permiſerit caelitus deſcendere, quod maiorem addidiſſet impietati fidem, eoque ab Acheronte venerit: & hac de cauſſa etiam ſacra eius dicebantur *Acherontia*. Hinc Servius in illud Aeneidos (2);

> *Nec pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant*
> *Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos*.

Sciendum, ait, *ſecundum Haruſpicinae libros & ſacra Acherontia, quae Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis quadam ratione differri poſſe: quod nunc dicit Vulcanus potuiſſe fieri*. Hos libros Acherontios non minori Etruſci diligentia adſervarunt, quam Romani Sibyllinos: e quibus reſponſa dubiis rebus petebantur.

Quum igitur ex antiquis gentium monimentis conſtet, Vrbium conditores, inventoreſque artium in commodum & utilitatem humani generis, in Deorum numerum conſecratos fuiſſe; minime dubitandum eſt, TAGETEM quoque tamquam Deum habitum fuiſſe; de qua conſecratione ſive apotheoſi non dubitat Gyraldus, qui eidem inter Deos locum adſignat (3). Neque etiam erit abſurdum arguere, TAGETEM ſumma religione, prae-

(1) De Origine & progr. Idolol. Lib. I. Cap. XL.

(2) Lib. VIII. verſ. 398.

(3) Hiſtor. Deor. Syntagm. I. pag. 66.

praeſertim apud Tarquinienſes, cultum fuiſſe; quum apud eos ortus, Haruſpicinae diſciplinam docuiſſe memoretur. Idem adfirmo de Peruſinis & Cortonenſibus; nam huiuſce Dei ſimulacra ex aere, quae habemus, non longe ab eorum urbibus inventa fuiſſe compertum eſt, ut mox dicam. Eum Tuſci repraeſentarunt puerili ſpecie ſedentem: quippe mos fuit docentium ſedere: quod non apud Graecos tantum & apud Romanos, ſed & apud Hebraeos ſolemne fuiſſe, complures Scriptores teſtantur (1). Minerva, Apollo, & Vates in Tuſcis monumentis frequenter ſedentes expreſſi ſunt (2): quod artes & diſciplinas rerumque futurarum eventus mortalibus aperuerint. Secundum Augures, ut obſervat Servius (3), *ſedere, eſt augurium capere*; namque, poſt deſignatas caeli partes, a ſedentibus captabantur auguria: quod & Virgilius latenter oſtendit, inducens Picum ſolum ſedentem, parva ſuccinctum trabea (quod eſt Augurum) quum alios ſtantes induxerit. Igitur cum haec puerilia ſimulacra ſedentia ſemper inducantur, probabiliſſimum eſſe cenſeo referre ipſum TAGETEM.

Inſignia etiam ornamenta, quae Diis conveniunt, TAGES promeruit: nimirum bullam, & quidem maiorem e ſericeo torque ante pectus pendentem, armillas, periſcelides, & inſcriptionem, quae circa coxam, crus, & tibiam dexteram decem & octo litteris exarata excurrit. Crediderat vir cautiſſimus & oculatiſſimus Philippus Bonarrotius hoc puerile ſimulacrum inter donaria aut votiva anathemata reponendum eſſe: verum quum aliud omnino ſimile, licet minoris magnitudinis & litteris carens, reperiri intellexiſſet Peruſiae in Muſeo Nobilium de Anſideis, pro TAGETIS ſimulacro habendum eſſe cenſuit. Id, ut idem Bonarrotius obſervat, ſuadent ſymbola eidem tributa: nimirum avicula, quam dextra tenet; forte ad connotandam auguralem diſciplinam, cuius auctor fuit. Globus vero in altera manu, orbem caelumque innuere videtur, in quo obſervando auguralis diſciplina maxime verſabatur. Id, ut commodius atque expeditius fieret, ac veluti quoddam artis fundamentum, caelum in ſexdecim partes Etruſci diviſere, ut Cicero ac Plinius docent.

Primus omnium, qui nobis oſtendit hoc ipſum TAGETIS pueri inſigne ſimulacrum, cuius altitudo palmum non excedit, fuit Felix Ciattius (4); ſed ſpecie inverſa ac rudi, nec ſincere effor-

(1) Vide Ioannis a Wovver de Polymathia Tract. Cap. IV. pag. 30. & 31.

(2) Vide apud Dempſterum Tab. III. & XLVII. & alia Monumenta, quae in hoc Libro exibentur.

(3) In Lib. IX. Aeneid. verſ. 4.

(4) In Monum. vel Annal. Peruſinis Lib. IV. pag. 131. Peruſiae Auguſtae.

efformata. Erutum fuit anno CIↃ.IↃ.LXXXVII. iuxta lacum Traſimenum, in loco, qui antiqua appellatione dicitur *Tila*. Conſtat ex Silio Italico (1), haec loca vetuſtiſſimis temporibus Etruſcorum frequentes familias tenuiſſe, ſedemque ſuam in his poſuiſſe Aunum Etruriae regem; nam ita canit:

Quae vada, Faunigenae regnata antiquitus AVNO,
Nunc, volvente die, Traſimeni nomina ſervant.

Et alibi:

——————— *terra lacrymabilis AVNI.*

Exemplar omnium accuratiſſimum eiuſdem ſimulacri poſtea exhibuit Illuſtriſsimus Iuſtus Fontaninus, Archiepiſcopus Ancyranus, quo praeclarum opus de antiquitatibus Hortae exornavit (2). Tertio in medium protulit Bonarrotius inter Monumenta, quae addidit Operi Dempſteriano Tabula XLV. Demum ego quoque in hoc Muſeo Etruſco, accurate expreſſum, non omittendum curavi. Ciattius referre potius Bacchum puerum, quam Tagetem credidit. Facile ego cenſuiſſem hac ſpecie a Tuſcis expreſſum AMOREM omnium Deorum antiquiſſimum; nam Veneris quoque ſimulacrum, quod Bonarrotius illuſtrat (3), ſiniſtra aviculam ſive columbam gerit: verum ab eius ſententia nolui diſcedere, quae mihi veriſimilior viſa eſt: magnique momenti ea ratio a me adlata videtur, quod ſedentis habitu, ex Augurum ſolemni conſuetudine, expreſſus eſt.

Quod vero prae omnibus Etruriae populis Peruſini & Cortonenſes TAGETEM Deum coluerint, ex eo deducitur, quod huiuſmodi rariſſimum ſimulacrum, ut monuimus, iuxta lacum Traſimenum inventum eſt, qui medius eſt inter Cortonam & Peruſiam. De religione & cultu Tagetis apud Peruſinos luculenta adfert argumenta Felix Ciattius. His addendum, quod anno CIↃ.IↃ.CCX. Martio menſe, quinĉto a Peruſia lapide, apud Caſtrum *Maldoleto* complura inventa fuere veterum Etruſcorum monumenta, inter quae duo Tagetis ſigilla. Ex his unum adſervatur Peruſiae in Muſeo Anſidaeorum, quod citavit Bonarrotius: nuper vero in lucem vulgavit Clariſſimus Franciſcus Ficoronius (4), vir maxime probus, de litteratis hominibus,

(1) Punicor. Lib. V. verſ. 7.
(2) Lib. I. Cap. VII. pag. 146.
(3) Tab. XLIII. pag. 13.
(4) In libello Italico ſcripto: *La Bolla d'oro de' Fanciulli nobili Romani, e quella de' Libertini*, pag. 23. 24. 25.

Digitized by Google

bus, deque ipſa antiquitate, ob edita in publicum bonum, atque ab interitu vindicata complura priſci aevi eximia monumenta, optime meritus. Etruſca inſcriptione, armillis & periſcelidibus caret: verum, quod eſt valde notatu dignum, pedes habet calceis eleganter ornatos, licet toto corpore ſit nudus. Idem quoque ſedet, aviculam dextra, globum ſiniſtra tenens; quae ſymbola, ut vidimus, TAGETI conveniunt. Huc faciunt Ciceronis verba, qui TAGETIS auguria & auſpicia ex alitibus capta ita exponit (1): *Quae eſt igitur natura, quae volucres, huc & illuc paſſim vagantes, efficiat; ut ſignificent aliquid, & tum vetent agere, tum iubeant, aut cantu, aut volatu? Cur autem aliis a dextra, aliis a laeva datum eſt avibus, ut ratum auſpicium facere poſſint? Quomodo autem haec, aut quando, aut a quibus inventa dicemus? Etruſci tamen habent exaratum puerum* (hoc eſt TAGETEM) *auctorem diſciplinae ſuae*.

Quum locus in hac ipſa Tabula VIIII. ſupereſſet, duo eximia parva ſimulacra Etruſca ex aere addenda curavi. Quod relatum eſt num. I. exſtat Florentiae in Muſeo Comitum e Gherardeſca. GENIVM, quem Tagetis patrem facit Feſtus, facile referre dixerim. Pallio amictus eſt, reliquo corpore nudus: pedes calceis puris, non vero ornatioribus induti; quibus etiam parvi ſocci adiuncti videntur: bulla quoque minor e torque ante pectus dependet. Serpens, quem dextera tenet, mirifice Genio convenit, tamquam inſigne eius ſymbolum. Quam multa ſerpens ſignificet ex antiqua Aegyptiorum diſciplina, quam Etruſci calluere, erudite exponit Pierius Valerianus (2).

Alterum aereum ſimulacrum, quod ſequitur num. II. valde curioſum eſt, dignumque ut ab eruditis viris diligentius obſervetur. Puerum, aetatis fere decem annorum, refert: forte vel ipſum TAGETEM, vel eius diſcipulum BACCHETIDEM, quem totam Haruſpicinae ſcientiam, quam ab eo acceperat, ſcriptis conſignaſſe tradit Fulgentius (3), quem citat Thomas Dempſterus (4). Caput duplex corona, quae intortum funem imitatur, revincit: capilli prolixi ſunt, omni ex parte eleganter tonſi in fine, atque in plures gradus diſpoſiti. Tunica adſtricta, in anteriore parte ab imo ad ſummum, pulcherrimo opere exornatur. Vnico pedi, induto Thyrreno calceo puro, qui duplicis ſpeciem retinet, quod valde curioſum, inſiſtit. Vtraque manu tenet, neſcio an craticulae, extrema cuiuſdam inſtrumenti mihi incogniti;

(1) Lib. II. de Divinatione.
(2) Hieroglyphic. Lib. XIV.
(3) Ad Chalcidium in dictione *Labeo*.
(4) De Etr. Reg. Lib. III. Cap. I.

ti ; quod quum in medio ſit quibuſdam vinculis revinctum , in duos aduncos ramos , tamquam brachia , ſe diffundit : quae in ſummitate nec recta ſunt , nec acuminata ; nam ſi acuminata & recta eſſent , credi poſſet in ea infixa fuiſſe lumina vel faculas , quae Diis offerri , vel etiam ex eorum flamma auſpicia captari ſolebant . Ni meliora deinceps occurrant , auguror , hoc inſtrumento uſos fuiſſe Etruſcos Haruſpices , ut extis animalium hinc inde circumvolutis , & ad lumen examinatis , facilius inſpicerent quae bona vel mala portenderent : putabant enim exta ſignari notis quibuſdam a Diis , aut varie commoveri , ut docet Tibullus (1) . Qui haec curabant EXTISPICES dicebantur . Memorantur a Tertulliano (2) extorum *inſpicia :*

Sortes , anguria , ſtellarum nomina falſa ,
Naſcentum geneſes conſtringere , poſtque videre
Extorum inſpiciis , reſque exſpectare futuras .

Salisberienſis de Haruſpicibus agens ait (3) : *Haruſpicium quoque in extorum inſpectione viget ; quam artem TAGES quidam dicitur inveniſſe .* Ex diſciplina Haruſpicum , & ex praecepto Pontificum , ut docet Macrobius (4) , ſolemne fuit ſacrificantibus *exta porricere ;* quae forſitan hoc inſtrumento , quod Tuſci invenere , porriciebantur ; hoc eſt Diis dabantur , offerebantur , vel proiiciebantur in fluctus expiationis cauſa (5) . Macrobius adlegat Veranium , qui ex primo libro Pictoris , ita diſſertationem huius verbi exſecutus eſt : *Exta porriciunto , Dis danto , in altaria aramve focumve , eove quo exta dari debebunt .* Adpoſite Plautus in Pſeudolo (6) :

——— Nam ſi ſacrificem ſummo Iovi
Atque in manibus exta teneam , ut porriciam .

Nil frequentius ex ritualibus Etruſcorum libris , quam exta vel fibras conſulere , inſpicere , inſpectare , oſtendere . De omni Haruſpicinae genere diligenter egit Tarquitius , de cuius libris Ammianus (7) ; Macrobius vero meminit *Oſtentarii Tuſci* (8) .

TA-

(1) Lib. II. Eleg. v. verſ. 14.
(2) Lib. II. in Marcion.
(3) Lib. Polycratic.
(4) Vide Virgilium Aeneid. Lib. v. verſ. 238.
(5) Saturnal. Lib. III. Cap. II.
(6) Act. I. Scen. III. verſ. 31.
(7) Lib. XV.
(8) Lib. III. Cap. VII. Saturnal.

T A B V L A XV.

B Y G Ö E

Nympha Etruſcorum, Haruſpicinae peritiſſima, divinis honoribus conſecrata.

TAGETI iungenda BYGÖE Nympha, quam Tuſci propter eximiam auguralis diſciplinae ſcientiam, egregiaque in ſe collata beneficia, in Dearum numerum relatam divinis honoribus adfecere (1). Huius Nymphae meminit Servius (2); qui poſtquam recitavit hiſtoriam de Sibyllinis libris a Tarquinio emtis, addit: *Qui libri in templo Apollinis ſervabantur: nec ipſi tantum, ſed & Martiorum & BYGÖIS Nymphae, quae artem ſcripſerat fulguritarum arborum apud TVSCOS*. Salmaſius, Servium emendans (3), notat, eos libros ſervatos fuiſſe in templo, non Apollinis, ſed Iovis Capitolini, in quo fuere uſque ad Capitolii conflagrationem, quae Sullanis temporibus contigit. Martiorum autem fratrum, ut & Sibyllarum, exſtabant reſponſa fatidica. Martii vatis mentio apud Livium. Deinde ſcribendum cenſet *& BYGÖES Nymphae*. Η Βυγοὴ: quae & Βυγόεια, ut Η Καλλιόπη, Καλλιόπεια. Haec eſt, quae *Vegoia* dicitur in fragmentis Agrimenſorum; nam υ in β ſaepe mutant Latini. Titulus eorumdem fragmentorum ita concipiendus eſt: *Item VEGOIA Arrunti Vertumno*. Tuſca utraque nomina ſunt. Fragmentum vero ita incipit: *Scias mare ex aethere remotum. Quum autem Iuppiter terram Etruriae ſibi vindicavit, conſtituit iuſſitque metiri campos, ſignarique agros*.

Ex his adparet, BYGÖEN non ſolum artem ſcripſiſſe arborum fulguritarum, verum etiam de terminis egiſſe; quare mirum non eſt, ſi eius ſimulacrum, ut videmus, ad termini, ſed longe elegantioris, ſimilitudinem expreſſerint Tuſci. Dii cuſtodes finium agrorumque habiti ſunt Apollo, Mercurius, Hercules, Bacchus, Pan, Silvanus, Priapus: de quibus agit Hieronymus Aleander in Explicatione antiquae Tabulae Heliacae. De Diis Terminalibus & ipſe aliqua depromſi ad Inſcriptiones Donianas (4);

(1) Vide etiam Dempſterum de Etr. Reg. Lib. III. Cap. III.
(2) Ad Lib. VI. Aeneid. verſ. 72.
(3) In Exercitat. Plinian. pag. 54.
(4) Ad Tab. XIII. pag. LXIV. LXV. LXVI. LXVII.

nam in vetuſto marmore memoratur ager *Apollinis Argentei* . His adde IOVEM cognomento Ορεων , hoc eſt *Terminalem* : cui Numa cavit , lege de terminandis praediis , ut ſacri eſſent lapides , quibus tum publici , tum privati agri diſcernerentur ; ut narrat Dionyſius Halicarnaſſenſis (1) : iuſſitque , ut illis omnes quotannis , ſtato die , ſolemni coetu , eo in loco rem divinam facerent ; ſacrato cum primis nobili feſto in honorem Deorum , qui terminis tutelares praeſidebant . Hos ritus & ſacra non dubito Numam regem ab Etruſcis accepiſſe , qui ſciebat e BIGÖES libris , non ſolum Iovem ab Etruſcis tutorem finium conſervatoremque factum ; verum etiam artem agrorum terminandorum ab ipſis manaſſe . Non enim haec inſtituta Romani ea tempeſtate ab aliis nationibus , praeter quam ab Etruſcis , Arcadibus , Latinis , Sabinis , Albanis accipere potuere : pro Etruſcis vero hae atque aliae mox adducendae rationes potius militare videntur .

Hoc igitur perrarum atque inſigne BYGÖES Nymphae ſimulacrum ex aere , e Muſeo Gaddio , Etruſcis ſignis locupletiſſimo , depromtum expoſitumque in hac Tabula XV. num. 1. quoties contemplor , temperare mihi non poſſum , quin Tuſcam nationem , eiuſque artifices omni laude in caelum feram ; quum videam in rebus pulcherrimis atque utiliſſimis excogitandis , atque in publicum bonum promovendis , mira praeditam fuiſſe ſolertia , ac peritia prorſus ſingulari . Si enim omnia accurate conſideremus , quid hoc ſimulacro pulchrius , quid elegantius effingi potuit ? Cernitur eiuſdem Deae protome impoſita duplici baſi atque hypobaſi longe ornatiſſimae , quae quidem aliquomodo ſimilis eſt Hermaeis ſignis : verum opificio ipſo inuſitato & numquam antea cognito , multo ſane nobilior atque auguſtior adparet . Siquidem Hermaea Graecorum ſigna poſt caput Numinis , quod referebant , trunca in ceteris partibus , in ſtipitem purum deſinebant (2) : qui , ut in multis , in ſummitate latior , deinde anguſtior uſque ad calcem ibat . Heic vero Tuſcanicum faſtigium , cui impoſita eſt Dea , in tria , ut videtur , membra diſpertitum eſt . Primum occurrit ſub protome baſis , coronide , denticulis , deinde cymatio undique foliis exornato , pereleganter coronata . Secundo ſequitur altera baſis , ſive hypobaſis , quadrupliciter maior : quae in utroque latere adiunctis volutis (Latini mutulos appellant , aliqui corvos , nos patrio ſermone *modiglioni*) innexiſque & quaſi catenatis in medio primum maioribus dein minoribus ſcutis vel diſcis , longe eſt pulcherrima atque ornatiſſima . Hinc manife-

(1) Lib. II. Roman. Antiq.

(2) V. Pauſan. in Meſſen. Lib. IV. Cap. XXXII.

niſeſtum eſſe arbitror, inſigne hoc decus aedificiorum, quod apud veteres recentioreſque Architectos tam frequens eſt, ob ſummam elegantiam ſolidamque venuſtatem, non ab alia natione quam Etruſca, in inveniendis ornamentis, quae Deorum propria eſſent, ſagaciſſima, originem habuiſſe. Tertio, pro planitie addita eſt altera latior baſis, ad hoc ut ſimulacrum rectum ſtare poſſit.

Etruſcis praeivere, in huiuſmodi ſimulacris effingendis, Aegyptii; e quibus duo ferme cubitalia apud me exſtant (ut de iam editis, deque multis fictilibus, quae in Muſeis frequenter occurrunt, nihil dicam) quae Iſidem referunt; conſtantque e ligno duriſſimo; ut aliqui putant, cedro incorruptibili. Gypſo dealbata ſunt, variis undique colorum lineis, nempe viridibus, rubris, flavis, caeruleis nigriſque depicta. Quod mirum videatur, ſuperſunt adhuc in altero ex his, poſt annos fere ter mille, quaedam auri fulgentiſſimi bracteae, quae indicant, totum Deae vultum auro intectum fuiſſe. Praeter os Deae nihil aliud cernimus; reliqua corporis in truncum deſinunt. In ima parte ſub baſi prominet quidam perbrevis paxillus ex eodem ligno factus; quo, ut opinor, in baſi ornatiore infigi ac ſtatui poſſet; ut factum videmus in Menſa Iſiaca a Pignorio edita atque illuſtrata (1). Tuſci vero opifices ut hoc genus ſimulacri, quod apud Aegyptios & Graecos magna religione ſacratum fuit, nobilioribus ornamentis auguſtius redderent amplificarentque; non cum ſolo capite, ſed pectore tenus Deorum Hermaea ſigna (quod inferius etiam clarius apparebit) expreſſere. Praeterea ne ſimulacra, truncatis brachiis tam monſtroſa cultoribus apparerent, eleganti opere, praeſertim grandibus foliis, pectus undique circumvallarunt; quae venuſtate ipſa, ſymmetria ac novitate, ſpeciem omnem deformitatis occultarent, ut in hoc quoque ingenioſiſſime factum videmus.

Folia in hoc ſigno rariſſimo inſerta, quum ſint oblonga & aculeata, ex ilice deſumta eſſe autumo: haec enim arbor, ut diximus, religioſe culta, ſummo in honore fuit apud Etruſcam gentem; nam, ut Plinius teſtatur (2), eam exornarunt titulo aereis Etruſcis litteris inſcripto, quo apud omnes ſolemni ritu ſacratam eſſe conſtaret. Conſita ea fuit in Vaticano ante Romam conditam. Facile crediderim, ibidem ultimum Etruriae limitem ſtatutum fuiſſe auctoritate eiuſdem Nymphae, quae de terminis ſcripſit. Forte etiam huius arboris auſpicatiſſimae (3) folia de-

(1) Vide indicat. lit. Y. & CC. KK.
(2) Lib. XVI. Cap. XLIV.
(3) Vide Cl. Salmaſium in Plinian. Exercit. Tom. II. pag. 675. 676.

dedicata erant BYGÖE Nymphae, quia in ipſis, ut mos erat (1), ſcribere potuit oracula & divinationes arborum fulguritarum, vel etiam ſortes, quas, ut credebant, divino adflata numine interpretabatur: certe credibile eſt, nec temere, nec ſine ratione ei adtributa fuiſſe a Tuſco artifice. Innuere etiam voluit idem artifex ita effingendo hoc ſimulacrum foliis undique arborum ornatum circumdatumque, trunco ſimile, ſi ornamenta excipias, antiquiſſimum eſſe genus eiuſdem Nymphae: nam hominum antiquiſſimi, truncis orti credebantur; quod, ante factas domos, aut in cavis arboribus, aut in ſpeluncis manerent: qui quum exinde egrederentur, aut ſuam educerent ſobolem, dicti ſunt inde procreati: ita enim exponit Servius hos Virgilii verſus (2):

Tum rex Evandrus Romanae conditor arcis:
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
Genſque virûm truncis & duro robore nata.

Altera coniectura, ut arbitror, non improbabilis, quae me movet, ut credam hoc ſimulacrum referre BYGÖEN Nympham, ex ſolutis crinibus petenda eſt, qui ei conveniunt tamquam Vati, quam divino numine adflatam fuiſſe fabulantur. Siquidem coma diffuſa ventis, quam Graeci ἀπόχυτον, ἔκχυτον vocant, ut notat Salmaſius (3); crineſque in morem undantium fluctuum torti atque inflexi, quales heic obſervantur, vaticinantibus tribuuntur, ut docet Ovidius (4):

Sic mihi diffuſis vaticinata comis.

Hoc modo ſolutis ſparſiſque capillis pictae ſunt in Etruſcis Vaſculis, in Opere Dempſteriano relatis, Tabula XIIII. & LXIII. feminae fatidicae; quarum altera ante Bacchum ſedentem ſtans, per cribrum, quod tenet, auguria captat, aut vaticinia: nam, ut docet Suidas (5), per cribrum, ſive per tripodem & laurum veteres vaticinabantur.

Quod vero Tuſci, ut credo, inter Deos medioxumos hanc Nympham retulerint; hinc bulla minor, Etruſci operis index, ei

(1) Vide Virgilium Aeneid. Lib. III. verſ. 444. Lib. VI. verſ. 74. Virgilius non exponit cuius arboris folia eſſent. Servius, ut ſcribit Varro, putat fuiſſe palmae. Vide Plinium Lib. XIII. Cap. XI. Alexandr. de Dieb. Gen. Lib. II. Cap. XXX.

(2) Aeneid. Lib. VIII. verſ. 313.

(3) In Plin. Exercit. Tom. II. pag. 534.

(4) In Epiſt. V. verſ. 114.

(5) Tom. III. pag. 424. Τὰ ἐπὶ κοσκίνου, & in ſeqq. Vide I. Caeſ. Bulengerum Tom. I. Lib. II. de Sortib. & Lib. III. de Auguriis.

ei tribuitur, e torque tamen maiore, ſive ornatiore pendens ante pectus: quo inſigni nobilitandum eſſe Tuſci cenſuere, quod in eo conſilii, caeleſtiſque numinis ſedes ſit conſtituta (1).

In eadem Tabula XV. num II. aliud exhibeo ſimulacrum ex aere, Etruſca arte politiſſimum atque elegantiſſimum, quod Senis exſtat in Muſeo Nobiliſſimi Viri Dominici Burgheſii Patricii Senenſis. Huic aliud omnino ſimile protulit apud Dempſterum Tabula XLIII. Senator Bonarrotius, qui referre cenſet forſitan BYGÖEN Nympham: nam ſiniſtra, ut in hoc quoque ſigno cernimus, tenet aviculam, quae innuit auguralem artem, quam ſcientiſſime docuit. Venerem ego facile crediderim: aviculam vero columbam, quae ei ſacra eſt, quod generationi maxime ſit dedita. Non abnuam ſi quis etiam credat referre poſſe eam Nympham Etruſcam incerti nominis, cuius meminit Lactantius ad Statium (2): quae ut oſtenderet verum Dei nomen exaudiri non poſſe ab homine mortali, corruptioni ac fragilitati naturae obnoxio; in conſpectu ceterorum, ad aurem tauri nomen Dei pronuntiavit; quem illico, ut dementia correptum, & nimio turbine coactum, ut idem Lactantius ex Etruſcorum fabulis memorat, exanimavit. Hinc tanta Deorum invecta multitudo creditur; cuius rei originem alibi inveſtigabimus.

T A B V L A XVI.

V O L T V R N V S
Deus Etruſcorum; Campanorum tutelaris & proprius.

NEc Dempſterus, nec alii recentiores Scriptores, ut video, inter Etruſcorum Deos adnumerant VOLTVRNVM: quod vero id ego faciam, aliquae adſtipulantur rationes ex antiquitatis penu depromtae. Primum ipſa nominis natura, ut opinor, perſpicue Etruſcum eſſe Numen declarat: nam *Vol* & *Vola*, ut diximus, priſca Etruſcorum lingua (3), *arx* atque *urbs* inter-

(1) Vide Alex. ab Alexandro Genial. Dier. Lib. II. Cap. XIX.

(2) Lib. IV. Thebaid. verſ. 5.

(3) V. Raph. Volaterranum Comm. Lib. V. Dempſterum de Etr. Reg. Lib. I. Cap. XV. pag. 61. & Lib. V. Cap. III. pag. 279.

interpretatur. Eodem fere modo non pauca Deorum nomina deſinunt, ut vidimus, *Vertumnus*, *Volumnus*, *Volumna*, *Voltumna*, quae Etruſca eſſe animadvertimus. Arnobius, ex fabulis Etruſcorum, tradit (1) Ianum, Caelo atque Hecate procreatum, qui primus in Italia regnavit, & Ianiculum oppidum condidit, fuiſſe patrem Fauni, *Volturni* generum. Ad haec notandum etiam, quod Varro hunc Deum cum aliis Etruſcae gentis propriis recenſet, praeſertim cum Pomona, Furina, aliiſque Diis longe antiquiſſimis: nam maximae vetuſtatis ea eſt nota, ut ipſe ait, quod obſcura ſit origo Flaminum, qui iiſdem Diis adſignati fuere: inter quos *Volturnalem* quoque adſcribit, ab eodem Deo cognominatum. Meminit quoque Feſtus VOLTVRNI Dei, teſtaturque non ſolum Sacerdotem ſive Flaminem *Volturnalem* honoris cauſa ei datum fuiſſe; verum etiam ſacra propria facta, quae *Volturnalia* dixere. *Volturnalia Volturno Deo ſua ſacra faciebant; cuius Sacerdotem Volturnalem vocabant*. Ea peragebantur ſexto Kalendas Septembres, ut conſtat ex fragmento vetuſti Kalendarii apud Gruterum edito (2), in quo ſcriptum eſt: VI. VOLT. NP. VOLTVRN. FLAMINI. SACRIFICIVM. hoc eſt. VI. (Kalendas Septembres) *Volturnalia*, *Neſaſtus primo*, *Volturnali Flamini ſacrificium* (3). Hunc Deum, Etruſcorum proprium, praetermiſit vir multae lectionis Lilius Gregorius Gyraldus: quodque magis mirandum, meminit Deae VOLTVRNAE, quam, ut video, confundit cum Dea VOLTVMNA, de qua ſupra diſſeruimus (4).

Declarato eiuſdem VOLTVRNI cultu, feriis ſacriſque & Sacerdote, ſupereſt ut probem a Campanis, ut patrium Deum, religioſe adoratum fuiſſe; quod non eſt factu difficile. Conſtat enim ex Livio (5), Capuam ab Etruſcis conditoribus, *Volturnum* adpellatam fuiſſe; ita enim inquit: *Peregrina res, ſed memoria digna traditur eo anno facta*: (erant tunc Conſules C. Sempronius Atratinus, & Q. Fabius Vibulanus) *Volturnum*, (ſive ut alii habent codices *Vulturnum*) *Etruſcorum urbem, quae nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam: Capuamque ab duce eorum Capye; vel, quod propius vero eſt, a campeſtri agro, adpellatam. Cepere autem prius bello fatigatis Etruſcis, in ſocietatem urbis agrorumque accepti: deinde feſto die graves ſomno epuliſque incolas veteres, novi coloni nocturna caede adorti*. Dionyſius Halicarnaſſenſis Tuſcorum laudibus & gloriae maxime infenſus, huius urbis ſplendidiſſimae originem Capy Tro-

iano

(1) Lib. III. Contra Gentes.
(2) Vide pag. CXXXIV.
(3) Vide Io. Roſinum Ant. Rom. Lib. II. Cap. XXI. & Lib. IV. Cap. XII.
(4) Hiſt. Deor. Synt. IV. in fine.
(5) Lib. IIII. & XXXIIII.

iano adtribuit (1), quod etiam alii fecere: quos omnes Thomas Dempſterus (2) putat intelligendos de Capye reſtauratore Capuae urbis; quae iam, florentibus Etruſcorum rebus, condita; adpellentibus vero in Italiam Troianis fuit reparata. Servius eamdem Etruſcis adſerit (3), aitque viſo falconis augurio conditam, qui Tuſca lingua *capys* dicitur, unde eſt Capua nominata. Aliqui credunt ab amne nobili *Volturno*, ſive *Vulturno* nomen accepiſſe. Vtcumque res ſit, conſtat Livii ac Servii auctoritate, adde etiam Velleium Paterculum (4), Capuam a Tuſcis conditam fuiſſe, ac primum VOLTVRNVM vocatam. Neque etiam abſurdum eſt credere vel a VOLTVRNO Deo Etruſcorum nomen urbi atque amni impoſitum; vel potius contra, ab eius urbis nomine eumdem Deum nomen accepiſſe. *Volturnus* amnis eminus eſt Capua, ut ait Aſconius Paedianus (5), trium millium paſſuum: de quo etiam Varro, Plinius, Mela, Virgilius aliique meminere (6).

Aeneum ſimulacrum pulcherrimum, quod exhibeo in hac Tabula, duplici ſchemate accuratiſſime delineatum, exſtat in regio Mediceo Cimeliarchio. Curioſum eſt perbreve amiculum, quo tegitur ante & retro, pectore atque humeris tenus: verum quo nomine cum veſtem, tum ipſum Deum, utrum ne VOLTVRNVM, adpellem, neſcio: non enim, in tanta vetuſtiſſimorum temporum ac monumentorum caligine, quidquam ſtatuo: ſummorum virorum iudicio ſtandum eſſe, ſatius arbitror.

Volturnus, ſive *Vulturnus* eſt etiam venti nomen, teſte Plinio (7); qui forſitan, quod cum vulture conveniat vel qualitatibus vel velocitate, (nam & Aquilo ab aquila nomen obtinuit, quod inſtar aquilae vehementiſſimo feratur volatu) ab Etruſcis, ut opinor, nomen accepit: hunc Graeci *Eurum* adpellant. Ab Oriente brumali procedit: ei contrarius eſt ventus *Corus*, quem Graeci Argeſten vocant, qui autumnat; ambo tamen ſicci praeterquam deſinentes: ſed *Vulturnus* cum Favonio tepidus. In *Volturnum*, ut obſervat idem Plinius (8), apiaria & vineae Italiae Galliarumque ſpectare debent.

TA-

(1) Lib. I. Antiquit. Rom. pag.
(2) De Etrur. Reg. Lib. I. Cap. IX.
(3) Ad Lib. X. Aeneid. verſ. 145.
(4) Lib. I. Hiſtor. num. VII.
(5) In IV. contra Verrem.
(6) Vide Ortelium in Theſauro Geographico. Cluverium ant. Ital. Lib. IV. pag. 1093. Adde Strabonem Geographiae Lib. V.
(7) Lib. II. Cap. XLVII.
(8) Lib. XVIII. Cap. XXXIV.

T A B V L A XVII.

IVTVRNA ET PORTVMNVS
Dii ſelecti veterum Etruſcorum.

ANtiquorum Scriptorum auctoritate, in numerum ſelectorum Deorum, quos Tuſci coluere, IVTVRNA Nympha referenda eſt: quae, ut fabulantur, non ſecus ac VOLTVRNVS, de quo diximus, fonti celeberrimo, ſive, ut Voſſius adfirmat (1), amni, itemque lacui ſive ſtagno, nomen dedit. Arnobius, Iani, Tuſcorum Deorum principis, coniugem fuiſſe tradit (2).

Multa lubens praetereo; quia de ea plures diſſeruere, & quidem omnium luculentiſſime Petrus Marcellinus Corradinus (3). Etruſcorum exemplo primum Latini, deinde Romani divinis honoribus eam adſecere propter ſumma beneficia Italiae populis conlata, quae Virgilius (4) & Ovidius (5) immortali carmine celebrarunt. Adducam Servii verba, quae in rem meam maxime faciunt. *IVTVRNA*, inquit, *fons eſt in Italia ſaluberrimus, iuxta Numicium fluvium; cui nomen a iuvando eſt inditum: quum enim naturaliter omnis aqua noxia ſit aegrotorum corporibus, hic omnibus ſaluberrimus fons eſt: de hoc enim fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua adſerri conſueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit ſororem, quae laborantes iuvare conſuevit. Huic fonti per aquarum inopiam ſacrificari ſolet: cui Lutatius Catulus primus templum in Campo Martio fecit; nam & Iuturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem feſtum IVTVRNALIA dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo ait: IVTVRNA inter proprios Deos Nymphaſque ponitur.* Aliqui cum Dea Egeria eam confundunt (6).

Huius Deae imaginem forte repraeſentat ſignum aereum elegantiſſimum, e Medicea Gaza depromtum, quod exhibeo in Tabula XVII. num. 1. Emblema Etruſci vaſis ahenei fuiſſe coniicio ex forma, atque ex ſubiectis ad manus & ad pedes lamellis incur-

(1) De origine & progr. Idolol. Lib. II. Cap. LXXX. pag. 263.
(2) Lib. III. contra Gentes pag. 99. edit. Romanae an. MDLXXXIII.
(3) Veteris Latii prof. & ſacr. Tom. I. Lib. I. Cap. XXV.
(4) Aeneid. Lib. XI.
(5) Faſtorum Lib. I.
(6) Vide Caroli Neapolis Anapt. ad Ovidii Faſt. Lib. III. num. 107. pag. 171.

curvis, quo facilius corpori vaſi adhaerere poſſent. Ipſe quoque habitus corporis eo modo curvati ac retrorſum circumacti, pro anſa vaſis conſtructum fuiſſe declarat: quod etiam hodierni opifices obſervant, ſi qua vaſa, praeſertim argentea, anſata ſint fabricanda. Coniicere non incongrue poſſumus, hoc vas ſacrum IVTVRNAE fuiſſe: eoque aquam ex eius fonte hauriri ſolitam, quae tum in ſacris *Iuturnalibus*, tum in ceteris ſacrificiis adhiberetur.

Capilli virginum more collecti, verum abſque nodo ſunt. Bulla, in ſpeciem cordis facta, e collo pendet: armillae in utroque brachio non purae, ſed adiunctis bullis inſignes atque ornatiores. Quamquam toto corpore ſit nuda, crura tamen loris circumdata, pedeſque calceis puris lunatis amicti ſunt. Quando haec doctis viris non placeant, videant, num haec imago LARAM Nympham Tiberinam, vel LARVMDAM, Larum Deam, veriſimilius referre poſſit. Larae linguam a Iove ereptam fuiſſe fabulatur Ovidius (1), quod Iunoni retuliſſet, Iovem immodico Iuturnae amore captum. Haec poſtea a Mercurio compreſſa, duos genuit filios, dictos LARES: quorum alterum bonum, alterum malum credebant.

Sequitur in eadem Tabula XVII. num. 1I. aliud ex aere ſimulacrum, ut videtur, Dei Marini: cuius imagine anſam vaſis ornavit Tuſcus artifex praeſtantiſſimus. Anſa ſuperne deſinit in marinam belluam, ſpectatorum commodo relatam num. 11I. quam canem eſſe crediderim. Inſtar piſcis aliculas habet in dorſo. Sub throno ſive faſtigio, cui hic Deus pedibus inſiſtit, ſculpta eſt mulier, pedibus, iniuria temporis, truncis ac labefactatis (eos inſtar volucrum fuiſſe ſuſpicor) paſſis capillis, aliſque quatuor expanſis inſtructa. Hoc typo Tuſcos imaginem *Tempeſtatis* expreſſiſſe auguror: quam nec ſine ratione pedibus eiuſdem Numinis marini (2) ſubiecere. Gorgones, ſculptae in ſepulcris veterum Etruſcorum, & ipſae *Tempeſtatem* exprimere poſſunt, de quibus mox diſſeram. Si quis vero non *Tempeſtatem*, ſed e *Ventis* unum referre putat, non repugno: certe utriſque alae tum in capite, tum in dorſo, tum etiam in pedibus tribuuntur (3). Quod igitur huic ſigno canis marinus pro ſymbolo tributus ſit, pedibus autem ſubiecta Tempeſtas, ſive Ventus; non erit, ut opinor, abſurdum ſuſpicari, eo PORTVMNVM referri poſſe, quem Deum portubus

H prae-

(1) Faſtor. Lib. II.

(2) Interim vide Bonarrotium in Diptychum Romuli pag. 238. poſt Obſervationes ad Vaſa vitrea Coemeterialia.

(3) Vide Hyginum Fabul. XIV. eiuſque Enarratores.

Digitized by Google

praeeſſe veteres Tuſci commenti ſunt, a quibus etiam nomen accepit. Eius aedes & cultus in portu Tiberino, quem Etruſci tenuere, omnium maxime celebris & frequens fuit. Feriae & PORTVMNALIA ſacra in eius honorem inſtituta memorantur: quae, ut ſcriptum eſt in antiquo Kalendario, edito in Gruteri Theſauro (1), XVI. Kalendas Septembres peragebantur. In altero Kalendarii vetuſtiſſimi fragmento (2) eodem die diſcimus ſacra fuiſſe celebrata tum PORTVMNO ad Pontem Aemilii, ſive Sublicium, tum IANO ad Theatrum Marcelli. Accedit Varronis auctoritas (3); ita enim inquit: *Portvmnalia dicta a portvmno: cui eo die aedes in portu Tiberino facta, & feriae inſtitutae*. Flaminem, ex nomine ſuo PORTVMNALEM cognominatum, habuiſſe probabile eſt; quamvis de eo ſilentium ſit apud Scriptores. Neque abnuerim, ſi quis credat, ludos quoque ſacros in eius honorem inſtitutos celebratoſque fuiſſe a Tuſcis: ad exemplum Iſthmiorum, quos noctu a principio, mox die (4) magnis ſumtibus celeberrimoque conventu in honorem Palaemonis & Archemori in Iſthmo Corinthiaco Graeci celebrare conſuevere: quos luculenter illuſtrat Vir longe doctiſſimus Benedictus Averanius (5). Inter Gudianas inſcriptiones, a Viro Celeberrimo Heſſelio nuper in lucem editas (6), plures adferuntur ſacrae PORTVMNO, cui FORTVNA TRANQVILLA comes additur, quae tum Panormi, tum prope Portum Auguſti inventae ſunt. Cicero Neptunum a *nando*, PORTVMNVM a *portando* dictum cenſet (7): Servius vero (quod multis placet) quia portubus praeeſt (8). Quae bona ſperarent a Portumno inſani cultores, exponit Arnobius (9): *Per maria tutiſſimas praeſtat portvmnvs commeantibus navigationes*. Nonnulli eumdem ac Melicertam & Palaemonem eſſe credunt (10): cuius fabulam ſatis notam ex pluribus ſcriptoribus iterum recoquere non vacat (11). Apuleius ab his plane diverſum facit (12).

Quod vero Tuſci in Italia omnium primi PORTVMNVM, ſive, ut aliqui ſcribendum putant, PORTVNVM coluerint, ac deinde eorum exemplo Latini ac Romani, ex dictis declaratum eſſe puto. Accedit etiam ipſum nomen aliis Etruſcorum Diis, Vertumno, Volumno, Pilumno, Picumno, ipſa litterarum conſtitu-

tione

(1) Apud Gruterum pag. CXXXIII.
(2) Ibidem pag. CXXXIV.
(3) Lib. V. de Lingua Lat. pag. 50.
(4) Alex. ab Alexand. Genial. Dier. Lib. V. Cap. VIII.
(5) In Anthologia Diſſert. II. num. 4. Diſſert. IV. num. 2. 6. Diſſert. V. num. 2. 5.
(6) Confer, ſi otium eſt, pag. LIX. num. 12. 13. 14. itemque pag. LX. num. 1.
(7) Lib. II. de Natura Deorum.
(8) Aeneid. Lib. V. verſ. 241.
(9) Adverſus Gent. Lib. III. pag. 96.
(10) Alex. ab Alexand. Lib. V. Cap. VIII.
(11) V. Ben. Averanium Diſſert. II. in Antholog. num. 3.
(12) Lib. IV. de Aſino aureo.

tione perſimile. Praecipuo vero honore cultum fuiſſe exiſtimo in celeberrimis portubus & promontoriis, quae Etruſci terra multum, mari plurimum pollentes, ut ait Livius (1), habuere: ac praeſertim in Lunenſi portu, apud Centum Cellas, apud Labronem, (hodie adpellant Liburnum) apud Genuam, quam Etruſcos tenuiſſe oſtendit Thomas Dempſterus (2). Hoc loci haud praetermittendum eſſe cenſeo inſignem Livii locum, quo, quanta fuerit imperii Tuſcorum claritudo, oſtenditur (3). *Tuſcorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere: mari Supero Inferoque, quibus Italia inſulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento; quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadria Tuſcorum colonia, vocavere Italicae gentes. Graeci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad Inferum mare, poſtea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis: qui trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque gentibus ea haud dubie origo eſt, maxime Rhaetis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, praeter ſonum linguae, nec eum incorruptum, retinerent.* Tuſci, nauticae rei navaliſque militiae & diſciplinae peritiſſimi, omnium primi Italis naves, ancoras aliaque nautica inſtrumenta a ſe inventa monſtrarunt; quare mirum non eſt, ſi PORTVMNVM Deum portubus & maris tutelae praeeſſe voluerunt.

Fingitur Deus in hoc ſimulacro iuvenili ſpecie decorus ac maxime floridus. Capilli duplici ordine in varios cincinnos diſpoſiti, more Aegyptiorum Numinum, quorum imagines illuſtravimus. Torquis cum bulla ſpecie cordis confecta, cum duabus aliis utrimque pendentibus, collum & pectus exornat. Siniſtrum brachium armilla decoratur. Non me latet, PORTVMNVM caeruleis barbis hiſpidum deſcribi ab Apuleio (4); ſed, ut videmus, Etruſci nunc barbatos, nunc imberbes Deos, & quidem iuvenili aetate florentes, expreſſere.

 TA-

(1) Lib. I. in princ.
(2) De Etr. Reg. Lib. I. Cap. I. & Cap. IX.
(3) Lib. V.
(4) Lib. IV. de Aſino aureo.

T A B V L A XVIII.

VITVMNVS ET MANTVRNA
Dii religioſe culti in Etruria.

VITVMNI Dei, ut video, ſolus meminit D. Auguſtinus, ex antiquis proculdubio Scriptorum monumentis: neque etiam uno tantum in loco eximii operis de Civitate Dei (1). Hunc coniungit cum Deo *Sentino*; nam uterque puerperio praeeſſe credebatur, quorum alter vitam, alter ſenſus largiebatur. Quamvis autem hos non adnumeret Sanctus Doctor inter ſelectos Deos; tamen, multo maiora eos, quam proceres & ſelectos praeſtare, exiſtimatum fuiſſe ſcribit: *Nam ſine vita & ſenſu*, inquit, *quid eſt illud totum, quod muliebri utero geritur, niſi neſcio quid abiectiſſimum, limo ac pulveri comparandum*. Deinde (2) reddita ratione, cur haec Deorum dona, vita & ſenſus, ſint omnium praeſtantiſſima; inter Deos ſelectos, hos potius quam alios, ab inſanis cultoribus cenſeri debuiſſe contendit. *Inter ſelectos itaque Deos VITVMNVS vivificator, & Sentinus ſentificator magis haberi debuerunt, quam Ianus ſeminis admiſſor, & Saturnus ſeminis dator vel ſator, & Liber & Libera ſeminum commotores vel emiſſores: quae ſemina indignum eſt cogitare, niſi ad vitam ſenſumque pervenerint: quae munera ſelecta non dantur a Diis ſelectis, ſed a quibuſdam incognitis, & prae iſtorum dignitate neglectis*. Quod igitur *Sentinus* Deus ſocius ſit VITVMNI, in numerum Tuſcorum Deorum & ipſe referendus eſſet; verum id ſine ratione minime faciendum puto. Pro VITVMNO Etruſcis adſerendo, militat ſimilitudo nominis, quod ab reliquis ita deſinentibus non diſſentit. Non lego, Flaminem huic Deo datum, nec ferias & annua ſacra in honorem eius inſtituta: quorum memoriam vel temporis adeo remoti vetuſtas abolevit; vel Latini ac Romani de hoc Deo non ſatis ſolliciti forſitan fuere.

Eamdem propter rationem in hac Claſſe propriorum ſelectorumque Deorum veterum Tuſcorum adſcribendam cenſeo Deam MANTVRNAM, quam inter Deos Coniugales religioſiſſime coluerunt. De ea meminit idem Auguſtinus (3): *Vt maneat cum viro*, *addi-*

(1) Lib. VII. Cap. II. & III.
(2) Ibidem Lib. VII. Cap. III.
(3) De Civit. Dei Lib. VI. Cap. IX. Vide etiam Gyrald. Hiſt. Deor. Synt. I. pag. 47.

additur Dea MANTVRNA. Siquidem ferunt vota ei facta, ne recederet uxor a marito, ſed cum eo perpetim maneret; quare a manendo nomen ei factum arbitrantur. Voſſius MANTVRNAM ipſam Iunonem eſſe cenſet: quam multis cognominibus, quae ipſe interpretatur, exornarunt, quod matrimoniis praeeſſet (1).

In hac Tabula XVIII. quinque exhibeo Etruſcorum Deorum ſimulacra, ut a viris gnaris antiquitatis obſerventur; multum enim eruditionis aeque ac curioſitatis praeſeferunt. Quatuor relata num. I. II. III. & V. ex aere conſtant, exſtantque in Muſeo Montemellinio Peruſiae. Alterum num. IV. productum, fictile eſt, quod diligentiſſime adſervo inter mea Cimelia ex dono Clariſſimi I. C. Petri Franceſchinii, Nobilis Volaterrani, qui nuper in Etruſco ſepulcro Volaterris eruto in ſuis praediis, id inventum fuiſſe mihi nuntiavit. Typo factum videtur ab artifice Tuſco valde perito. Hoc ἀγχλμάτιον, ut Graeci dicunt, fortaſſe refert MANTVRNAM Deam; nam in multis urnis Etruſcorum, quae, ut infra videbimus, matrimonia anaglypho opere ſculpta exhibent, iuxta coniuges vel pronubae vel augures feminae adſiſtunt, vel potius Deae Iuno & Manturna, quae in hunc fere modum pallio ſunt obductae. In antiquis ſepulcrorum inſcriptionibus laudantur optimi coniuges, quorum vinculum nec lites nec iurgia nec querelae ullae diremerunt: quam felicitatem ita laudat Horatius (2):

FELICES ter & amplius
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Concordiae coniugum ſervandae praeerat *Manturna*, quae eadem eſt ac Iuno, *cui vincla iugalia curae*, ut canit Virgilius (3).

Non longe etiam abſum, ut credam hanc imaginem referre poſſe FIDEM Deam, quam albo panno velatam pingit idem Horatius (4). Marmoream ſtatuam e Muſeo Mediceo protulimus, hoc fere modo veſte opertam, manibuſque velatis, quam, ut credamus Fidem eſſe, non obſcura adſtipulantur indicia (5). Tuſcorum MANTVRNA, eadem ac Fides & Concordia coniugum eſſe poteſt; nam Fides quoque (quod nomen Sabinam linguam olere dicit

(1) Voſſius de orig. & progr. Idol. Lib. II. Cap. XVI. Gyraldus Hiſtor. Deor. Synt. I. pag. 54. Alios enumerat Pitiſcus in Lexico.
(2) Carm. Lib. I. Ode XIII.
(3) Aeneid. Lib. IV. verſ. 59.
(4) Carm. Lib. I. Ode XXXV.
(5) Vide Tom. III. Muſei Florentini Tabula XCIX. pag. 99.

dicit Varro) connubiis praeeſt , quae dexteras & animos ſponſi & ſponſae coniungit . Concordia vero connubia ſtabilia ſervat , facitque , uti idem Varro interpretatur , ut corda ſint congruentia (1) .

Alterum quoque Etruſcum ſigillum relatum num. v. ſi viris eruditis placet , MANTVRNAM coniugum tutelarem Deam , non inconvenienter repraeſentare poteſt ; nam , ne oriantur diſſidia , utraque manu dona quaedam , vel quae accepit , vel quae coniugibus largitur , gerit , in ſpeciem pomi effićta : quorum alterum omnino rotundum eſt , alterum vero ovalem figuram retinet . Inſigne admodum eſt , atque omni ornatu conſpicuum , diadema , quod geſtat in capite . Oculi clauſi ſunt : qua vero de cauſa , ab aliis ſcire cupio . Vultu ridenti , blando ac ſereno , qualis decet optimos coniuges , conſpicitur . Veſtis , qua ſuperne amićta eſt , elegantiſſima atque operoſiſſima ; in limbo ſcutulis quibuſdam , tamquam gemmis , diſtinćta : de lunatis calceis nihil dico .

Reliqua nunc ſigna ahenea , in ſuperiori ordine eiuſdem Tabulae expoſita , breviter deſcribamus . Currenti ſimilis cernitur puer tutulatus , cum calceis pulcherrimis : motu corporis vires ſuas oſtendit , ac facile VITVMNVM incipientis vitae praeſidem , referre poteſt , quod non adfirmo .

Alterum vero ſignum , eiuſdem cum archetypo magnitudinis , duplici ſchemate delineatum , qui non laudat atque admiratur , neſcio an Muſis & Gratiis amicus dici poſſit . Senex iſte puſillo corpore palliatus , cum calceis fibula adſtrićtis , non invita Minerva , ut opinor , deſignare poteſt VITVMNVM Deum : cui libenter dona & ſacrificia fačta , votaque lubenter nuncupata ab Etruſcis auguror , quod a primo nativitatis die ad hanc ſenećtam vitam ſuam ducere flagrantiſſime omnes optarent . Quia vero bona valetudine vita viget , ſervatur , ac longe diuturna protrahitur ; ideo quaſi VITVMNVS idem ſit , ac Graecorum Romanorumque *Teleſphorus* , eo fere modo repraeſentatur : niſi quod illum hi puerili vel iuvenili ſpecie : hunc vero Tuſci ſagaciſſimi ſenem repraeſentarunt , quaſi iam maturae vitae praeſidem Deum . Cucullum ſive capucium vel admovendum vel reducendum habet . Caput eiuſdem Dei ſuperne , ut cernitur , eſt perforatum rotundo amploque foramine , intuſque inane . Credibile eſt , in eo tamquam vaſe , odores reponi conſueviſſe : quos quum incenderent , ſuffitus fieret Deo , ut credebant , gratiſſimus . In capite vero id fačtum voluere , quod putarent caeleſtis ignis ſedem aemulari , quem a Prometheo accepit (2) .

TA-

(1) Lib. IV. de Lingua Lat.

(2) Hyginum vide Fab. CXLIII.

TABVLA XVIIII.

VACVNA
TAVSVS ET CLITVMNVS
Dii veterum Tuſcorum locales & proprii.

VSus iam inolevit, ut VACVNA ſcribatur, non VACVMNA: ego tamen ſcribendum potius cenſeo VACVMNA, exemplo complurium nominum, ut vidimus, Deorum Etruſcorum, quae hoc modo deſinunt, quemadmodum *Volumna*, *Voltumna*, *Vertumnus*, *Pilumnus*, *Picumnus*. Praetermiſſam vero arbitror M, quod in prolatione non nihil impedimenti & difficultatis habeat: cuius erroris vel quadratariorum, vel librariorum, ſi vacaret, ſexcenta adferre poſſem exempla. Quamvis igitur haec ita ſe habeant, nolui tamen recedere ab uſitata ſcribendi conſuetudine, quae etiam innititur fidei vetuſtae arae inſcriptae in honorem huiuſce Deae: exſtatque prope Cures in Sabinis, inventa inter rudera antiquae urbis, cum hoc titulo (1).

SANCTA . . VACVNAE
SACRVM
M . COCCILIVS . M . F . CRVST
SABINVS
MIL . LEG . XVI . GEMIN . ET
L . COCCILIVS . LEVINVS
SACERDOS
V . S . L . M

Celebre fuit huius Deae nomen apud veteres Tuſcos, ac praecipue apud Sabinos Vmbriae populos vetuſtiſſimos, qui eius cultum ab Etruſcis accepere; nam conſtat, primum Etruſcos ſub Tyrrheno rege in Vmbria conſediſſe, trecentiſque oppidis debellatis, ut Plinius memorat (2), tota ferme Vmbria potitos eſſe. Hinc inditum ab Etruſcis nomen Deae VACVNAE crediderim: quum enim emenſis terra marique maximis periculis, ac ſummis laboribus,

(1) Inter Gudianas edita pag. LVI. 9.   (2) Lib. III. Cap. XIIII.

ribus, bellorumque incommodis omnibus ſuperatis, tranquillas ſedes iiſdem in regionibus nacti eſſent; quod otio & quieti exoptatiſſimae vacarent, omnibuſque curis vacui eſſent, VACVNAE Deae, ob inſignia ſibi conlata beneficia, templa, aras, ſacra, Sacerdotes feſtoſque dies in eius honorem inſtituerunt. Profecto Scriptores omnes docent, hanc Deam eſſe vacationis, quae etiam a curis vacare faciat. Porphyrius (1) incerta ſpecie a Sabinis cultam memorat; ita enim ſcribit: *VACVNA apud Sabinos plurimum colitur Dea, quae eſt ſub incerta ſpecie formata: quidam MINERVAM, alii DIANAM putaverunt: nonnulli & CEREREM eſſe dixerunt; ſed Varro VICTORIAM.* Hac Dea, ut idem Varro docet in primo rerum divinarum, ii gaudent maxime, qui ſapientia vincunt: illud Pindari (2) apud ſe reputantes; ἀλλὰ γὰρ ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ; quod, *opere in omni dulcis & iucunda quies eſt*. Ita quoque Athenienſes *Heſychum* Deum, otii praeſidem & vacationis, ara & delubro & frequenti hominum ſupplicatione celebrarunt (3).

Romani non ſolum *Quieti*, verum etiam & ipſi VACVNAE Deae ſtata & ſolemnia ſacra inſtituere, exemplo veterum Etruſcorum & Sabinorum. Litarunt ei omnes homines, praeſertim agricolae (4), qui quum vacaſſent laboribus, abſoluta agrorum cultura perceptiſque fructibus, in hieme ſacra faciebant VACVNALIA (5):

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſae credere adeſſe Deos.
Nunc quoque quum fiunt antiquae ſacra VACVNAE;
Ante VACVNALES ſtantque ſedentque focos.

Antiquam vocat Deam VACVNAM, propter eius originem, quam primum a Tuſcis, maxime omnium apud Sabinos, antiquiſſimam habuit. Eius templum Horatii aetate celebre fuit in Regione XIIII. trans Tiberim: quod putre adpellat, ut arbitror, quia ob nimiam vetuſtatem vel fatiſceret, vel eſſet corruptum (6):

Haec tibi dictabam poſt templum putre VACVNAE.

In inſigni patera fictili, quam in ſuperiore Tabula VI. retulimus, forſitan ſculpta eſt Dea VACVNA, non vero Pax, in tertio cur-

(1) In Horatii Epiſtol. x. Lib. I.
(2) Nem. Od. VII. antiſtr.
(3) Vide Plutarchum in vita Niciae. De Dea VACVNA erudite diſſerit Ludovicus Creſollius Armoricus e Soc. Ieſu, Vacat. Autumn. Lib. I. Cap. II.
(4) Vide Gyraldum Hiſt. Deor. Syntag. I. pag. 277. 278.
(5) Faſtorum Lib. VI. verſ. 303.
(6) Lib. I. Epiſt. x. ad Ariſtium Fuſcum.

curru ſedens cum Pauſo ; cuius non ſine ratione comes eſſe poteſt . Videbunt viri docti ; de ea nihil definio .

Pavsvm inter Etruſcos Deos recenſet Dempſterus . Quomodo eum Tuſci exhibuerint , ex imagine eius , in eadem patera expreſſa , manifeſtum eſſe arbitror . Hunc non de Semonibus , aut Patellariis unum , ſed praeſtantem pollentemque Genium , ritu maximo & divinitatis opinione ducti venerati ſunt ; ea nimirum de cauſa , quod bellis adverſaretur , iiſdemque pauſam & quietem adferret , uti Turnebus interpretatur (1) , prolato Arnobii teſtimonio (2) , qui aeque ac Bellonam cultum fuiſſe tradit .

Redeo ad vacvnam , quam quum Porphyrius & Varro incerta ſpecie apud Sabinos cultam fuiſſe doceant , quatuor parva ſimulacra delegi , quae in hac Tabula XVIIII. relata non male hanc Deam forſitan exprimere poſſunt . Primum ſignum plaſtico opere elegantiſſimum , typo formatum , apud me exſtat . Minervae ſimilis Dea ſedet in throno , cuius pedibus ſolium ſubiectum cernitur . Peplum , e galea defluens , humeros uſque ad ima obtegit . Pectus non Gorgonis capite , ſed vittis decuſſatis ornatur . Clypeus quoque purus cernitur , abſque eodem amuleto : quae omnia quum in ambiguo ponant Minervae effigiem , facile vacvnam indigitare poſſunt ; praeſertim quum ſedeat ipſa Dea quaſi curarum vacua , otio & quieti indulgens : frequentiſſime autem veteres artifices Minervam ſtantem effinxerent .

Alterum quoque parvum ſignum fictile num. iI. relatum , apud me exſtat . Haereo animo , utrum Minervam an aliam Deam referre dicam . Stat Dea ſine clypeo & Gorgone in pectore . Retro e galea defluit velum , quod raro in aliis ſimulacris , in hunc modum defluens , me videre memini . Conſtat Volaterris inventum in ſepulcro in praediis Franceſchiniis . Venerem armatam deſcribit Pauſanias , cuius ſignum fuit apud Corinthios in delubro (3) , & apud Lacedaemonios (4) . Reliqua duo ſigilla ex aere , num. iiI. & iv . producta , facile huic Deae adſcribi poſſunt : alterum vero alatum , tum Veneri , tum Victoriae non eſt valde diſſimile . Hinc poſtea factum arbitror , ut quum vellent unicum ſimulacrum plura Deorum officia & adtributa exprimere , Panthea ſigna effinxerint . Dubitantes autem de certo Dei nomine , ne errore laberentur , in invocationibus , ſecundum Pontificum morem , dicere conſuevere : *quiſquis es Deus :* vel etiam *ſive Deus , ſive Dea* (5) .

I Ante-

(1) Adverſar. Lib. xv. Cap. xxi.
(2) Contra Gentes Lib. i.
(3) In Corinthiac. Lib. iI. Cap. iv.
(4) In Laconic. Lib. iiI. Cap. xv.
(5) Macrob. Sat. Lib. iiI. Cap. ix. Servius in Virg. Aeneid. Lib. iv. verſ. 576.

Antequam ex Vmbria diſcedam, pauca de CLITVMNO patrio Deo adnotare lubet, quem Tuſci, qui ea loca, pulſis Pelaſgis, tenuere, divinis honoribus conſecrarunt. CLITVMNVM aliqui ipſum flumen in Mevania celeberrimum, alii eiuſdem fluminis Deum exiſtimant (1), qui *Iuppiter Clitumnus* dicebatur. Vibius Sequeſter de Fluminibus: CLITVMNVS *Vmbriae, ubi Iuppiter eodem nomine eſt*. Plinius Caecilius Secundus (2), deſcripta CLITVMNI fluminis mira natura, Clitumni Dei templum & ſimulacrum ita pingit: *Adiacet templum priſcum & religioſum. Stat* CLITVMNVS *ipſe amictus ornatuſque praetexta. Praeſens numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. Sparſa ſunt circa ſacella complura, totidemque Dei: ſua cuique veneratio, ſuum nomen: quibuſdam vero etiam fontes; nam praeter illum, quaſi parentem ceterorum, ſunt minores, capite diſcreti; ſed flumini miſcentur, quod ponte tranſmittitur. Is terminus ſacri profanique*. Mox ſubdit: *Nam ſtudebis quoque, & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inſcripta, quibus* FONS ILLE DEVSQVE *celebratur*. Quibus verbis perſpicuum eſt, duo diverſa Numina fuiſſe ipſum flumen, & CLITVMNVM Deum. Flumen quoque tamquam Deum religioſiſſime cultum non eſt dubium. Multa ſunt, quae Tuſcorum ingenium & ſuperſtitionem declarant: nimirum CLITVMNVS ipſe amictus ornatuſque praetexta, fatorumque vaticinia, quae ab eo edebantur. CLITVMNI nemus memoratur a Suetonio (3), aeque ac flumen celebre: quod videre voluit, ſed non potuit Caligula.

C L I T V M N O
S A C R
L. MINVCIVS. L. F. SABINVS
SACERDOS. D. N. VI. VIR
AVG. PATRONVS. HISPEL
IIII. VIR. QVINQVENN
SACR. CLITVMNAL.......
EPVL. DED..................
COLLEG......................
KAL. MAI....................
L. SEPTIM....................
L. AVR.........................

CLITVMNALIA ſacra apud Hiſpellates in eius honorem celebrata fuiſſe, conſtat auctoritate huius vetuſtae arae, eidem dedicatae, quae inter Gudianas vulgata eſt (4).

TA-

(1) Turnebus Adv. Lib. XXIX. Cap. XXVI.
(2) Lib. VIII. Epiſt. VIII.
(3) In Caligula num. 43.
(4) Pag. LXII. num. 4.

T A B V L A XX.

DEORVM
quos veteres Tuſci peculiari cultu conſecrarunt, nomina recenſentur & illuſtrantur.

DIis propriis & ſelectis veterum Etruſcorum iam enumeratis, alios addere, non erit, ut opinor, ſupervacaneum, nec fortaſſe iniucundum. Primus ordinem ducat FALACER, Deorum longe antiquiſſimus; de quo pauca apud Scriptores adnotata ſuperſunt. Magnifica auguſtaque adpellatione, DIVVM PATREM vocatum fuiſſe, ſcribit Varro (1). Honoris cauſſa, propter dignitatem celebritatemque nominis ſui, meruit etiam Flaminem, quem ex eo FALACREM dixere. Gyraldus, qui Deorum naturam & officia diligenter inveſtigavit, ingenue fatetur, quod & ego fateor ingenue, ſe neſcire quis nam Deus fuerit FALACER (2); nam a nemine veterum traditur qui fuerit. Alexander ab Alexandro pomorum Deum facit: ſed, ut videtur, Varronis verba non bene conſideravit; idque forſan adſeruit, quia poſt FALACREM, in textu ſtatim vidit, Pomonam pomorum patronam cum eo coniungi. Aliqui a loco *Falacrino*, non procul Roma, cuius mentio in Itinerario Antonini: Turnebus in Varronem ſuſpicatur FALACREM Deum inde dictum, quod falis Circi praeeſſet; nam, ut ſcribit Tertullianus, ſingula Circi ornamenta, ſingula templa fuere (3).

Conſulit ante falas delphinorumque columnas.

Ante eaſdem falas & delphinorum columnas in Circo verſabantur poëtae, divinatores & aſtrologi, a quibus conſilia capiebant, ut notat Plinius (4). Verum haec non conveniunt cum antiquiſſimis illis temporibus, in quibus FALACER cultus eſt, quando falae in Circo nondum erant.

Facile crediderim (ſi coniecturis indulgere permittitur in re maxime obſcura) FALACREM, ipſum eſſe IANVM Tuſcorum principem Deum; quem ita cognominarunt, ut arbitror, quaſi *Caeleſtem*

I 2

(1) Lib. IV. de Lingua Lat. pag. 21. & 80.
(2) Hiſtor. Deor. Synt. 1. pag. mihi 58.
(3) Vide Iuvenalem Sat. VI. verſ. 589.
(4) Lib. XXX. Cap. V.

ſtem & Altiſſimum: eumque ipſum eſſe caelum, ac proinde mundum, ut docet Macrobius (1), exiſtimarunt; nam, ut eſt apud Feſtum, FALAE dictae ſunt a *falando* (ſive a *falado*) quae vox apud Etruſcos *caelum* ſignificat. Quod vero FALACER idem ſit ac Ianus, ex eo coniicio, quod DIVVS PATER ab omnibus vocaretur, ut idem Varro teſtatur. Ianus quoque hoc praeſertim nomine in Saliaribus carminibus invocabatur (2); quod Deorum Deus antiquiſſimus haberetur, ut ſupra diximus. Septimius, antiquus poëta, audiendus:

Iane PATER, *Iane tuens, dive, biceps, biformis;*
O cate rerum ſator, o principium Deorum.

Ianum FALACREM, ſive *Caeleſtem* ac *Summum*, fortaſſe repraeſentat antiquiſſimum ſignum ex aere, quod protuli in Tabula I. num. II. nam dextro brachio & manu elata caelum ſedem ſuam oſtendere videtur.

CARNA Tuſcorum Dea, Iani uxor, memoranda nunc eſt: quae viſceribus humanis praeeſſe, & vitalia fovere, ac ſalutem conſervare credebatur (3). Caelius mons ei ſacer fuit, in quo ſedem & templum habuit. Hunc montem, antiquitus Querquetulanum dictum, quod quercubus frequens fecunduſque eſſet (4), primi omnium incoluere Tuſci; cui nomen a Caelio Vibennio Tuſco factum, docet Varro (5): qui etiam memorat, hunc nobilem ducem cum ſua manu Romulo veniſſe auxilio contra Tatium Sabinorum Regem; eidemque, recepto iam Tatio, in quem ſuppetias tulerat, partem Vrbis datam: a quo Tuſcus dictus eſt vicus (6), in quo Vertumnus Etruriae Deus divinos honores, ſimulacrum, aram & templum promeruit (7). Aucta Vrbe ruinis Albae, Tullus Hoſtilius Albanos Romam reduxit, Caelium Vrbi addidit: quoque magis frequentaretur, in eo regiam ſedem ſuam conſtituit (8); quare magis in dies CARNAE Deae nomen celebre factum eſt. Sine caede & ſanguine victimarum, ſacra in eius honorem inſtituta, Kalendis Iuniis quotannis peragebantur, quae deſcribit Macrobius (9). Tutelaris quoque infantium Dea credebatur; quod

(1) Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(2) Vide Gyraldum Hiſtor. Deor. Synt. V. verſus finem.
(3) Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. II. Cap. XXII.
(4) Tacitus Libro IV. Annal. & Alexand. ab Alex. Lib. VI. Cap. XI.
(5) Lib. IV. Ling. Lat. Vide etiam Th. Dempſter. de Etr. Reg. Lib. II. Cap. XLVII.
(6) Ex Servio ad Lib. V. Aeneid. ex auctoritate Varronis.
(7) Ex eodem Varrone Lib. IV. Ling. Lat.
(8) Vide Alex. ab Alex. Lib. VI. Cap. XI.
(9) Saturnal. Lib. I. Cap. XII. vide etiam Alex. ab Alex. Lib. II. Cap. XXII. & Corradinum Vet. Lat. T. I. Lib. I. Cap. XIII.

quod ab his, ut canit Ovidius (1), ſtriges pelleret cum virga ex alba ſpina, quam in praemium violatae pudicitiae ab Iano coniuge accepit. Eadem *Cardea* & *Cardinea* appellata, quod cum Iano cardinibus praeeſſet (2).

Quamvis incompertum ſit, quae bona hominibus largiri crederentur locales Dii DELVENTINVS & VISIDIANVS, ſive, ut plures volunt, VIRIDIANVS; tamen ab Etruſcis conſecratos fuiſſe, haud abſurdum eſt ſuſpicari. *Deluentinum* Caſinienſes, *Viſidianum* Narnienſes religioſiſſime coluerunt. Horum meminit Tertullianus in Apologetico (3). Secutus ſum editionem huius libri factam ab egregio viro Sigeberto Havercampo.

Ne a Campaniae locis longius abſcedam, Neapolitani patrium Deum venerati ſunt HEBONA: immo omnes fere Oſcorum civitates Etruſcae originis, ut Campanorum, Atellanorum, Nolanorum, Puteolanorum, Calenorum, Sueſſanorum, quod eorum nummi teſtantur, inſuper & Calatinorum, ut oſtendit Vir Celeberrimus Matthaeus Aegyptius in Commentario in S. C. de Bacchanalibus, omnigenae eruditionis fruge referto (4). Hunc Deum, ipſum eſſe Bacchum cenſet idem Macrobius; quem tauriformem, praeter faciem, nummi eorumdem populorum repraeſentant.

Nec ſilentio praetereundus Etruſcorum Deus MVTVMNVS, ſive, ut plures ſcribunt, MVTVNVS. Hunc ipſum eſſe Priapum fere omnes arbitrantur. Tertullianus (5) & Lactantius Firmianus (6) cum *Picumno* ſive *Sterculio*, tamquam ſocium, nominant. Meminit etiam MVTVMNI D. Auguſtinus (7), quo in loco *Tutummum* ſive *Tutunum* reiicit Ludovicus Vives, librariorum arbitratu adiectum: verum de MVTVMNO haec ſubdit: MVTVMNVS *videtur dictus, quod efficiat, ut maritus magis, & virgo minus moveatur.*

His addenda ARNA Dea, quam Etruſcos coluiſſe indicat ipſum nomen, proculdubio Etruſcum (quod etiam non raro legitur in ſepulcris veterum Tuſcorum) quae infra adducam: ac perpauca monumenta, quae ſuperſunt; quamvis de ea antiqui ſcriptores non meminerint. Summa religione ab Arnatibus cultam fuiſſe, non levis eſt coniectura. ARNATVM meminit Plinius (8), ex quo colligimus Vmbriae populos fuiſſe. Hi eam urbem incoluiſſe creduntur, quae a Peruſia quinto fere lapide diſtat, nunc plane exi-

(1) Faſtorum Lib. VI. verſ. 130. & ſeqq.
(2) Ovidius ibid. verſ. 100. Auguſtinus de Civit. Dei Lib. IV. Cap. VIII. Vide etiam Gyraldum Synt. I. Hiſtor. Deor.
(3) Cap. XXIV. Vide Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. VI. Cap. IV. Th. Dempſterum de Etr. Reg. Lib. I. Cap. XV.
(4) Vide pag. 32. 33. Confer etiam, quae de hoc Deo notar Gyraldus Hiſtor. Deorum Syntag. VIII.
(5) In Apologetico Cap. XXV.
(6) De falſa Relig. Lib. I. Cap. XX.
(7) De Civit. Dei Lib. IV. Cap. XI.
(8) Hiſt. Lib. III. Cap. XIV.

exigua , nec populo frequens ; quae vulgo dicitur *Civitella d' Arne*. Heic facile ſitum vetuſtiſſimum illud oppidum , de quo meminit Livius , & *Adbarnabam* (1) adpellatum fuiſſe memorat : quamvis mendum ineſſe putem in editis libris , ſcriptumque ſuſpicer *ad Arnam* , quaſi ad fanum Arnae , ut *ad Voltumnam* , ad fanum Voltumnae , in quo Etruſcorum concilia habebantur , de quo ſuperius diſſeruimus . Neque enim credam , hoc nomen *Adbarnabam* complecti duo nomina civitatum Chananaeorum *Adar* & *Naama* (2) , e quibus hoc nomen Etruſcorum oppidi *Adbarnabam* (alu *Abarnam* , ego vero lego , *ad Arnam*) coaluerit (3) . Exſtant etiamnum in hoc oppido vetuſtiſſimae Etruſcorum aedificiorum reliquiae , ut ſcribit Felix Ciattius (4) : exſtat in domo Nobilium Sotiorum lapis votivus Latinis litteris inſcriptus , qui teſtatur , in eo templum ARNAE Deae fuiſſe ; quam , ipſam eſſe Fortunam , ſive Genium ſibi propitium , veteres Arnates credidere . Hunc mecum communicavit V. Cl. Philippus Venutus , Patricius Cortonenſis , Etruſcorum Academiae eximium ornamentum ; qui etiam de inſcriptione ipſa , quam capite mutilam eſſe arbitror , videndum eſſe me admonuit .

PHILEROS
QVI . PRAEFVIT . TEMPLO
ARNAE
STATIA . CHARITE
FORTVNAE D . D .

Nomenclaturam hanc Deorum Etruriae propriorum & ſelectorum claudant nobiliores *Fluvii* , *Stagna* ac *Lacus* , qui , tamquam Dii , ſimulacra , templa , aras divinoſque honores meruere : vel quia his Tuſci Reges & Heroës nomen ſuum dedere ; vel quia complura populis beneficia , utilitates & commoda largiuntur . TIBERIS principem locum per me obtineat ; cui celebre ad poſteros

(1) Lib. x . pag. 141. ed. Ven. Manut. MDLV.
(2) Harum mentio in Ioſue Cap. XV. verſ. 3. 41.
(3) Vide March. Scipionem Maffeium in libro cui titulus: *Degl' Itali primitivi Ragionamento* pag. 223. quem coniunxit cum *Hiſtoria Diplomatica*.
(4) Peruſ. Aug. Lib. II. pag. 76. & alibi .

ros nomen fuit *Tiberinus*, vel *Tiberis*, ut plures Scriptores tradunt, Etruſcorum Rex: quem ferunt ſubmerſum in undis huius amnis, qui antea *Albula* vocabatur: vel potius, ut Livius (1) & Dionyſius Halicarnaſſenſis narrant (2), quod pugnans iuxta eum cecidiſſet. De eo plura congerit Dempſterus (3), quem videre poteris. TIBERINVM, a Romulo inter Deos relatum, docet Varro apud S. Auguſtinum (4). Spectacula quoque, in eius honorem celebrata XVI. Kalendas Septembres, notantur in veteri Kalendario apud Petrum Lambecium (5), quae TIBERINALIA vocarunt. *Patrem, ſanctumque* veteres dixere, & vota nuncuparunt. Horatius Cocles armatus in Tiberim deſiliens ſeque devovens, more ab Etruſcis accepto, ita eius numen invocat apud Livium (6): *PATER TIBERINE, te ſancte precor, haec arma & hunc militem propitio flumine accipias*. Tamquam patrium numen plures urbes coluere: praeſertim vero Horta, perantiqua inter duodecim Etruriae; nam ſub ipſa, prope Tiberis ripas, ex lapide ibidem eruto, conſtat aram erectam fuiſſe, quam edidit & illuſtravit Vir Praeſtantiſſimus Iuſtus Fontaninus (7), Archiepiſcopus Ancyranus: iterumque a me vulgatam vide inter Donianas (8). Huic Deo comites etiam dedere Nymphas, uti ex hac inſcriptione pervetuſta diſcimus (9):

PATRI TIBERINO ET NYMPHIS
SACRVM
PRAEF. COLL. FABR. NAV. OSTIENS
CVRANT. T. APRONIANO ET
ARRIO MODESTO ET
SILVIO MAIORANO ET
L. TITINO VIOLENTE IIII. VIR. QVINQVEN.

Compertum habeo, Tuſcos coluiſſe non tantum Nymphas fluviorum & fontium praeſides, verum etiam montium, collium, nemorum, lucorumque & arborum. Memorantur a Varrone

(1) Lib. I.
(2) Antiquit. Rom. Lib. I. pag. mihi 57.
(3) De Etruria Reg. Lib. II. Cap. XVII.
(4) Lib. VI. Cap. X. de Civit. Dei.
(5) Tom. IV. Biblioth. Caeſar. pag. 284.
(6) Lib. II.
(7) De Ant. Hortae Lib. I. Cap. VIII.
(8) Inſcript. ant. Claſſ. V. num. 53.
(9) Apud Corradinum Tom. I. Vet. Lat. ſac. & prof. Cap. XXVII. pag. 378.

rone (1) Lares & Nymphae QVERQVETVLANAE, quas Quarquetulani (qui populi e Tuſcis orti, uti ſupra diximus, ante Vrbem conditam Caelium montem incoluerunt) ſolemnibus ſacris quotannis deveneratí ſunt; ſacellum & lacum ſacrarunt, propterea quod ab his potiſſimum defendi ſe crederent.

ARNVM quoque ſanctum patrem ſtatis ſolemnibus ſacris precati ſunt veteres Tuſci, qui haec loca ante Romanos colonos tenuere. Eius nomen celebre eſt apud veteres Scriptores Livium, Plinium, Tacitum, Caſſiodorum, Rutilium, atque etiam apud inſignes Geographos; ne quid dicam de noſtris Dante, Boccaccio, Faccio Vberto ceteriſque, praeſertim vero Poëtis, qui eum divinaſque Nymphas eius comites multis laudibus exornant. Sculptus eſt ARNVS cum TIBERINO patre in vetuſtiſſimo Sarcophago, qui Florentiae exſtat iuxta ſacram Turrim Metropolitanae Eccleſiae in proximo pariete inſertus. Ambo aquas ex urnis effundunt, & copiae cornu fructibus refertum tenent. Arni originem & incrementum illuſtrat Thomas Dempſterus (2): quae non vacat repetere.

Sequitur ARNI comes fluvius AVSER, ſive AESAR, qui olim Arno ad Piſas iungebatur; nunc derivato curſu per Lucenſem agrum fluit, mutatoque nomine *Serchius* adpellatur. De eo multa luculenter notat doctiſſimus Petrus Victorius, non ultimus ſtudiorum humanitatis inſtaurator, quem vide (3). Tamquam Deum & ipſum inter patria Numina divinis honoribus conſecratum fuiſſe, perſpicue nomen Etruſcum *Aeſar* indicat, quod, ut notat Suetonius (4), *Deus* ſignificat.

Inter Deos Topicos, ſive Locales relati etiam a Tuſcis *Tadus*, *Rhenus*, *Numicius*, *Vmbro*, *Macra*, *Stella*, *Cecina*, *Cremera*, *Almo*, *Oſa*, *Far*, *Nar*, ceteraque inſigniora Italiae flumina: quae omnia ſi enumerare vellem, manum e tabula numquam tollerem. His adde celebriores lacus *Traſimenum*, *Vadimonem*, *Lucrinum*, *Volſinienſem*, *Ciminium*, *Velinum*: aquas medicatas, nimirum Caeretanas, Narnienſes, Nepeſinas, Taurias, Piſanas, Lucenſes, Baianas, Cluſinas, Gabias, quas Horatius laudat (5); quibus etiam aras ſacratas fuiſſe non eſt dubium (6).

TA-

(1) Lib. IV. Linguae Lat.
(2) De Etrur. Reg. Lib. IV. Cap. V.
(3) Variar. Lect. Lib. XVII. Cap. III.
(4) In Auguſto num. 97.
(5) Lib. I. Epiſtol. XV.
(6) V. Dempſter. Lib. I. Cap. XIII. Lib. IV. Cap. VI. Reineſium Claſſ. I. 96. 97. 99. Fabrettum de Aquis Diſſ. II. pag. 99. 100.

TABVLA XXI.

SATVRNVS ET OPIS ceterique Dii Conſentes & Communes veterum Etruſcorum proponuntur & illuſtrantur.

Patrios Deos antiquiſſimae gentis ETRVSCAE, non exigua, ut arbitror, diligentia, ſin minus luculenta eruditione, breviter indicavimus: ſequuntur illi, quos arcana diſciplina Tuſcoque vocabulo CONSENTES adpellarunt, quod in concilio Iovis una conſentiant adhibeanturque (1). Hi duodecim fuere, quos Latini maiorum gentium Deos vocant: poſt hos, reliquos recenſebo, quos ſacris communibus, quae & aliae nationes habuerunt, venerati ſunt.

Primus omnium memorandus SATVRNVS; qui tamen non intra, ſed ſupra Conſentium Deorum ordinem principem locum tenet. Quamvis Hiſtoriae veritatem multis fabulis foedarint rudes populi; tamen conſtat fidelibus argumentis, ut ait Tertullianus (2), Saturnum ab Iove filio regno pulſum, poſt multas expeditiones, poſtque Attica hoſpitia, in Italiam claſſe provectum, ab Iano exceptum, atque in regni ſocietatem adſumtum fuiſſe: & hoc in memoriam beneficii, quod ruris peritiam edocuiſſet, ferumque illum ac rudem ante fruges inventas victum in melius redegiſſet. Praeterea, quum Ianus primus aera ſignaret, ſervavit & hoc in Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo SATVRNI nomen in poſteros propagaret (3). Haud procul a Ianiculo arcem ſuo nomine Saturniam conſtituit: Italiam quoque ſuo nomine Saturniam vocavit: Latio leges & nomen dedit, quod in his locis regno profugus latitaſſet (4). Poſt mortem divinis honoribus conſecratus, aras, templa, ferias & ſacra promeruit: quae, ut docet Macrobius, multis ſeculis ante Romanae Vrbis aetatem celebrata, *Saturnalia* nominata ſunt. Flamines etiam ſive Sacerdotes, itemque Vates & Faunii (5)

K in

(1) Vide Arnobium Lib. III. adverſus Gentes. Nigidium Lib. XVI. D. Auguſtinum Lib. IV. Cap. XXIII. Civit. Dei.

(2) Apologetici Cap. X. Vide Herodianum Hiſt. Lib. I. in Commodo Cap. XVIII.

(3) Ex Macrobio Saturn. Lib. I. Cap. VII.

(4) Auctor Originis Gent. Rom. in princ.

(5) V. Corradin. vet. Lat. Lib. I. Cap. XXIV.

in eius honorem adſignati memorantur , qui Saturniis verſibus eius laudes celebrarent . De humana victima Saturno immolari ſolita , alibi diſſeram . Humanum hoc ſacrificium repraeſentant anaglypha Sepulcrorum , quibus veteres Etruſci ad recondendos cineres defunctorum uſi ſunt , quaeque inferius adducam ; quare conſtat , non Pelaſgos tantum , verum etiam Etruſcos , eo ſacro uſos fuiſſe in honorem Saturni , quem tamquam Deum coluiſſe minime dubitandum eſt .

SATVRNI ſimulacrum aheneum , Tuſco artificio pulcherrimum , & quidem rariſſimum , numquam antea in lucem editum , exhibeo in Tabula XXI. num. 1. quod in regio Mediceo Theſauro adſervatur . Dextra , quaſi aliquid cogitabandus meditetur , mentum ſubfulcit ſuum . Divinationis auctorem fuiſſe tradit Plutarchus (1) . Siniſtra falcem meſſoriam vel arborariam gerit : quae quidem non reſtituta , ſed illa ipſa eſt , quam antiquus artifex fabricavit . Hanc primus omnium SATVRNVS in Italiam intulit ; ſed Ianus eius uſum Etruſcis oſtendit , quod ex Palladio & Servio colligit Dempſterus (2) . Non praetermittam eximium Macrobii locum , qui hoc ſignum egregie illuſtrat , SATVRNVM ab Iano omnibus honoribus conſecratum ita deſcribens (3) : *Obſervari igitur eum iuſſit maieſtate religionis quaſi vitae melioris auctorem : ſimulacrum eius indicio eſt , cui falcem inſigne meſſis adiecit . Huic Deo inſertiones ſurculorum pomorumque educationes , & omnium huiuſcemodi fertilium tribuunt diſciplinas . Cyrenenſes etiam , quum rem divinam ei faciunt , ficis recentibus coronantur , placentaſque mutuo miſſitant ; mellis & fructuum repertorem Saturnum exiſtimantes . Hunc etiam* STERCVTIVM *vocant , quod primus ſtercore fecunditatem agris comparaverit .* Arnobius *vitiſatorem falciferum* adpellat (4) . In antiquo lapide votivo , quem protuli e Mediceo Cimeliarchio (5) , praeter imaginem Saturni & falcem , addita eſt pinea nux , felicitatiis atque aurei aevi ſymbolum , ut videbimus : & patera , quaſi libationes divinas ipſe invenerit atque inſtituerit . Romani SATVRNVM effinxerunt non toto corpore nudum , ſed pallio amictum , velatis tantum inferioribus corporis partibus , opertoque capite eodem pallio , & caput brachio ſubſulcientem (6) ; at heic toto corpore nudum videmus , operto capite parvo pileo , quem ei dederunt Etruſci ; tum quia ab eo inventum eſſe crediderunt monſtratumque agricolis ad arcendas aëris & pluviarum iniurias : tum etiam propter labores iti-

(1) De Oraculorum defectu.
(2) De Etrur. Reg. Lib. III. Cap. LVII.
(3) Saturnal. Lib. I. Cap. VII.
(4) Lib. III. adverſus Gentes.
(5) In Par. I. Inſcript. ant. Etruriae Vrbium pag. 55. num. CXXI.
(6) Vide aram relatam inter Donianas Inſcriptiones Tab. I. pag. XXXVIII.

itinerum, quos in Italiam veniens, terra marique, perpeſſus eſt (1).

In eadem Tabula num. II. SATVRNO iungitur OPIS, eius ſoror & coniux: quae habita eſt eadem ac Rhea, itemque Magna Deum Mater Cybele, Maia, Bona Dea, Terra ſeu Tellus, Fauna & Fatua (2). Varro, qui ea, quae erant ſua tempeſtate notiora, exponit, hos Deos ante Romam conditam in Latio principes fuiſſe adfirmat (3). Ab Etruſcis vero primum manaſſe, vel potius auctum eſſe eorum cultum, quem Pelaſgi, ut aliqui volunt (4), vel Troiani in haec loca venientes, monſtrarunt: ex eo licet arguere, quod Ianus Etruſcorum rex, ut paullo ante vidimus, SATVRNVM, ac proinde, ut puto, etiam OPIM, apotheoſi conſecraſſe memoratur a Macrobio (5): cuius ea potiſſimum cauſa extitit, quod tam frugum, quam fructuum repertores, vitaeque cultioris auctores crederentur. Siquidem caelum SATVRNVM, OPIM terram rerum omnium procreatricem eſſe exiſtimarunt. Hinc tympana, quae terram referunt, pro ſymbolo ei tributa videmus, nec ſolum a Graecis, apud quos primum in Attica Saturno & Opi aram ſtatuit Cecrops, teſte Philochoro apud eumdem Macrobium; verum etiam ab Etruſcis, ac deinde a Romanis: quod manifeſte declarat hoc elegantiſſimum parvum ſimulacrum, inſigne Tuſci artificis opus: cuius indices ſunt bulla e torque ante pectus dependens, & armillae in utroque brachio ornatiſſimae. Hanc Deam aliae nationes veſtibus amictam atque cum capite turrito effinxerunt: Etruſci vero toto corpore nudam, & aperto capite: quodque obſervatu dignum, ſuſpenſis in aëra brachiis, tympana eo modo tenentem, expreſſerunt. Cur vero eam ita exhibuerint, ex his Lucretii verſibus facile colligi poſſe crediderim (6):

Hanc veteres Graium docti cecinere Poëtae
Sublimem in curru biiugos agitare leones:
Aëris in ſpatio magnam pendere docentes
TELLVREM; neque poſſe in terra ſiſtere terram.

OPALIA dicebantur feſti dies, quibus OPI ſupplicabant: quae poſt diem tertium Saturnaliorum, ut docent Varro ac Feſtus,

(1) Adi Io. Goropium Becanum in Cron. Lib. IV. pag. 400. 401. 402.
(2) Vide Varronem de Ling. Lat. Lib. IV. D. Auguſtinum de Civitat. Dei Lib. VII. Cap. XXIII. & XXIIII. Ovidium Lib. IV. Faſtorum verſ. 188. Macrobium Saturn. Lib. I. Cap. XII. Strabonem Lib. X.
(3) Lib. IV. Ling. Lat.
(4) Vide Corradinum Vet. Lat. prof. Lib. I. Cap. XVI. & XXIV.
(5) Saturnal. Lib. I. Cap. VII. & Cap. X.
(6) Lib. II. verſ. 600.

ſtus, celebrabantur, nec uno quidem die, ſed pluribus. Verum in faſtis vetuſtiſſimi Kalendarii apud Gruterum (1), OPALIA indicuntur XII. Kalendas Ianuarias: adeoque incidunt in diem viceſimum primum Decembris (2). Vno eodemque templo Romani OPEM & SATVRNVM venerati ſunt.

T A B V L A XXII.

I V P P I T E R
Summanus, Anxurus, Elicius, Fulgerator, Tonans, Lucetius ab Etruſcis cultus.

QVamquam conſtet, IOVEM, Deorum Conſentium principem, quem *exuperantiſſimum* vetuſtae arae praedicant (3), maxima religione cultum ab Etruſcis fuiſſe (ipſe enim, ut iidem tradidere (4), totam Etruriam ſuo vindicavit imperio, iuſſitque metiri campos, atque agros ſignari) tamen in celebrioribus Etruriae Cimeliothecis, quas diligenter luſtravi, nullum IOVIS ſimulacrum reperire potui, quod ab opifice Tuſco fabricatum crederem, praeter hoc ex aere, plane vetuſtiſſimum, atque in ipſa artis infantia confectum, quod hodie exſtat Cortonae in celeberrimo Etruſcorum Academicorum Muſeo. Decem ab hinc annis inventum fuit, cum vetuſtis pluribus donariis aliiſque parvis ſignis, inter veſtigia antiquiſſimi fani in viciniis Peglii, duobus fere miliaribus prope Florentiolam, celebre Etruriae oppidum, verſus occidentalem plagam: proxime etiam ea loca, in quibus quatuor Vulcanii ignes obſervantur, de quibus erudite diſſeruit D. Hercules Corazzius Abbas Olivetanus (5). Venit paullo poſt in manus meas, ac facile comparare potuiſſem; ſed ne minimum quidem de hoc opere ea tempeſtate cogitabam. Illud conquiſiere Nobiles Venuti, qui poſtea Cortonenſi Muſeo donarunt. Delineatum diligentiſſime ad me miſit Splendidiſſimus Eques Galeottus Coratius, elegantiarum antiquitatis admirator eximius.

Loci

(1) Pag. CXXXIII.
(2) Vide de bis Corradinum Vet. Latii prof. Lib. 1. Cap. XXIV. pag. 325. 326.
(3) Vide apud Reineſium Claſſ. I. 244. Sponium in Miſc. ant. Sec. III. pag. 71. 72.
(4) Ex Fragmento poſt auctores de limitibus, ex libris Vegoiae. Vide Bonarrot. in Monum. add. Dempſter. §. II. pag. 10.
(5) Diſſertatio de his ignibus edita eſt cum reliquis Bononiae anno MDCCXVII. in 4.

Loci huiuſce circumſtantiae facile perſuadent, hoc ſignum referre poſſe IOVEM SVMMANVM, nempe *Inferum*, ibidem, ut arbitror, divinis honoribus adoratum: cui Etruſci nocturna fulmina tribuere. Integer adferendus eſt inſignis Plinii locus, qui egregie hoc ſimulacrum illuſtrat (1). *Tuſcorum litterae novem Deos emittere fulmina exiſtimant, eaque eſſe undecim generum: Iovem trina iaculari. Romani duo tantum ex iis ſervavere, diurna adtribuentes* IOVI, *nocturna* SVMMANO: *rariora ſane eadem de cauſa frigidioris caeli. Etruria erumpere terra quoque arbitratur, quae infera adpellat, brumali tempore facta, ſaeva maxime & execrabilia, quum ſint omnia quae terrena exiſtimant, non illa generalia, nec a ſideribus venientia; ſed ex proxima atque turbidiore natura. Argumentum evidens eſt, quod omnia, a ſuperiore caelo decidentia, obliquos habeant ictus: haec autem, quae vocantur terrena, rectos*. Fulmen peculiaris formae, quod dextera praefert, e genere terrenorum eſſe videtur; nam rectum tenet SVMMANVS Iuppiter: quum e contrario frequentius obliquum teneat Iuppiter Fulminator, qui in aliis antiquiſſimis monumentis repraeſentatur. Quod vero Tuſci SVMMANVM devenerati ſint, indicant mons circa Piſtorium, qui eius nomen retinet, & *Mons Summanus*, vulgo *Monſummano* dicitur. Eſt etiam non longe alius mons, ab Iove SVPERO & CAELESTI adpellationem ſortitus, qui & hodie *Mons Iovis*, vulgo *Monte Giovi* vocatur (2). Haud igitur obſcurum eſt, Iovem SVMMANVM apud Florentiolam oppidum, viceſimo quincto a Florentia lapide diſtans, templum & cultum, nec non & apud Piſtorienſes, Piſcienſes ac finitimos populos habuiſſe.

Non ſolum corpore nudus exhibetur IVPPITER; verum etiam imberbis & iuvenili ſpecie decorus. Capilli, retro prolixi atque intonſi, frontem plexu quodam perbelle coronant. Talis forte fuit IVPPITER, cognomento ANXVR, quem Tuſci circa Campaniae tractum ſumma religione adorarunt, una cum Feronia Virgine: eiuſque tutelae ac praeſidio ea arva commendarunt, ut docet Virgilius (3):

> ——————— *Queis Iuppiter* ANXVRVS *arvis*
> *Praeſidet, & viridi gaudens* FERONIA *luco*.

Servius in hunc locum, IOVEM, ex eo ANXVREM adpellatum cenſet, quaſi ἄνευ ξυροῦ, ideſt ſine novacula, quaſi barbam numquam raſiſſet. Plinius vero vult, ANXVR eſſe vocem Volſcorum (4),

qui

(1) Lib. II. Cap. LII.
(2) V. Par. II. Inſcr. ant. Etr. Vrb. pag. 126.
(3) Lib. VII. Aeneid. verſ. 799.
(4) Lib. III. Cap. V.

qui Tuſcorum coloni fuere. Idem a Livio memoratur (1): ANXVR *ſuit, quae nunc Tarracinae ſunt:* Deinde (2) ANXVR *in Volſcis brevi receptum eſt;* quare haud facile dixerim, utrum ne urbs Iovi, an vero urbi Iuppiter nomen fecerit. Sed de hoc Iovis cognomine, vide quae notat eximius vir Claudius Dauſquius (3).

IVPPITER ELICIVS, quem Graeci Καταιβάτην adpellant, non aliunde innotuit Latii populis, ac Numae Romanorum regi, qui ei aram in Aventino dedicavit (4), quam ex libris veterum Etruſcorum, ut obſervat Petrus Crinitus (5). ELICIVM dixere, quod elicerent e caelo ad evocationem vel expiationem fulgurum, ex quibus fata praevidebant: elicitumque orabant, ut occultis ſolemnibus eſſet propitius ac praeſens, quod ex Livio (6) & Plinio colligitur (7). Ovidius omnium clariſſime (8):

Eliciunt caelo te, IVPPITER: unde minores
Nunc quoque te celebrant, ELICIVMQVE vocant.

Cultus etiam ab Etruſcis IVPPITER FVLGVRIATOR ſive FVLGERATOR, & FVLGVRATOR, idemque FVLMINATOR & TONANS: quae nomina e libris auguralis diſciplinae Etruſcorum innotuere (9). Bindus Simon Perutius, Patricius Florentinus, priſci aevi monumentorum patriaeque Hiſtoriae ſtudio, eruditione & lucubrationibus illuſtris, hoc ſimulacrum referre putat IOVEM FVLGERATOREM (10), cui ara ex Haruſpicum ſententia dedicata eſt, quam adfert Gruterus (11): locuſque in ea religioſus declaratur, quem ſuſpicor fulmine ſeu fulgure ictum fuiſſe. Pervetuſtum marmor protuli ex Muſeo Mediceo (12), quo locum religioſum veteres notarunt hac inſcriptione FVLGVR DIVM. quod ſcilicet non eſſet nocturnum, quod cecidit, ſed diurnum, ἀπὸ τοῦ Διός, ut docet Feſtus. Qui fulgura & fulmina eorumque manubias, hoc eſt iactus, ſcientiſſime interpretabantur, procurabant, vel piaculis luebant, *Haruſpices Fulguriatores* dicebantur, inter quos ille celebris T. Atius apud Piſaurenſes memoratur (13).

Ex

(1) Lib. IV. circa finem.
(2) Idem Lib. V.
(3) Tom. II. Orthographic. pag. 51. & in Silium Italicum Lib. VIII. pag. 349.
(4) Livius Lib. I. Varro Lib. V. de Ling. Lat.
(5) De honeſta diſcipl. Lib. XXV. Cap. II.
(6) Lib. I.
(7) Lib. II. Cap. LIII.
(8) Faſtor. Lib. III. verſ. 325. Vide Anton. Clarium Silvium in Comm. ad Leges &c. Cap. II. pag. 242.
(9) Vide Crinitum ibid. Lib. XXV. Cap. II.
(10) Adi Diſſertationem IV. quae edita eſt nuper Romae cum aliis Etruſcorum Academicorum pag. 47.
(11) Pag. XX. 4. Vide etiam inter Donianas Claſſ. I. num. 1.
(12) In Parte I. Inſcript. Etrur. Vrbium pag. 52. num. CVII.
(13) Confer Dempſt. de Etr. Reg. Lib. III. Cap. III. pag. 251. Diſſertationes Academicorum Etruſcorum pag. 42.

Ex Etruſca patera, quam mox adferam (1), conſtat, Iovem ab Tuſcis TONANTEM cognominatum fuiſſe; nam iuxta eius imaginem ſcriptum 𐌀𐌍𐌉𐌕 id eſt *Tina*: quae vox, ut creditur, *Tonans*, ſignificat. Hoc ipſum cognomen non Iovis tantum proprium fuit, ſed & aliorum novem Deorum, quos Tuſci tonare, ac fulmina, quae ſingulorum propria eſſent, iaculari crediderunt: inter quos praeter Summanum, Saturnum, Martem, Vulcanum, Iunonem, Minervam, Apollinem, BACCHVM quoque cenſuere. Teſtem habeo inſignem pateram, ex Muſeo Clariſſimi Franciſci Ficoronii, Romani Antiquarii, depromtam, editamque apud Dempſterum Tabula III. in qua cum Apolline & Mercurio ſculptus eſt Bacchus hedera redimitus, dextra ſceptrum ſive haſtam, ſiniſtra fulmen, & ipſum peculiaris formae, tenens: circa eius caput ſcriptum legitur 𐌀𐌉𐌍𐌉𐌕 *Tinia*, nimirum *Tonans*. Interamnates Tuſci Iovem coluere, omnia haec complectentem, nimirum *Fulminatorem*, *Fulguratorem*, *Tonantem*, ut docet arae vetuſtiſſimae titulus editus in Gruteriano Theſauro (2). Ex inſcriptionibus additis Etruſcis pateris diſcimus, cognomina Deorum in uſu fuiſſe apud Tuſcos, ac forſitan omnium primos ea in Italiam invexiſſe; ex his enim monumentis colligimus, aliquando Deos proprio nomine, interdum ſolo cognomine invocaſſe.

Oſci, Campaniae populi, ex Etruſcis orti, Iovem Oſca lingua LVCETIVM dixere & coluere: quod lucis eſſe cauſam crederent, ut docet Feſtus. Servius ad Virgilium haec ſcribit (3): *LVCETIVM: ſolum hoc Numen eſt, quod dictum a Virgilio, a nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Oſca LVCETIVS eſt Iuppiter dictus a luce, quam praeſtare dicitur hominibus: ipſe eſt noſtra lingua DIESPITER, id eſt Diei Pater*. Hunc LVCETIVM a Saliis in carmine cantari ſolitum obſervat Macrobius (4). Ex eo Iunonem LVCETIAM dixit Martianus Capella (5), quod lucem infantibus tribuat, lucemque protegat oculorum.

Iovis VICILLINI celebre fuit templum in Etruria in agro Coſanorum, cuius mentio apud Iulium Obſequentem (6). Cognominis origo nobis incognita (7). Memoratu quoque dignum Iovis ſimulacrum antiquiſſimum ligneum, e vite fabrefactum, quod Plinius (8) tot ſeculis incorruptum aetate ſua ſe vidiſſe memorat in

urbe

(1) Interim vide in Muſeo Coſpiano editam Lib. III. Cap. XXX. & apud Fabrettum Inſcr. ant. Cap. VII. pag. 538. num. 387.
(2) Pag. XXI. 6.
(3) Aeneid. Lib. IX. verſ. 560. Vide etiam A. Gellium Noct. Attic. Lib. V. Cap. XII. Vide Girald. Hiſt. Deor. Synt. II. pag. 80.
(4) Saturnal. Lib. I. Cap. XV.
(5) Lib. II. Cap. V.
(6) Cap. XXXV. de Prodigiis.
(7) Vide Th. Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. IV. Cap. XXIX.
(8) Lib. XIV. Cap. I. Vide quae obſervat Nicolaus Leonicus Hiſt. var. Lib. I. Cap. LXV.

urbe Populonia : quae una fuit e duodecim Etruriae civitatibus , portu celeberrima opibuſque clariſſima . Tuſculani Iovem *Maiorem* adoravere ; a magnitudine ſcilicet ac maieſtate ita dictum (1) .

TABVLA XXIII. XXIIII. XXV. XXVI. XXVII.

IVNO

Argiva , Curis , Regina , Cupra , Soſpita , Feronia , Lacinia , compluribus nominibus tota Etruria religioſiſſime culta .

MAgnum profecto ac celebre fuit apud veteres Tuſcos IVNONIS nomen , cui tota ferme Etruria templa , aras , donaria opulentiſſima ſacrarunt : quod veteres Scriptores diſerte teſtantur , declarantque plurima ſimulacra , quae ad nos pervenere : e quibus non pauca delegi , quae inſigniora mihi viſa ſunt , dignaque , propter Etruſcum opificium atque eruditionem , quae nunc primum in conſpectum litteratorum hominum veniant . Haec omnium Dearum maxima , ab Etruſcis dicta eſt ƧIqƎ , nimirum *Eris* (2) , ſicuti Ηρα *Hera* ab Graecis , qui eius templum Ηραῖον , eiuſque ſacra Ηραῖα vocarunt ; nam eam *aërem* eſſe putarunt (3) . Latini IVNONEM nominarunt , quia una cum Iove fratre & coniuge iuvat (4) . Ex ea adpellatione ƧIqƎ , videtur quoque Etruſcos cenſuiſſe Iunonem *aërem* eſſe : vel ut Plato in Cratylo Ηραν vocatam ſcribit , quaſi Ερατὴν , id eſt *amabilem* , propter amorem , quo ab Iove adficitur . Tuſci modo corpore nudam , ſolaque chlamyde in humeros reiecta , modo veſtibus amictam omnique cultu exhibuere ; nam praeter inaures & armillas duplices , & Tyrrhenos cothurnos vel ſandalia , cui aurea tribuit Heſiodus , ſceptrum & haſtam dedere : impoſueruntque capiti eius coronam radiatam , gemmis undique diſtinctam : quodque notatu dignum , flo-

(1) Apud Macrobium Lib. I. Sat. Cap. XII.
(2) Vide Tab. III. apud Dempſterum de Etr. Reg. Tom. I. pag. 78.
(3) De hac adpellatione vide Gyraldum Hiſtor. Deor. Syntag. III. in princ.
(4) Ex Varrone Lib. IV. de Ling. Lat.

flores & plantas viſu pulcherrimas e terra enaſci finxerunt iis in locis, quae pedibus calcat aut inſiſtit: quod liquet inſpectantibus inſignem pateram Etruſcam, relatam Tabula III. Dempſteriani Operis.

Elegantiſſimum & peculiare eſt diadema, quo caput eiuſdem IVNONIS exornatur, uti videre eſt in imagine, quam e Muſeo Gaddio exhibeo in Tabula XXIII. huius operis num. I. Ante pectus non bulla, ſed aquila expanſis alis e torque, iſque e peplo, pendet. Admirari ſatis non poſſum Etruſcorum in Deis ornandis ſtudium ſingulare egregiamque ſolertiam. Aquilam, volucrum omnium reginam, non Iovis tantum, verum etiam & IVNONIS miniſtram eſſe voluerunt; nam ex veteri diſciplina & auguralibus libris, in captandis auſpiciis, principem locum apud eos tenuit aquila: fuitque divinitatis, potentiae, maieſtatis regnique inſigne auguſtiſſimum atque auſpicatiſſimum: quod animadvertentes Romani, in exercitu ductari a legionibus ſuis, atque a Conſulibus in vertice ſceptri ferri iuſſerunt: principibus viris & feminis, in Deorum numerum relatis, in apotheoſi dedicarunt (1): eorumque imagines, quemadmodum & Deorum, ab eadem aquila adtolli ac portari in nummis effinxerunt. Aegyptii omnibus nationibus hoc exemplo praeivere, qui accipitrem & aquilam Diis ſacrarunt (2); quod crederent, divina eſſe haec animalia, atque aeviterna.

Sequitur in eadem Tabula XXIII. num. II. aliud aereum ſignum vetuſtiſſimum, e Muſeo Mediceo depromtum: quod, ni fallor, IVNONEM ARGIVAM repraeſentat; cuius templum ad oſtium Silaris exſtruxit Iaſon; conſtat enim, Argo navem in Tyrrhenum mare, atque, ut aliqui volunt, uſque ad Hadriaticum veniſſe (3). Haud facile quis dixerit, utrum hoc templum celeberrimum fuerit in agro Lucanorum, an vero Picentinorum, qui Silari amne dividebantur. Strabo quidem diſerte Lucanis adſcribit, ut notat Iſaacus Caſaubonus. Ecce perſpicua Strabonis verba (4): Μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Σιλαρίδος, Λευκανία, καὶ τὸ τῆς ΗΡΑΣ ἱερὸν τῆς ΑΡΓΟΝΙΑΣ, Ἰάσονος ἵδρυμα, καὶ πλησίον ἐν πεντήκοντα σταδίοις ἡ Ποσειδωνία. *Poſt Silaris oſtia, Lucania ſubſequitur, fanumque* IVNONIS ARGIVAE *ab Iaſone conditum; indeque ſtadiis quinquaginta diſtat Paeſtum*. Plinius non minus aperte adſignat Picentinis (5): *A Surrento*

L *ad*

(1) Adi Pierium Valerianum Hieroglyph. Lib. XXIX.

(2) Vide Laur. Pignorium in Expoſ. Menſae Iſiacae Tab. I. num. XI. in fine, & Par. I. Inſcript. ant. Etr. Vrb. Tab. XVII. num. IV. pag. LXXXII.

(3) Vide Athenaeum Dipnoſoph. Lib. VII. pag. 296. Val. Flaccum Lib. IV. Argonant. verſ. 711. Strabonem Lib. I. Geogr. pag. 47. Plinium Lib. III. Cap. XVIII.

(4) Geograph. Lib. VI. in princ.

(5) Lib. III. Cap. V.

ad Silarim amnem , triginta milia paſſuum , ager Picentinus fuit Tuſcorum templo IVNONIS ARGIVAE *, ab Iaſone condito , inſignis* . Claudius Salmaſius (1) legit, *ager Picentinus fuit Oſcorum ;* nam illi Picentini , ut ait , nihil cum Tuſcis habuere commune . Ego tamen haud ſollicitandum eſſe Plinianum textum crederem ; nam Tuſcos ea quoque loca tenuiſſe compertum eſt (2) . Quod ſi legendum potius ſit *Oſcorum* , nil contra me ; nam Oſcos ab Etruſcis originem ducere , nemo ignorat . An vero , quod adtinet ad Iunonis cognomen , legendum ſit apud Strabonem τῆς Αργονίας , vel ut mavult Salmaſius , τῆς Αργολίας , aut Αργολίδος : an , ut contendit Caſaubonus , τῆς Αργώας , quia ab Iaſone conſecrata , non eſt hoc loci diſputare : alii viderint . Plinii teſtimonio accedit Solini auctoritas (3), qui templum hoc in honorem IVNONIS ARGIVAE ab Iaſone conditum fuiſſe adfirmat . Idem Strabo (4) apud Venetos , qui Diomodi divinos honores decrevere , duos monſtrari lucos memorat : quorum unus Iunoni *Argivae* ſacer eſt , alter vero Dianae *Aetolicae* . Aliud templum IVNONIS ARGIVAE indigitat Fabrettus (5) , ſitum prope Veios , inter Cremeram fluviolum , vulgo *la Valca* , & Caſtrum Inſulae ad ipſam viam Veientanam . His adde Peruſinos , adde & Faliſcos , qui Iunonem ARGIVAM coluere : quos Iunonia ſacra docuit Haleſus Etruſcorum rex , eorum urbis conditor , qui ea e Graecia in Etruriam tranſtulit, ut canit Ovidius (6) . Miror , Thomam Dempſterum haec , quae notanda erant , templa ſilentio praeteriiſſe . Simulacrum eiuſdem Deae , eximium Polycleti opus , Pauſanias apud Mycenas deſcribens , manu altera ſceptrum , altera vero punicum malum praetuliſſe tradit (7) : ad quam ſimilitudinem & hoc effictum videtur . Oculi , quum ſint inanes & vacui , ex auro vel ex gemmis repoſiti fuiſſe videntur .

IVNONEM CVRITIM maxima religione coluere Faliſci , Etruſcorum coloni , qui oppidum Falerios incoluere . Horum ager ab urbe ad triginta circiter paſſuum milia diſtabat : regio , brevis alioquin & admodum anguſta , intra Tiberim & Ciminium montem ſtetit (8) . Id conſtat Tertulliani teſtimonio (9) ; nam Deos locales ac tutelares urbium recenſens , inquit : *Faliſcorum in honorem patris* CVRIS , *& accepit cognomen* IVNO . Ita in editione Havercampiana. Videtur hic locus non parum obſcurus . In Pariſienſi (10) vulgatum eſt,

(1) In Plinianis Exercitat. pag. 42. 43.
(2) Vide Dempſterum de Etr. Reg. Lib. I. Cap. XXVI.
(3) Cap. II.
(4) Lib. V. Geogr. num. 215.
(5) Inſcriptionum Cap. III. pag. 229.
(6) Lib. III. Amorum Eleg. XIII.
(7) In Corinthiacis Lib. II. Cap. XVII.
(8) Vide Cl. Praeſulem Iuſtum Fontaninum de Ant. Hortae Lib. I. Cap. IV.
(9) In Apologetico Cap. XXIV.
(10) In folio apud Guilielmum Iulianum anno CIↃ.IↃ.LXXX. pag. 698. B. Vide etiam Gyraldum Syntagm. III.

eſt, *Faliſcorum Iuno Curis & pater Curis, unde accepit cognomen Iuno*. Illud *in honorem* ſuſpicor ab aliena manu imperita in vetuſtis codicibus interpoſitum, loco *Iuno Curis &*, quod ſenſum & textum vitiavit interpolavitque. Nihil abſurdi video, ſi dicamus, Faliſcos coluiſſe non ſolum Iovem *Curitim*, verum etiam Iunonem, quae, ab eo accepto cognomine, *Curitis* adpellata eſt; quod haſtam ferret, quae Sabine *curis* dicitur, ut docet Feſtus: unde Romulus *Quirinus*, quia eam ferebat, eſt dictus (1). Vide apud Gruterum inſignem aram (2), quae apud Faliſcos exſtat, in qua memoratur Q. Tullius Cincius Priſcus, e Tribu Horatia, qui fuit Pontifex Sacrarii, ut arbitror, non Sacrarius IVNONIS QVIRITIS.

In regio Mediceo Cimeliarchio pulcherrimum aheneum ſimulacrum obſervavi, idemque vetuſtiſſimum; quod vide in eadem Tabula XXIII. num. III. Dea, peculiari veſtium cultu ornata, tenet haſtam laeva manu, quae forſitan ipſam IVNONEM CVRITIM repraeſentat: de qua non pauca adfert Lilius Gyraldus.

Habes in Tabula XXIIII. aheneum ſimulacrum Deae Etruſcorum, valde elegans & inſigne, e Muſeo Comitum e Gherardeſca depromtum. Facile referre crediderim IVNONEM REGINAM, quam coluere Veientes, Etruriae populorum omnium potentiſſimi: quorum urbem, in qua Etruſcorum reges ſedem ſacraque ſolemnia conſtituere, Plutarchus Romae aemulam (3), Dionyſius Athenis non minorem vocat ac celebrat (4). Eadem etiam celeberrima religione fuit Faliſcorum finitimorumque populorum tutelaris Dea (5): cui convenit veſtium cultus, praeſertim vero Etruſcum diadema, radiis duplici ordine diſtinctum. Blando geſtu, quaſi in ſpeciem orantis vel adnuentis, expreſſa eſt: qualis deſcribitur a Livio (6), quum Romam, expugnatis deletiſque Veiis, a Furio Camillo evocata, divinis caerimoniis tranſlata eſt e templo longe ditiſſimo ac celeberrimo, ut narrat Plutarchus, quod in arce urbis fuit conſtitutum: *Delecti* (inquit Livius) *ex omni exercitu iuvenes, pure lotis manibus, candida veſte, quibus deportanda Romam* REGINA IVNO *adſignata erat, venerabundi templum iniere: primo religioſe admoventes manus, quod id ſignum*, MORE ETRVSCO, *niſi certae gentis Sacerdos attrectare non eſſet ſolitus: deinde, quum quidam, ſeu ſpiritu divino tactus, ſeu iuvenili ioco dixiſſet: Viſne Romam ire*, IVNO? *adnuiſſe ceteri Deam conclamaverunt: unde fabulas adiectum eſt, vocem quoque dicentis* velle *auditam*.

(1) Conſule Gyraldum Hiſtor. Deor. Syntagm. III. pag. III.
(2) Pag. CCCVIII. I.
(3) In vita Furii Camilli.
(4) Lib. I. Antiquit. Rom. pag. 116.
(5) Ex Livio Lib. V. Varrone Lib. V. de Ling. Lat. Ovidio Faſtorum Lib. VI. verſ. 48.
(6) Ibid. Vide etiam Plutarchum in Camillo.

Ivno Romam aſportata, in Aventino monte celebre templum conſecuta eſt: deinde etiam vocata MONETA, ut memorant Ovidius (1), Valerius Maximus (2), & Lactantius Firmianus (3): ea, ni fallor, de cauſa, quod relictis Veiis, ſe in Vrbem lubentiſſime migraturam monuerit.

In Piceno, nominis celebritate & ſacrificiorum frequentia perinſigne fuit templum IVNONIS CVPRAE, quod, ut Strabo memoriae prodidit (4), Etruſci condiderunt dedicaruntque. Ex antiquo lapide (5) conſtat, ab Hadriano Auguſto reſtitutum fuiſſe, atque, ut credi poteſt, donariis ſplendidiſſimis locupletatum. Ex eodem vel IVNONIS vel templi cognomine, nomen Cuprae antiquiſſimae ac ſplendidiſſimae urbi factum, quemadmodum Arnae, a Dea Arna, ut ſupra diximus, creditur; ſed incertum eſt, utrum extiterit in *Cupra Montana*, ut vult Cluverius, cui Holſtenius, Harduinus, Cellarius aliique adſtipulantur: an vero in *Cupra Maritima*, ut contendit Fulvius Vrſinus aliique, qui Silii Italici teſtimonio nituntur, ita canentis (6):

Hic & quos paſcunt ſcopuloſae rura Numanae,
Et quîs littoreae fumant altaria CVPRAE;
Quique Truentinas ſervant cum flumine turres,
Cernere erat. ———————

Quae in hanc rem ſunt difficultates, explanantur ab Academico Etruſco (7), qui de Cupra Montana, deque pluribus antiquis monumentis in ea repertis pererudite diſſerit, ad quem lectorem mitto.

Relictis Cuprenſibus, ad Lanuvinos gradum facio, qui patriis ſacris SOSPITAM IVNONEM coluere. Templum longe antiquiſſimum ſummaeque religionis, alii a Diomede Aeneae ſocio (8), alii a Pelaſgis, qui Iunonem *Argolicam* dixere (9), alii denique a Curetibus, qui in Etruriam venerunt (10), aut ſaltem a vetuſtiſſimis Latii accolis conditum fuiſſe opinantur (11). Vtcumque res ſe ſe habeat, non erit, ut arbitror, improbabile, ſi quis credat a Tuſcis vel exſtructum, vel auctum nobilitatumque fuiſſe, pulſis Pelaſgis, qui ea loca tenuere.

Si-

(1) Faſtorum Lib. VI. verſ. 181.
(2) Lib. I. Cap. VIII.
(3) Divinar. Inſtit. Lib. II. Cap. VIII.
(4) Lib. V. Geograph. pag. 241.
(5) Apud Gruterum pag. MXVI. 2.
(6) Punicor. Lib. VIII. verſ. 434.
(7) Sub nomine Tarquinii Coritani, Diſſert. V. in Lib. nuper edito Romae, ita inſcripto: *Saggi di Diſſertazioni Accademiche ec.*
(8) Solinus Cap. VIII.
(9) Aelian. Hiſt. animal. Lib. II. Cap. XVI.
(10) Ex Clemente Alexandrino in Protrept.
(11) Vide Corradini vet. Lat. prof. Lib. I. Cap. IX. pag. 97. 98.

Simulacrum, quod nunc primum profero e Mediceo Theſauro, Tabula XXV. duplici ſchemate delineatum, profecto eſt vetuſtiſſimum, atque ex ipſo charactere, probe mihi noto, Tuſcanicum: quod etiam, praeter ipſum opificium, prodit & veſtis, Tuſco ingenio, in varias & elegantes plicas concinnata. SISPITAM, vulgo SOSPITAM veteres Latini dixere, quaſi *Servatricem*, ex Graeco *σώζειν*: vel quod bona ſpe adficeret, vel bonam ſpem non falleret, ſicuti ex Feſto colligitur. Cicero haud diverſam ab hoc ſimulacro deſcribit (1): nempe galeatam pelle captina, cum haſta & ſcuto, quae temporum iniuria intercidere, (tenuiſſe tamen ex eo geſtu facile arguitur) atque ornatam calceis repandis, quos in uſu fuiſſe apud Tuſcos ex iam editis imaginibus conſtat. Periit etiam ſerpens ſinuoſus, ab artifice ad eius pedes poſitus: cui virgines, caſtitatis probandae cauſa, eſcam praebere ſolebant, ut conſtat ex Aeliano (2) & Propertio (3).

Eximium ac longe pulcherrimum eſt alterum ex aere ſimulacrum, e regia Medicea Gaza depromtum, quod exhibeo in Tabula XXVI. Multa ſunt, quae ſuadent facile referre poſſe IVNONEM FERONIAM, quae in tota Etruria, & apud Sabinos Latinoſque populos, templa habuit longe lateque fama celeberrima: itemque lucos vetuſta religione ſacros: quos Cluverius, Fabrettus & Corradinus ex antiquis ſcriptoribus luculenter deſcribunt. Duas aedes perinſignes recenſere libet: illam ſcilicet, quam in Tuſcia ponit Ptolomaeus: in quem locum *Petram Sanctam* ſucceſſiſſe adnotat eius interpres & Cluverius (4): alteram in tractu Campaniae, in agro Tarracinenſi ad Circeios exſtructam, in qua IVNO VIRGO, quam FERONIAM dixere, uti proximo in templo IVPPITER ANXVR, de quo ſupra diſſeruimus, divinos honores, & quidem maximos, accepere. Meminit huius aedis FERONIAE Horatius (5), Plinius (6), & Servius in adlatum Virgilii locum (7). Hanc forſitan exhibet hoc ſimulacrum rariſſimum; nam IVNO virginis habitu ac ſpecie repraeſentatur: & quia eamdem Deam, ut conſtat ex priſcis aris ei ſacris, FERONIAM & REGINAM dixere (8); ſiniſtra ſceptrum (quod temporis iniuria fractum eſt) tenet: dextra vero veſtem virginum more bis ſuccinctam apprehendit, atque aliquantulum adtollit. Caput peplo velatum, ſacraque corona foliacea redimitum, conſpicitur. Concordat & hoc ſimulacrum cum his, quae de IVNONE FERONIA, a Sabinis culta, narrat Dionyſius

(1) Lib. I. de Natura Deorum.
(2) Lib. II. de Animal. Cap. XVI.
(3) Lib. IV. Eleg. VIII.
(4) Geogr. Lib. III. Cap. ;. Tab. VI. Europ.
(5) Lib. I. Satyr. V.
(6) Lib. II. Cap. LV.
(7) Aeneid. Lib. VII. verſ. 799.
(8) Vide Fabrettum Inſcr. Cap. VI. num. 66.

nyſius Halicarnaſſenſis (1): quam Graeci ſua lingua alii Ἀνθηφόρον, *Florigeram*, alii Φιλοστέφανον, *coronarum amantem*, alii Φερσεφώνην, quaſi *ferentem unius anni proventum*, nominarunt. In hac aede libertas dabatur ſervis, qui ſedentes in lapideo ſedili illic poſito, praemiſſis caerimoniis ex Sacerdotum auctoritate, ſurgebant liberi: quod ad Virgilium notat Servius, veterum rituum & conſuetudinum Tuſcorum Latinorumque populorum conſultiſſimus (2). Ipſum praeſtat audire: FERONIA *mater, Nympha Campaniae, quam etiam ſupra diximus. Haec etiam Libertorum Dea eſt, in cuius templo raſo capite pileum accipiebant. In huius templo Tarracinae, ſedile lapideum fuit, in quo hic verſus inciſus erat:* BENEMERITI SERVI SEDEANT. SVRGANT LIBERI: *quam Marcus Varro libertatis Deam dicit* FERONIAM, quaſi FIDONIAM. De hac Dea veterum Etruſcorum, Sabinorum, Latinorum & Romanorum, qui plura adnotare cupit, adeat Fabrettum (3) & Corradinum (4): qui etiam ſuſpicatur, ſervos in eo templo libertati donatos, fronde coronatos inceſſiſſe, & aedem circumiviſſe.

Haec IVNONIS ſimulacra, Tuſca arte confecta, ab altero aheneo, quod ſequitur in Tabula XXVII. vetuſtate longe ſuperantur. Exſtat Cortonae in elegantiſſimo Muſeo Coratio. Erutum eſt non procul a Traſimeno, loco Cortonae potius, quam Peruſiae proximiore. IVNONEM referre auguror, ac forte FERONIAM, quam tum Peruſini, tum Cortonenſes coluere. Tutulo caput exornatur, collum torque, tunica ſcutulis, quaſi gemmis & floribus eſt diſtincta; & circa brachia parvis bullis, vel fibulis eleganter adſtricta. Calcei pulcherrimi ſunt, quales Iunoni conveniunt, quae, ut canit Virgilius, *inceſſu patet Dea*. Aures grandes habet; oculos quoque, quales Iunoni tribuit Homerus, bovi ſimiles. De his alibi etiam opportune diſſeram.

Divae IVNONIS LACINIAE praenobile templum, multiſque donariis refertum, ſilentio minime praeterire poſſum. Exſtitit ad Lacinium promontorium, ab urbe Crotone centum quinquaginta ſtadiis diſſitum, ut memorat Strabo (5). Non longe etiam fluvius *Aeſar*, vel *Aeſarus*, & portus: ex quo mihi orta ſuſpicio eſt, hoc templum (cuius etiam nunc veſtigia (6) ſpectantur) ab Etruſcis vel dedicatum, vel maiori cultu donariorumque ſplendore ac magnificentia auctum fuiſſe. Siquidem *Aeſar* Etruſcam eſſe vocem, & fluvii quoque inter Piſas & Lucas nomen, ſupra adno-

tavi-

(1) Lib. III. Antiq. Roman. pag. 173.
(2) Aeneid. Lib. VIII. verſ. 564.
(3) Inſcr. Cap. VI. a pag. 451. ad 455. & Lib. III. Cap. VI.
(4) Veteris Latii profani Lib. I. Cap. IX.
(5) Geograph. Lib. VI. pag. 261.
(6) Vide Taubmannum in Virgilium Aeneid. Lib. III. verſ. 552.

tavimus. Eum Dionyſius Poëta (1), Theocritus (2) & Ovidius (3) celebrant. Huius templi, arae, itemque luci meminere plures ſcriptores nobiliſſimi, poëtarumque princeps Virgilius (4), cuius interpres Servius eius originem fabulis confuſam recenſet.

TABVLA XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXI.

MINERVA

Dea veterum Etruſcorum, praeſertim Surrentinorum, Puteolanorum, Faliſcorum, Arretinorum, & Piſaurenſium tutelaris.

MINERVAE nomen, uti ſuſpicatur magni iudicii vir Senator Bonarrotius (5), Romani ab Etruſcis, levi mutatione facta, accepere; nam quum apud Graecos *Athena* aut *Pallas* vocetur, apud Etruſcos adſcriptum eius imaginibus nomen, ita exprimitur: ЯꟻqИƎVVꟼ (6) ЯꟻqИꟻVVꟼ (7) ЯꟻqƎИƎꟽ (8) ЯƆqƎИƎꟽ (9) ſcilicet, *Menrva*, *Munrva*, *Menerva*, *Menerva*. Si qui vero populi MINERVAM maximo cultu proſecuti ſunt, hi cette Tuſci fuere: qui non ſecus ac Graeci, tamquam patronam & tutelarem Deam omnibus honoribus adfecerunt. Pauſanias (10) memotat, Argivos coluiſſe MINERVAM bellorum praeſidem, & ſub nomine Σάλπιγγος Ἀθηνᾶς, hoc eſt *Minervae Tubicinis*, templo donatam fuiſſe ab Hegelao Tyrtheni filio. Siquidem Tyrrhenus, Hercule & Lyda natus, primus tubam invenit: cuius poſtea cantum Hegelaus Dorienſes eos docuit, qui Temenum ſecuti ſunt. Memoratur & ab Heſychio, & a Lycophrone MINERVA Σάλπιγξ: quam cum tuba Tuſci pingere conſuevetunt, uti ex antiquis huius

(1) Vide verſ. 370.
(2) Idill. IV. verſ. 17.
(3) Metamorphoſ. Lib. XV. verſ. 23.
(4) Aeneid. Lib. III. verſ. 552. Vide etiam Livium Lib. II. & XXIV. c. 3. Strabonem Geogr. Lib. VI. pag. 261. 262. Melam Lib. II. Cap. IV. Plinium Lib. II. Cap. CVII. Lactantium Firm. Divin. Inſt. Lib. III. verſ. 552.
(5) Ad Monum. add. Dempſt. §. IV. pag. 11.
(6) In Dempſteriano Opere Tab. II. Tom I. pag. 78.
(7) Tabula IV. ibidem.
(8) Tabula V. ibidem.
(9) Tabula VI. ibidem.
(10) In Corinthiac. Lib. II. Cap. XXI.

huius gentis monumentis obſervat idem Bonarrotius (1). Interdum etiam alatam exhibuere, & cum galea pennis inſtructa loco criſtae, ut videre eſt apud Dempſterum in Tabula II. & V. Phurnutus alatam fingi cenſet, quod ea negotia, quae ſubit, quamcelerrime procedant, nulloque modo impediri poſſint.

Tuſci in Italiam venientes MINERVAE ſacra & cultum compluribus exſtructis templis dedicatiſque donariis non promoverant ſolum, verum etiam amplificarant. Poſt tot ſecula, tamque ſaevam temporum & barbarorum iniuriam offuſamque caliginem, quampauciſſima ad nos monumenta venere, quibus indigitare poſſimus templa, quae in eius honorem ab Etruſcis condita fuere.

Campanorum Dea praeſens ac propitia fuit MINERVA; praecipue vero Surrentinorum & Puteolanorum. Surrentum Campanorum habuit promontorium, MINERVAE nomine celebre, quod *Athenaeum* Strabo (2), alii *Premuſtum* dixere. Eo in promontorio fanum in honorem MINERVAE ab Vlyſſe conditum. Non longe fuere inſulae Capreae, & ſaxoſae illae ac ſolae, quas Sirenuſas dixere (3). MINERVAM ibidem cultam, TYRRHENAM adpellarunt ipſi, ut arbitror, Tyrrheni, qui ea loca ab agro Surrentino ad Silarim amnem tenuere. Celeberrimi huius templi, quod Surrentini ac Puteolani donariis locupletarunt, meminit etiam Statius, deſcribens Pollii villam Surrentinam (4):

Eſt inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque TYRRHENAE templis onerata MINERVAE,
Celſa Dicarchei ſpeculatrix villa profundi.

In Vaſe Etruſco apud Dempſterum Tabula LXXIIII. pictam video MINERVAM quadrigarum inventricem, quae armata galea & haſta graditur iuxta currum Iovis vel Neptuni aurigantis. Graeci *Hippiam*, ſive *Equeſtrem*, & *Coreſiam* dixere, cuius frequens mentio apud Pauſaniam (5). Hanc omnium primam inſtruxiſſe currum docuit Arpocration. Iſaeus Rhetor & Mnaſeas, Neptuni filium fuiſſe ac Polyphes Oceanitidis tradiderunt. Phurnutus etiam Δάμνιππον vocatam ſcribit, quaſi dicas *equidomitricem* (6).

Romani, perdomitis Faliſcis, MINERVAM ad ſe evocarunt, parvoque in delubro, ad radices Caelii montis exſtructo, eius ſimulacrum ſtatuentes, CAPTAM cognominarunt: vel quaſi captivam

(1) Ad Monum. Dempſter. §. XXXI. pag. 54. Vide Tab. XLVIII. Tom. I. pag. 331.
(2) Lib. V. pag. 247.
(3) Vide etiam Plinium Lib. III. Cap. V.
(4) Silvar. Lib. II. 2.
(5) In Arcadibus Lib. VIII. Cap. XLVII.
(6) Vide Gyraldum Syntagm. XI. Hiſtor. Deorum pag. mihi 293. 294.

vam capta urbe : vel quia *captus* locus ex Feſti ſententia ; ad ſacrificandum legitime conſtitutus diceretur , voce , ut ſuſpicor , Etruſca . Rem omnem deſcribit Ovidius (1) ; quare hinc deducimus & apud Tuſcos Faliſcos templum MINERVAE , vetuſtiſſima religione celebre , dedicatum fuiſſe .

Arretinorum Dea exſtitit MINERVA , ſicut oſtendit in Tabula XXVIII. relatum celeberrimum illud probatiſſimum , ſummo admirandoque artificio confectum MINERVAE ſimulacrum ex aere , altum pedes quinque , quod veteres Arretini , tamquam tutelaris numinis , in celebri ac praediviti templo in urbe ſua coluere . Minime dubitandum eſt , ab Etruſco artifice , & quidem inſigni ac peritiſſimo , confectum eſſe . Quum hoc idem ſignum illuſtrarem in Muſei Florentini Volumine III. Tabula VII. Tuſcanico opere conflatum ſuſpicabar ; ſed ob eius pulchritudinem abſolutiſſimam haerebam incertus , Graecone artifici , & fortaſſe Phidiae aequali , tribuerem , quod paullo poſt Etruſco ſtatuario antiquiori dandum eſſe comperi . Nam frequenter , ut ſoleo , ſpectanti mihi ſumma cum voluptate aheneum hoc Palladis ſignum , & caput , quod a protome divelli poteſt , manibus verſanti , atque accurate conſideranti ; forte venit in mentem , facile eſſe poſſe ſignum illud ex aere Minervae , quod Arretii inventum iuxta rudera antiqui & magnifici templi , ubi fuit pavimentum muſivo opere inſigne , memoriae prodidit Vir Clariſſimus & ad virtutem natus Gregorius Redius Equeſtris Ordinis S. Stephani Baiulivus (2) . Re cum eo communicata , illud ipſum eſſe certo comperi ; accedente teſtimonio Petri Bonamici Hiſtorici Arretini , qui adfirmat , hoc ipſum Minervae ſignum , longe eximium , inventum fuiſſe Arretii a quodam caementario anno MDXLI. iuxta rudera perantiqui templi , qui ſtatim coepit illud comminuere , ſperans ſe magnam pecuniae vim percepturum , venditis eius fragmentis ; ſed re comperta , ne immane facinus abſolveret , impeditum , & carceris poena damnatum illum a Praefecto eius urbis : ſimulacrum autem miſſum fuiſſe narrat ad Coſmum I. Etruriae Magnum Ducem , qui in ſuo Muſeo , ubi hodie exſtat , adſervari iuſſit .

Igitur circa imas veſtis partes , & in poſtica fracta eſt ſtatua , dextroque brachio manca : in ceteris vero partibus , praeſertim vero in vultu , in caſſide , in pectore , quod aegide ſquamata cum Gorgonis capite munitur , in veſte miro artificio diſpoſita , ſiniſtrumque brachium & manum obtegente , tanta radiat elegantia , maieſtas,

M

(1) Faſtorum Lib. III. verſ. 835.

(2) Vide eius Epiſtolam ad me ſcriptam editam in Par. I. Inſcript. ant. Etruriae Vrbium pag. 225. 226.

ieſtas, ſummuſque omnium partium conſenſus, ut nihil admirabilius, atque abſolutius contemplari poſſit. Habet igitur regium Mediceum Muſeum & hoc inſigne opus, praeter cetera Tuſcanica, quo mirifice, me indicante locum unde prodierit, gloriari poſſit.

Oculos in hoc ſigno e gemmis pretioſiſſimis repoſitos fuiſſe, more veterum Etruſcorum, ex eo diſcimus, quod, ut in aliis Tuſcanicis ſtatuis, iidem cavi ſunt & inanes. Caput eiuſdem Deae ſeorſum duplici ſchemate repraeſentandum curavi perquamdiligenter. Nam caſſidi ſuperne adrepit ſerpenticulus, egregio opere confectus. Eidem caſſidi non duae bucculae, ſed tres, ad tuendas aures & genas, & retro cervicem innexae: quae licet perierint, eas tamen indicant, quae ſuperſunt, volutae, e queis pendebant. Inſigne caſſidis, praeter ſerpentem, pro criſta in cono eſt avis volanti ſimilis, quam noctuam eſſe comperi, multa adhibita diligentia & obſervatione: pedibus ita antrorſum incurvis effictam, quaſi praedam ſuſtineat. Indicio etiam mihi fuit caput rotundum, quamvis aliquantulum, temporis vitio, exeſum, quod minime convenire poteſt accipitri aut falconi (quod animal Minerva haud indignum) Tuſcis fuit auſpicatiſſimum: cuius augurio viſo, Capuam condidere, ut notat Servius (1). Pennas vel accipitris vel noctuae in galea inſertas gerit eadem Dea, inſculpta in inſigni patera veterum Etruſcorum, quae e Muſeo Comitum e Gherardeſca prodiit in Dempſteriano Opere Tabula II. Apud Aegyptios in veſtibulo templi Saitarum, MINERVAE dicato, ſculptus erat accipiter, divini eius numinis ſacra nota, ut Plutarchus memoriae prodidit (2). Etruſci, arcanae religionis Aegyptiorum rituumque peritiſſimi, non ad pedes Deae, ut Graeci Romanique fecere, ſed in capite galeato noctuam poſuerunt, pennatumque eius verticem exhibuerunt; quo inſigni ſymbolo clarius ſapientiam eius mentis, ſummamque prudentiam, celeritatem ac perſpicaciam declararent. Id etiam MINERVAE convenit, ſi ex veterum Theologia φυσικῶς conſideretur; nam pro ſummo aethere ad dexteram Iovis ponitur, e cuius vertice eſt prognata. Ab aethere, coniicit Phurnutus, dictam Αἰθερόνειαν *Aetheroniam* (3). Id poſtmodum obſervantes priſci Romani, galeatum Romae aut Palladis caput alis ornarunt, ut videmus in nummis, qui ab eruditis Conſulares vocantur (4). Noctuam in galea Minervae ſculptam videre licet & in nummis, quos Hyrinis Apuliae tribuit Nobiliſſimus Laurentius Begerus: eos

ex

(1) In Virgilium Aeneid. Lib. x. pag. 38.
(2) De Iſide & Oſiride. Vide Pierium Valerianum Hyeroglyph. Lib. XXI.
(3) Vide Phurnutum de Minerva: & quae notat I. Oiſelius ad Numiſm. Sel. Tab. LI. num. IX. X.
(4) Vide Ph. Bonarrotium ad Monum. add. Dempſteriano Operi §. IV. pag. 11.

ex Etruſcis originem ducere alibi obſervabimus (1). Aliquando etiam ſine galea Minervam Tuſci exhibuere, ut videre eſt in patera litteris Etruſcis inſcripta apud Dempſterum Tabula VI. in qua caput eius ſolo diademate ſive anademate revinctum conſpicitur, eademque eſt ornata armillis in brachiis, & alis in humeris.

Oris blanda ac ſerena maieſtas evidentiſſime radiat: totius corporis dignitas ac venuſtas ſumma eſt: nec aliquid praefert virilitatis aut ſeveritatis; quam notam alii artifices in exprimenda eius effigie ſaepius religioſe ſervarunt. Aegidis ſquamatae, Gorgoniſque capite in medio munitae, oram undique ambiunt & coronant, veluti fimbriae loco, angues ſinuoſi; qui etiam, fere in hunc modum erumpentes, obſervantur in inſigni Minervae imagine, iaſpidi rubrae inciſa, quam ex Dactyliotheca Ottoboniana produxit Praeſtantiſſimus vir Philippus de Stoſch in Tabula XIII. inter Gemmas, quae artificis Aſpaſii nomen praefert: qui hanc imaginem, ut auguror, deſumſit ex aliquo praecellentiſſimo Minervae ſimulacro, quod Etruſci coluere. Profecto omnis ornatus, galea ipſa praealto cono criſtata, monile, inaures, Gorgonis caput, alio modo expreſſum, quam fieri ſoleat, aliaque non pauca indicia, Etruſcum opificium redolere videntur. Idem ſuſpicor de altera Minervae effigie Sardonychi inſculpta, quam ex Theſauro Barberino profert idem auctor Tabula X. nam inauris permultis aliis cum Aegyptiis tum Etruſcis eſt perſimilis: in galea vero flexibiles cauliculi, ſive maeandra excurrunt: quae frequenter eodem typo in Tuſcis monumentis ex aere, tum etiam in pictis vaſculis occurrunt (2). Dextero brachio, quod intercidit, haſtam potius, quam pomum, ut dixeram, facile crediderim hoc perinſigne ſimulacrum praetuliſſe.

Parva duo MINERVAE ſigna ex aere, operis antiquiſſimi, a me producuntur in Tabula XXVIIII. quorum magnitudo archetypis reſpondet. Alterum vero num. 1. relatum, multo eſt vetuſtiſſimum, quod ipſa ſculptura rudis, & imago ἀσύμμετρος perſpicue oſtendit: adſervaturque Piſauri, ubi etiam erutum eſt, in celebri Muſeo Ardizio. Deeſt galeae conus; bucculae mobiles ſuſpenſae, ſicut & in altero ſigno, quod ſequitur in eadem Tabula, cernuntur. Collum torque exornatur: ante pectus pendet Gorgoneum caput, anguibus neque crinitum, neque alatum. Dextera manus perforata eſt: cuius geſtui nil aliud quam brevem haſtam, vel potius fulmen aptari poſſe video. Clypeum in laevo

M 2 bra-

(1) V. Begerum in Theſauri Elector. Brandemburg. Select. Tom. I. pag. 320.

(2) Vide & Cauſei Muſei Rom. Tab. VII. Sect. I. Select. Gemm. pag. 5.

brachio olim inſertum indicat prominens ille clavus. Nudis pedibus inſiſtit, triplici veſte amicta; quae, ut exponit Fulgentius (1), omnem ſapientiam multiplicem & celatam eſſe declarat.

Alterum MINERVAE ſignum num. II. relatum in eadem Tabula XXVIIII. adſervatur in Mediceo Cimeliarchio. Veſtis, ephod Sacerdotis magni Hebraeorum ſimilis, videtur; nam triplici tunica induta eſt. Interior, Graecis χιτὼν dicta, corpori adhaerens, paullo longior eſt, cuius limbus, in ſpeciem torquis, fimbriatus: altera vero tunica, quae refert poderem, paullo, brevior eſt, & manuleata, ſtrictis manicis uſque ad cubitum pertingentibus contexta ac conſuta: tunica poſtremo exterior ſine manicis, omnium breviſſima, & ipſa arcta eſt: cuius inſtitam condecorant radii ſive denticuli: quod ornamenti genus, in veſtibus Deorum non rarum, Tuſcis valde placuit; ut videre eſt etiam in alio ſimulacro ſuperius edito Tabula III. In pectore fixum cernimus Gorgonis caput alatum. Sub pectore indiſſolubili nodo cingitur ſtroppo, quo facilius ad negotia peragenda ſit expeditior. Laneum cingulum Minervae dederunt veteres, quod lanificium artemque lanas colorandi invenerit (2). Pedes Tyrrhenis calceis nobilitantur. Siniſtra manus fracta, dextra quid praetulerit haud facile dictu eſt: certe haſta non convenit. Forte, quum is geſtus augurum proprius eſſet, ut videbimus, Tuſci MINERVAM auſpiciis favere, praeeſſe, ac felicia omina promovere cenſuerunt.

Praeſtantioris Etruſci opificis omnia praefert indicia alterum MINERVAE ſimulacrum, quod ex eodem Mediceo Muſeo exhibeo in Tabula XXX. quod quum ſit omnium elegantiſſimum, duplici ſchediaſmate delineandum curavi. Galea, altiori cono & criſta, inſignis eſt, qualem deſcribit Homerus, ad terrorem hoſtibus incutiendum fabrefacta. Veſtis eximio opificio abſoluta: quod autem raro factum videas, Gorgonis caput non in pectore, ſed ad laevum armum geſtat. MINERVAE ACHEAE imaginem hanc dixerim, cuius templum Ariſtoteles (3) fuiſſe ſcribit in Italia apud Daunios Apuliae populos, Etruſcorum imperio ſubiectos: in quo ſecures, enſes, ceteraque Diomedis, eiuſque ſociorum arma recondita ac ſuſpenſa fuere; bellica enim terreſtria ac maritima arma, itemque tropaëa Minervae ſacra fuere, eiuſque tutelae commendata (4).

In Muſeo V. C. Franciſci Ficoronii ſervatur MINERVAE imago, quam, accurate delineatam, ad me ut ſolet, humaniſſime mi-

(1) Mytholog. Lib. II.
(2) Vide Gyraldum Hiſtor. Deor. Synt. XI.
(3) Apud eumdem ibidem.
(4) Ex Ariſtidis Oratione in Minervam.

miſit ; plaſtico opere ex argilla confecta eſt a Tuſco artifice, quam exhibeo in Tabula XXXI. VICTRICEM Deam lubet cognominare (1) ; quia non ſecus ac VICTORIA expreſſa eſt clypeum ſive ſcutum tenens, in quo Heroum geſta nomenque immortalitate dignum ſcribere ſolita eſt, ut liquet ex aliis antiquis monumentis, ac praeſertim ex marmorea Traiani columna. Graecis ac Romanis praeiviſſe Tuſcos noſtros hoc exemplo facile hinc arguere poſſumus, qui hac ſpecie VICTORIAM Deam repraeſentarunt. Iam puto manifeſtum eſſe ex his ſignis, quantum fuerit Tuſcorum ingenium, atque ad inveniendas excogitandaſque res pulcherrimas quam opido promtum & ſagax. Pectus Deae non armavit opifex favorabili Gorgonis capite tamquam amuleto ; nam binas Gorgones effinxit, maiorem alteram, alteram minorem in clypeo elegantiſſimo : quae, ut in aliis Etruſcorum monumentis cernitur, ore exertam habet linguam ; ideo quod linguae uſus, id eſt ſermonis, in omni re praeſtet atque excellat (2).

TABVLA XXXII. XXXIII. XXXIIII.

APOLLO . SOL . MITHRA
ab Etruſcis cultus ; maxime vero a Faliſcis, Volaterranis, Cluſinis & Peruſinis.

ETruſci SOLIS & LVNAE cultum ab Aegyptiis, a quibus profecti ſunt, accepere (3). Solem APOLLINEM, Lunam DIANAM adpellarunt, queis omnia Deorum adtributa & proprietates convenire exiſtimarunt ; quare non eſt mirandum, ſi tam frequenter in Tuſcorum monumentis repraeſentetur APOLLO (4), cuius in tota Etruria cultus fuit longe vetuſtiſſimus & celeberrimus. Singula non recenſebo, quia a Bonarrotio indicantur : ſilentio tamen praeterire non poſſum ſignatam a Tuſcis monetam APOLLINIS inſignibus, nempe lyra & lupo dormien-

(1) Ex Auctore Etymolog. magni & Phurn.
(2) Vide Gyrald. Synt. Deor. XI. pag. 291.
(3) Io. Marshamum vide Secul. IV.
(4) Bonarrot. ad Dempſter. Monum. §. VI.

miente (1): qui lupus indicio mihi eſt, Etruſcos APOLLINEM LYCIVM coluiſſe exemplo Aegyptiorum & Argivorum; qui, ut memorat Pauſanias (2), templa & ſimulacra in honorem eius erexerunt, nummoſque iidem Argivi cum lupi effigie ſignarunt. Lunae quoque imaginem praeferunt Etruſcorum monetae, ſive, ut aiunt, pondera: ne quid dicam de caſeis Lunenſibus (fuit autem Luna una e duodecim Etruriae urbibus, portu nobilis) quos, ut ait Martialis, Etruſci Lunae imagine ſignare conſueverunt (3).

Praecipui APOLLINIS cultores, vel etiam primi, fuere Faliſci, qui annuo ſacro valde peculiari eum honorarunt ad Soractem montem, ubi eius delubrum fuit, quod oſtendit apud Virgilium Arruns Etruſcus, qui eumdem APOLLINEM ita invocat (4):

Summe Deûm, ſancti cuſtos Soractis APOLLO,
Quem primi colimus; cui pineus ardor acervo
Paſcitur; & medium, freti pietate, per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna:
Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis.

De APOLLINIS Sacerdotibus, atque huiuſmodi ſacro, haec ex Plinio non pigeat audire (5). *Haud procul urbe Roma, in Faliſcorum agro familiae ſunt paucae, quae vocantur* HIRPIAE: *quae ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem* APOLLINI, *ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduruntur: & ob id perpetuo Senatuſconſulto militiae, aliorumque munerum vacationem habent*. Strabo id ſacrum factum Feroniae in Soracte ſcribit (6); ſed hoc loco Strabonis exemplaria corrupta non pauci ſuſpicantur (7). Neque etiam dubito, celeberrimum fuiſſe in Etruria APOLLINIS Oraculum, in quo reſponſa dabantur, ſorteſque accipiebantur; quamvis in praeſentia teſtimonia veterum auctorum non habeam, quae adducam. *Malaeoten* vocatum APOLLINEM ſcribit Thomas Dempſterus, Luctatii auctoritate, a Malaeote Tuſcorum rege (8), melius vero Pelaſgorum, ex Strabone (9).

Peruſinorum praeſentiſſimum fuit APOLLINIS numen, quod Felix Ciattius oſtendit (10): apud quem fabularum ambages, pluribus in locis ex Annio deſumtae, reiiciendae ſunt. Apud Cluſinos quoque caeleſtium luminum dux & moderator APOLLO, quod honore

prae-

(1) Apud Dempſterum Tab. LX.
(2) In Corinthiac. Lib. II. Cap. XVIIII.
(3) Lib. XIII. Epigramm. XXX.
(4) Lib. XI. Aeneid. verſ. 785.
(5) Hiſtor. Nat. Lib. VII. Cap. II.
(6) Lib. V. pag. 226.
(7) V. Corradin. vet. Lat. Lib. III. Cap. VI.
(8) De Etr. Reg. Lib. I. Cap. XVII.
(9) Lib. V. pag. 225. 226.
(10) Lib. I. Peruſiae Etruſcae pag. 50.

praecipuo cultus fuerit, ac nobile templum habuerit, multa quae ſuperſunt in ea urbe monumenta, epiſtylia, immaneſque columnae e marmore nobiliſſimo, quas ipſe vidi, non obſcure declarant: ad hoc gryphorum ſculpturae, quod animal Tuſci quoque APOLLINI conſecrarunt: facileque colligitur ex hac arae inſcriptione, quae apud eos, ut dixi, eruta eſt (1). PRO SALVTE TRIARIAE APOLLINI SAC. Haec Triaria forte uxor fuit L. Vitellii, de qua Tacitus. Quum vero hos tantum Etruriae populos nominaverim, reliquos excludere non eſt certe animus, apud quos inſignis fuit cultus APOLLINIS. Tota Campania & Apulia Apollinem divinis honoribus proſecuta eſt: quod nummi, cum eiuſdem Dei imagine apud eos cuſi, teſtantur. Tarracinae, ubi Anxur fuit, inſignia Apollinei templi veſtigia & rudera deſcribunt Holſtenius (2) & Corradinus (3).

In duabus pateris, ab Etruſco opifice caelatis, APOLLINIS imagini adſcriptum eſt eius nomen, hoc modo AΓVLV *Apulu*, in Tabula III. Operis Dempſteriani: in qua idem Deus laurea corona redimitus & torque ornatus ſedet, ſuperiori parte nudo corpore, inferiore vero pallio tecta; cuius comites ſunt Bacchus & Mercurius: in altera vero Tabula IV. quae ſequitur, ni fallor, iudicio Paridis adeſt, eiuſque nomen ita ſcriptum legitur VJ1A *Apul*; quae litterae ſimilitudinem cum nomine APOLLINIS ſervant. Toto corpore nudum exhibeo in Tabula XXXII. huius operis: habetque caput laureatum, exornatumque torque & armilla ſiniſtrum brachium: e brachio vero dextro breve amiculum pendet. Deſumtum eſt ex archetypo aheneo ſimulacro, quod hodie, ut aiunt, exſtat Lugduni Batavorum apud Cl. V. Robertum de NEUWILLE. Inſignitum vides Etruſcis litteris, quae in femore & in tibia inſcriptae ſunt, quas adducam ſuo loco cum interpretatione. Primus omnium, qui litteratis hominibus oſtendit inſigne hoc ſimulacrum, peritiſſimo artificio abſolutum, fuit omni aevo memorandus laudanduſque D. Bernardus Montfauconius (4), qui Etruſcum Athletam victorem referre adfirmavit. Philippus Bonarrotius idem ſignum laudavit, cenſuitque APOLLINEM referre (5): cuius ſententiam & ipſe amplector. Idem ſenſit vir exquiſiti iudicii Stephanus Vinandus Pighius (6), cuius verba non piget adſcribere: videtur enim, hoc ſimulacrum illud idem eſſe, quod olim adſervabatur Ferrariae in Bibliotheca Ducis Alphonſi; nam adeo

illud

(1) Vide Par. II. Inſcript. ant. Etruriae Vrb. pag. 405. num. 6.
(2) Ad Cluverium pag. 1013. lin. 8.
(3) Vet. Lat. prof. Lib. II. Cap. XX. p. 214.
(4) In Theſauro ant. Tom. III. Par. II. Tab. CLVII. pag. 268.
(5) Vide §. VI. pag. 13. & §. XLIII. pag. 92.
(6) In Hercule Prodicio pag. 251.

illud graphice pingit, ut alteri haec deſcriptio tam belle convenire non poſſit. *Erat & Iuvenis laurea coronati ſignum aeneum, pulcherrimum & vetuſtiſſimum: in cuius collo torques, in ſiniſtro ſuperiore brachio armillae bullis dependentibus plenae, rotundis alternatim & humani cordis ſpecie factis: diceres Apollinis* Bullati *ſignum eſſe, qui &* Βουλαφόρος *vel* Βουλαῖος *appellatus eſt propter oracula: & a* βουλὴ *bullam dictam Feſtus auctor eſt, quae a collo in pectore praetextatorum dependebat nobilium aurea, & humani cordis figura, teſte Macrobio; ut ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde praeſtarent, & conſilio uterentur. In femore quidem ſigni ſiniſtro antiquiſſimis characteribus inſculpta eſt inſcriptio Etruſca, quae a paucis legi, a nemine fere intelligi poteſt.* Haec Pighius.

Perpauca, poſt viros doctos, obſervare libet. Siniſtra manu, quae intercidit, lyram tenuiſſe auguror: hanc enim indicat plectrum, quod gerit manu dextera; non enim video, ecquod aliud inſtrumentum eo modo praeferre poſſet. Apollinem, cognomento *Nomium*, Etruſcis haud incognitum fuiſſe, hinc coniicere poſſumus: quem etiam, ad Etruſcorum exemplum, Arcades (qui Etruriam incoluere, ut oſtendit (1) Th. Dempſterus) *Nomionem* adpellarunt, ut docet Cicero (2). Huius adpellationis cauſam adfert Suidas (3): Ἀπόλλων, φασὶ, μετὰ λύρας κατέδειξε τοῖς ἀνθρώποις νόμους, καθ' οὓς ζήσονται, πραΰνων τὲ ἅμα τῷ μέλει τὸ κατ' ἀρχὰς ἐν αὐτοῖς θηριῶδες, καὶ εὐπρόσιτον τῇ οὗ ῥυθμοῦ ἡδύτητι ποιῶν τὸ παραγγελλόμενον· καὶ ἐκλήθησαν νόμοι κιθαρῳδικοί. ἐκεῖθεν δὲ σεμνολογικῶς, ὡς καὶ Ἀριστοτέλει δοκεῖ, νόμοι καλοῦνται οἱ μουσικοὶ τρόποι, καθ' οὓς τινας ᾄδομεν. *Apollo, ut aiunt, adhibita lyra, leges hominibus dedit, ſecundum quas viverent; mitigans ſimul cantu feritatem ipſis inſitam, & numerorum muſicorum ſuavitate efficiens, ut praecepta facilius admitterent: unde* leges citharoedicae *dictae ſunt.. Hinc vero, ut & Ariſtoteli videtur, modi muſici, ſecundum quos canimus, magnifico nomine* νόμοι *appellati fuerunt.* Non ſolum Statuarii, verum etiam Pictores Etruſci Apollinem in vaſculis pinxere cum lyra, adparentem concinentibus ſibi Paeana, ut etiam oſtendit Bonarrotius (4). Lauream ei Tuſci quoque tribuere, quod vaticiniis & divinationibus praeſit (5), laurumque primus omnium invenerit, ut docet Diodorus Siculus (6). Laurum paciferam, quae ſola fulmine non icitur, Apollini gratam eſſe, notat Plinius (7), in Parnaſſo monte ſpectatiſſimam; quam antiquiſſimis temporibus & ipſi Romanorum

Re-

(1) De Etruria Regali Lib. I. Cap. VI.
(2) De Natura Deorum Lib. III.
(3) Tom. II. v. Νόμοι κιθαρῳδικοί.
(4) Tab. LXIII. In §. XXII. pag. 30. 31.
(5) Confer Euſebium de Praeparat. Evang. pag. 112.
(6) Biblioth. Hiſtor. Lib. I.
(7) Lib. XV. Cap. XXX.

Reges dono Apollini mittere ſolebant : vel in gremio Iovis optimi maximi deponere , quoties laetitiam nova victoria adtuliſſet . Huius generis eſſe arbitror coronam hanc lauream , ab Etruſcis Apollini datam : qui etiam triumphalem , aliaque ſerta invenere (1).

Ex iam edito illuſtratoque pulcherrimo APOLLINIS ſimulacro, non obſcuris , ut opinor , argumentis , evincitur , Tuſcos noſtros cenſuiſſe Muſicam ab eo inventam , atque hominibus traditam fuiſſe : ſi qui vero ſunt , qui de hoc ambigant , en Tabula XXXIII. num. I. aliud eiuſdem APOLLINIS ſignum ex aere , elegantia , opificio & raritate eximium , Graece ἀγαλμάτιον vocare poſſumus , quod in lectiſſimo Muſeo Nobiliſſimorum Comitum e Gherardeſca adſervatur . Dextra plectrum peculiaris formae , ſiniſtra lyram , ſive citharam ita tenet , ut poſt cantum , in ipſa pauſa & quiete , aliquid meditari videatur . Caput divino diedemate ſeu taenia revinctum eſt . Capilli , quod rariſſime , aut numquam Graeci , ac maxime Romani fecerunt , breviſſimi ſunt , atque in gyrum adtonſi . Chlamydem quoque vel pallam illi dedere : Tuſci vero togam , ut in hoc videmus , haud magnopere a toga Vertumni , ut ſupra obſervavimus , diverſam : niſi quod haec non rotunda , ſed quadrata adparet . Haec ſiquidem in eam ſpeciem , diverſo tamen artificio , fuſiore ſinu concinnata , ſub dextro brachio veniens , quo ad pulſandam lyram ſit expeditius , ſuper laevum humerum excurrit , & poſt terga reiicitur.. In extremo limbo , quaſi internitentes gemmae , ſcutula undique caelata viſuntur , quo auguſtior ornatiorque ſit eius cultus . Lyra , cuius iugo admotam tenet manum , ſeptem foraminibus diſtinguitur , per quae diductae chordae , quibuſdam anulis , in ſubiecta planitie rotunda diſpoſitis , innectantur . Certe peculiaris eſt huiuſmodi lyrae fabrica , quam multo diligentius expenderem , niſi alia multa , non minus obſervatu digna , mox in hoc opere dilucidanda , urgerent . Pedes calceis puris exornantur , quibus etiam ſubiectus perparvus ſoccus obſervari poteſt . Id a Citharoedis in ſcena factitatum , nemo ignorat : conſuetudine , ut credere fas eſt , ab Etruſcis accepta , qui Citharodiae , omniumque acroamatum inventores & auctores praeſtantiſimi apud Italos fuere .

Sequitur in eadem Tabula XXXIII. num. II. APOLLINIS aliud ſimulacrum ex aere , Etruſca arte & raritate inſigne . Siniſtra manu tauri caput geſtat : quod ad hoc tempus , ni fallor , nondum viſum . Mirifice hoc ſymbolum APOLLINI convenit , ut docet Macrobius (2) , qui ita ſcribit : *Taurum vero ad SOLEM referri*

N ſimul-

(1) Dempſt.Etr.Reg.Lib.III.Cap.xxxix. (2) Saturnal. Lib. I. Cap. xxi.

multiplici ratione Aegyptius cultus oſtendit : vel quia apud Heliopolim taurum ſoli conſecratum , quem neton *cognominant , maxime colunt : vel quia bos Apis in civitate Memphi,* SOLIS *inſtar excipitur : vel quia in oppido Hermanthi , magnifico* APOLLINIS *templo , conſecratum* SOLI *colunt taurum* , pacin *cognominantes , inſignem miraculis , convenientibus naturae* SOLIS .

E Deorum numero neminem alium refert , quam APOLLINEM ſive SOLEM , aheneum ſimulacrum , quod ſequitur in Tabula XXXIIII. proditque ex eadem Cimeliotheca Comitum e Gherardeſca : quod quamvis ſit vetuſtiſſimum , tamen ſymmetria aptoque partium conſenſu , venuſtatem atque elegantiam praefert maximam. Primi artifices Tuſci , quum in effingendis auribus & manibus , itemque pedibus , praeſertim nudis , ſimulacrorum , maxime peccarent , manus ſi quid praeferre voluiſſent , terebrare conſuevere , quod & in hoc factum videmus ; nam in dextera clavis infixam fuiſſe pateram arbitror . Siniſtra vero eo geſtu confecta eſt , ut opem ferre cultoribus , vel blanda miſeratione eos complecti videatur . Amiculum velat corporis pudenda , dextrumque crus & femur : reiectumque concinne refluit e brachio ſiniſtro . Collum ambit torques Tuſco modo conciſus , qui reſtem artificio imitatur . Quod vero ſpectatu notatuque dignum , caput eius breviſſimo perfectum capillitio , duplici corona redimitur , nimirum ſacra taenia ſeu filamine & radiis , qui totum circumdant excurruntque , non prominentes , ſed crinibus in eam ſpeciem adhaerentes , uti in eadem Tabula expreſſum eſt . Duplex coronae genus , Tuſcorum inventum , e diademate & radiis compoſitum , recte convenit APOLLINI , quem eumdem eſſe SOLEM credidere . Congruit eius imago cum priſca Theologia ; nam fingitur iuventa decorus , nudo pectore , quod omnia perluſtret ac luce ſua compleat : nudis pedibus , quod curſu omnium ſiderum ſit velociſſimus (1) . Amiculo teguntur inferiores partes corporis , quod nocturno tempore ſe occultet , alterumque hemiſphaerium illuſtret .

Hoc quoque ſimulacro , in hanc ſpeciem fabrefacto , veteres Tuſci Deum MITHRAM expreſſere , quem impenſiſſime adorarunt , ut oſtendit Ampliſſimus Senator Bonarrotius : ſacraque Mithriaca in eius honorem peregere (2) . Scio MITHRAE ſimulacrum apud Perſas , qui eius cultum Tuſcis aliiſque nationibus monſtrarunt , cum leonis effigie repraeſentari ſolitum (3) : verum non ita ſenſere Etru-

(1) Ex Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.

(2) Ad Monum. addita Operi Dempſteriano §. XXIV. pag. 32. 33. 34. 35.

(3) Vide Phil. a Turre de Mithra Cap. I. II. & III.

Etruſci , qui ſatius duxere Deorum vultus humana , quam ferina ſpecie colendos proponere : qua in re ab inſtituto Aegyptiorum receſſiſſe video , qui Diis animalium capita , quae eis convenirent , accomodarunt , ut videre eſt in compluribus iam editis monumentis , ac praeſertim in Menſa Iſiaca apud Pignorium . Etruſci pedes tantum vel leonis vel gryphis aptarunt ſigillis Deorum , ſi quando vaſa , vel candelabra , vel tripodes eadem ſuſtinentia effinxerunt , uti deinceps videbimus.

T A B V L A XXXV.

D I A N A

Tuſcorum Dea : ab Iguvinis , Lunenſibus , Cluſinis , Nepeſinis , Faliſcis , Campanis , Numanis , Tudertibus , Ocriculanis , Ravennatibus , Tiburtinis praecipuo honore culta.

QVamquam Bonarrotius non meminerit DIANAE , eiuſque cultus apud Etruſcos maximi &. antiquiſſimi ; tamen inter Conſentes Deos ab iiſdem numeratam fuiſſe multa evincunt . Exſtat in regio Mediceo Theſauro pondus ex aere fuſum , ſex unciarum & denariorum XX. iam relatum in Dempſteriano Opere Tabula LIX. num. IV. quod ad Iguvinos , ſive , ut hodie vulgo dicitur , ad Eugubinos pertinere videtur , qui illud conflarunt ; nam eorum nomen Etruſcis litteris ita expreſſum legitur . IMIƆVXI . hoc eſt IKVVINI , *Iguvini* . In eo ſignata eſt Luna ſilens & aſtra tria : quartum aſtrum , extritum & vetuſtate labefactatum , hodie non adparet : in altera vero parte , rotae ſimile , radiatum diadema conſpicitur . Ex his inſignibus , quae DIANAE ſive LVNAE conveniunt , haud inani indicio arguimus , Iguvinos DIANAM impenſius ceteris coluiſſe . De Lunenſibus , qui ab eadem Dea nomen accepere , haud dubitari poſſe arbitror ; nam & ipſos crediderim , non caſeos ſolum , ut docet Martialis , verum etiam pondera ſive numiſmata , Lunae nota conſignare conſueviſſe .

Apud Cluſinos inſigne templum DIANAE dedicatum , teſtantur in-

inſignes, quae ſuperſunt columnae prope Cathedralem Eccleſiam, quarum etiam non paucae eiuſdem Eccleſiae fornices ſubfulciunt: & ara, a Grutero (1) atque a me iam edita (2), quam Ordo ſplendidiſſimus Cluſinorum Virgini DIANAE ſacravit pro ſalute Imperatoris L. Septimii Severi: poſuitque, ut credibile eſt, in eodem templo, cum eiuſdem Deae ſimulacro.

Nepeſini ac Faliſci non minori religione DIANAM, quam, ut diximus, Apollinem, coluere. Eam perraro magnificoque cognomine adpellarunt COMPOTENTEM, uti conſtat ex inſcriptione arae vetuſtiſſimae, quam adfert Gruterus (3). Fuit etiam celebris cultus DIANAE cognomento ARDOINNAE (4), vel, ut in aliis inſcriptis aris legitur, ARDVINNAE; quam vocem Sabinam eſſe aliqui exiſtimant (5). Cultum, quem a Tuſcis accepere, ſumma cum religione ſervarunt inſignes coloni Tudertes (6), Numani (7), Ocriculani (8), Tiburtini (9), Ravennates (10); quemadmodum, quae apud eos exſtant, marmorea altaria, litteris conſignata, teſtantur.

Neque vero ſilentio praetereundi ſunt Campani, qui DIANAM, a montibus, qui Capuae imminent, TIFATINAM vocatam, maxime devenerati ſunt, tamquam patrium numen & ἐγχώριον: quod praeter antiquas aras DIANAE TIFATINAE dedicatas (11), veteres quoque ſcriptores adfirmant Velleius Paterculus (12) & Pauſanias (13), qui ſe vidiſſe memorat Dianae templum in Campania praenobile, quod a Capua aberat ſtadiis ferme triginta, in quo erat elephanti calva. Praefectum iuridicundo MONTIS DIANAE TIFATINAE C. Terentium Carinum, e Palatina Tribu, nobis indicavit e vetuſto marmore Vir Celeberrimus Alexius Symmachus Mazochius (14), quod oppidum antea ignoratum, *Addiana* adpellatum ſcribit, id eſt *ad Dianam*: quemadmodum illud *ad Arnam*, ut ſupra diximus, a templo his in locis perinſigni.

Pauciſſima in celebrioribus Etruriae Muſeis obſervavi DIANAE ſimulacra, quae non obſcuros Etruſci artificii characteres praeſeferant. Tria haec, quae propono in Tabula XXXV. perrara plane ſunt atque omnino inſignia. Aheneum illud, quod exhibeo num. 1. duplici ſchemate delineatum a Petro Sancte Bartolio, Romae exſtat in Muſeo Carpineo: e quo primus omnium in lucem edidit

Am-

(1) Pag. XL. II.
(2) In Par. II. Inſcript. Etr. Vrb. pag. 399.
(3) Pag. XLI. 2.
(4) Apud eumdem Gruterum Pag. XL. 9.
(5) Inter Gudianas Inſcr. Pag. XXIX. 9.
(6) Ibidem Pag. XXVII. 9.
(7) Ibidem Pag. XXVII. 8.
(8) Ibidem Pag. XXVIII. 1.
(9) Apud Gruterum Pag. XLI. 1.
(10) Inter Gudianas Pag. XXVIII. 9.
(11) Inter Gudianas Pag. XXVI. 7. Vide etiam Reineſium Cl. VI. num. 91.
(12) Lib. II. Hiſtor. num. XXV.
(13) In Eliacis Lib. V. Cap. XII.
(14) In Amphitheatrum Campanum Cap. I. pag. 46. 47.

Ampliſſimus Senator Bonarrotius ad Obſervationes in Numiſmata maximi moduli (1). SPEM Deam, ſive aliquod aliud Etruſcorum Numen referre cenſet: ego vero, haud improbabili coniectura, DIANAM; nam dexteram manum in eum geſtum ita conformatam habet, ut arcum vel ſagittam, quae intercidit, tenuiſſe videatur. Accedit veſtis ſuccincta, poplite tenus fuſa, quam laeva manu adtollit: adde nudos pedes, qua ſpecie DIANAM in antiquis ſculpturis non raro expreſſam cernimus. Capilli, quod Graeci numquam fecere, valde prolixi, in fine tonſi, elegantique artificio diſpoſiti obſervantur. Quanto vero ſtudio & ingenio veſtis in varios ſinus ſit concinnata, nemo eſt qui non videat. In limbo eiuſdem veſtis, quaedam ornamenta inſculpta obſervantur, quae Tuſci opifices invenere; quaeque veteres *Maeandra* vocarunt (2), quod fluxibus tortuoſis, amnem, hoc nomine & natura celebrem, imitentur.

Non minus rarum atque obſervatione dignum eſt alterum ſigillum, ſive, ut aiunt, protoma, eo quod pectore tenus ſit exſecta, quam exhibeo in eadem Tabula XXXIII. num. II. Hanc non ſine voluptate obſervavi Florentiae inter Cimelia Nobiliſſimi Viri Nicolai Panciatichi, cura agente, pro ſingulari in me humanitate, Viro Cl. Antonio Maria Biſcionio. DIANAM referre arbitror, a Tuſco opifice, quodam ornamenti genere, nondum viſo, condecoratam: confirmatque ſatis aperte meam ſententiam, quod Etruſci in ornandis Deorum ſimulacris multa ab Aegyptiis didicerint: quia vero ingenio & arte maxime pollebant, ea ornamenta, quae rudia & ſimplicia cenſuere, in ampliorem elegantioremque cultum, aliis additis de ſuo ornamentis, reformarunt ac reſtituerunt. Aegyptii, ut videmus in Menſa Iſiaca, Iſidis capiti vel accipitrem, vel loti florem, vel etiam apicem, ſeu mavis polum & metam impoſuere; quae conſtat globo, cornibus, ac pennis innexis in eam ſpeciem: Etruſci vero, praeter haec, polum ſive apicem diademati ſeu mitellae impoſuerunt. Inuſitatum etiam neſcio quem cultum praefert veſtis, circa papillas in eum modum concinnata, quaſi cornu copiae pro bulla e collo pendens adpareat. Inſuper eidem protomae quoddam πάρεργον additum, quaſi Dea vel throno vel lectiſternio impoſita videatur.

Alio ornamenti genere, quo Etruſci frequenter uſi ſunt, nempe foliis arborum maioribus, undique ſubiectis, nobilitatur aerea protoma DIANAE LAMPADIFERAE, quam exhibeo in eadem Tabula

(1) Vide pag. 93.

(2) Virgilius Aeneid. Lib. v. verſ. 251. Vide etiam Servium in Lib. IV. n. 137. Tertull. de Pallio Cap. IV. Ruben. Cap. II. n. 550.

bula XXXV. num. III. Pulcherrimum eſt Deae caput, divino diademate revinctum, e quo lemniſci dependent. Alis inſtructam videmus, quod eadem ac LVNA ſit: alae in humeris eius, quaſi volanti ſimiles, dantur. Pauſanias adſimilem DIANAE alatae imaginem, in arca Cypſeli caelatam, deſcribens; teſtatur, ſe non ita facile cauſam adlaturum, cur ita ſculpta fuerit (1). Etruſci, ſolertiſſimi Aegyptiorum & Phoenicum imitatores, alas DIANAE dederunt, ut eius forſitan curſum ociſſimum deſignarent (2). DIANAM hanc veterum Etruſcorum, LAMPADIFERAM cognominavi, quia poſt humerum ſiniſtrum, non pharetram gerit, ſed copiae cornu vacuum, quo in uſum lampadum veteres Tuſci uſi ſunt, ut inferius videbimus, atque in eum etiam modum Romani; ita enim lampades ſculptae viſuntur in ſepulcro ſervi Lampadarii Caeſaris penes Fabrettum (3); nam in cornu vel oleum vel alia materia, ad efficiendum lumen apta, immittebatur. Tuſci DIANAE tamquam inſigne lampada dederunt, quod noctu luceat, & quaſi diem efficiat (4).

T A B V L A XXXVI.

N E M E S I S

Tuſcorum Dea, praeſertim vero Cortonenſium.

APollini & Dianae iungenda eſt Dea NEMESIS, vetuſtiſſima religione ab Aſſyriis, Perſis, Babyloniis, Aethiopibus, omnium fere Orientis gentium conſenſu & cultu conſecrata: quam nil aliud eſſe, quam SOLIS poteſtatem (5), vel ipſam DIANAM crediderunt. Summam eius vim ſummumque in res humanas imperium conſiderantes, fatorum praeſidem, reginam cauſarum, arbitram rerum, urnae ſortium temperatricem dixere (6). Plato omnibus praepoſitam eſſe, iudicii angelum, & facinorum omnium inſpectricem oſtendit (7). Alas ei

(1) In Eliaeis Prior. Cap. XIX.
(2) Vide Muſei Flor. Tom. I. Tab. LXVII. pag. 133. 134.
(3) Inſcript. Cap. IV. num. 309.
(4) Vide quae notat Th. Reineſius de Diana *Lucifera* Synt. Cl. I. num. 57.
(5) Ex Macrobio Saturn. Lib. I. Cap. XXII. De Nemeſi plura habes apud Ph. Bonarrotium in Obſervat. in Numiſmata max. mod. Tab. XII. num. 3. pag. 244.
(6) Vide Ammiani Marcellini deſcriptionem Lib. XIV. Cap. XI.
(7) Lib. IV. de Legibus. Videndus P. Crinitus de hon. diſcipl. Lib. XIX. Cap. VI. Gyraldus Hiſtor. Deor. Synt. XVI. Vide Muſ. Fl. Tom. I. Tab. LXXVI. p. 118. 156.

ei aptavit fabuloſa vetuſtas, ut adeſſe cunctis velocitate volucri crederetur (1).

Nemesin Tuſci quoque coluere : quod primus omnium declaravit Senator Bonarrotius (2), adlata eius imagine ex inſigni patera Muſei Comitum e Gherardeſca, in qua ſculpta eſt Dea gemmato diademate coronata, cum inauribus, torque & armillis, alis quoque inſtructa : quae cum Iunone & Minerva, Herculem in Deorum numerum relatum, & apotheoſi conſecratum, comitatur. Adſcriprae ſunt circa eius caput litterae ƧIOƎ. id eſt *Ethis*, quibus fortaſſe *Tempus*, vel *Aevum*, vel *Aeternitatem* deſignari poſſe adfirmat Bonarrotius ; imago enim conſonat cum epigraphe ; quaſi illa Dea ex eorum numero ſit, qui homines ob inſignem virtutem reſque praeclare geſtas immortales & aeternos faciunt : quique *Dii potentes* & *aeviterni* dicuntur, quod aevo ſempiterno permaneant, qualis Iuppiter, quem ſic vocat Ennius (3).

In Muſeo Gaddio duo inveni ahenea ſigilla inter ſe ſimillima, Tuſca arte ab excellenti ſtatuario confecta, quae, quum incurva ſint, & in pedem gryphis deſinant, emblemata fuiſſe arbitror vel tripodis, vel candelabri, vel etiam vaſis, quod Deae Nemesi ſacrum fuit. Ex his alterum, nulla in parte corruptum, delineandum curavi, quod nunc primum in hac Tab. XXXVI. in lucem prodit. Igitur Nemesin referre puto : cui veteres gryphem, non ſecus ac Soli, adſignarunt, eiuſque currui binos & quaternos gryphes iunxere, quod & ipſa e caelo omnia conſpiciat, nocentes puniat, bonis praemia largiatur. Huc facit Macrobius (4): *Nemesis, quae contra ſuperbiam colitur, quid aliud eſt, quam Solis poteſtas? cuius iſta natura eſt, ut fulgentia obſcuret, & conſpectui auferat, quaeque ſunt in obſcuro illuminet offeratque conſpectui.* Etruſci in hoc eiuſdem Deae ſimulacro effingendo, partim Aegyptios, partim genium ſuum ſecuti ſunt ; nam, quaſi vel iram ſuam in ſontes & inertes homines indicet, vel poenam & vindictam minitetur, manibus ad pectus admotis, digitiſque eo geſtu compreſſis repraeſentarunt : quod etiam Aegyptii fecere, quum colendos propoſuere Deos malorum depulſores & averruncos, hominumque ſceleſtiſſimorum vindices ; quibus in utraque manu, ad pectus compoſita, ſcuticam & flagrum dedere ; ut in pluribus iam editis eius gentis ſimulacris, videre facile eſt. Etruſci praeterea omnibus divinae poteſtatis ſymbolis & ornamentis inſignem Nemesis

ima-

(1) Ex eodem Ammiano Marcellino, ibid.
(2) Ad Monum. add. Dempſtero §. XIII. pag. 20. ad Tab. II.
(3) Vide Gyraldum Hiſtor. Deor. Synt. I. pag. 23. *De Diis aeviternis*.
(4) Saturnal. Lib. I. Cap. XXII.

imaginem fecere, ut heic cernimus: impoſueruntque capiti eius radiatum nimbum ſeu diadema, peregrina ſpecie elegantiſſimum: peplo caput & humeros velarunt: veſtem gemino cinctu pulcherrimam, alaſque divinae virtutis & maieſtatis indices tribuere. Sed de hac Dea plura inferius, quum proferam ex Muſeo Anſideo inſignem pateram, in qua duae NEMESES caelatae viſuntur: e quibus monumentis adnotabimus, Etruſcos plures NEMESES coluiſſe.

Quod vero Cortonenſes, prae ceteris Etruriae populis, religioſe NEMESIN coluerint, templumque, ut credibile eſt, conſecraverint, ex eo deducimus, quia in agro Cortonenſi inventus eſt pulcherrimus ille Gryphs ex aere, a Tuſco artifice praeſtantiſſimo abſolutus, hiſque litteris Etruſcis ᒧIꟻƆMHIϯ inſcriptus, quem in ſuo Muſeo diligentiſſime adſervat patriorum monumentorum inveſtigator diligentiſſimus Galeottus Coratius Eques D. Stephani & Patricius Cortonenſis. Quia igitur Gryphs NEMESI ſacer eſt, ut diximus; hinc pro donario in eius templo dedicatum fuiſſe coniicimus: ea vero inſcriptio a nonnullis creditur veroſimilius donatoris, quam artificis nomen praeferre; quia ipſiſſima legitur & in Chimaera Muſei Medicei, Arretii inventa: ſed haec diligentius infra expendentur.

TABVLA XXXVII.

AESCVLAPIVS
Etruſcorum, praecipue Cortonenſium, Arretinorum & Cluſinorum tutelaris Deus.

MOrtalium omnium antiquiſſimi Aegyptii & Phoenices AESCVLAPIVM, ob inventam ab eo apud ſe medicinam, in Deorum numerum retulere. Id conſtat Pauſaniae (1), Plinii (2) aliorumque celeberrimorum ſcriptorum teſtimoniis, quae habes apud doctiſſimum Ioannem Marſhamum (3). Ab his nationibus caeleſtium ſiderum arcanarumque naturae rerum atque anatomiae peritiſſimis, ut opinor, AESCVLAPII ſacra & cultum Tuſci noſtri acceperunt. Quamvis enim id apud ſcripto-

(1) In Achaicis Lib. VII. Cap. XXIII.

(2) Lib. VII. Cap. LVI. Vide etiam Clementem Alexandri. Strom. Lib. 1. pag. 307.

(3) Seculo 1. pag. 40. 41. 42.

ptores eximiae auctoritatis, teſtatum non legerim: exſtant tamen aliqua monumenta, Tuſcanico artificio proculdubio perfecta, quae evincunt, hunc Deum Etruſcis haud incognitum fuiſſe. Paullo inferius adferam, e Muſeo Nobiliſſimi Equitis Galeotti Coratii, inſigne candelabrum, ſeu potius arulam tripodem ad ſuffitus adolendos, egregia arte fabrefactam, quam nuper invenere ruſtici in agro Cortonenſi: fuitque, ut coniecturis adſequi poſſumus, pro donario in Aeſculapii templo conſecrata; nam columellae adrepit ſerpens, & per eam ſcandunt inſidentque crateri cornices, quae in tutela AESCVLAPII eſſe dicuntur; quare hinc facile deducimus, Cortonenſium tutelare numen AESCVLAPIVM fuiſſe. Quod vero etiam Arretini AESCVLAPIVM, ac praeterea HYGIAM coluerint, ſuperſtitione antiquiſſima, teſtatur ara nuper edita inter Gudianas (1). De Cluſininorum cultu, conſtat ex alia ara, iiſdem Diis dedicata, quam illuſtravi in Parte II. Inſcriptionum antiquarum, quae exſtant in Etruriae Vrbibus (2).

Accedit praeterea ſimulacrum ex aere eximium, omniumque rariſſimum, quod in Tabula XXXVII. huius operis exhibeo num. I. Olim in lucem illud protuli (3) ex Cimeliis Andreiniis: quod paullo poſt a ſceleſtiſſimo homine furto ſubreptum fuiſſe cognovi. Idem artifex Tuſcus, qui hoc ſignum fabricavit, perfeciſſe creditur & alterum quoque Iunonis Argivae, ſuperius relatum Tabula XXIII. num. II. quod opificio longe ſimillimum mihi viſum eſt. Imberbis effictus eſt AESCVLAPIVS, togatus potius, quam palliatus, & ſine baculo; non ſecus ac cernitur in altero ſigillo, quod adfert Pignorius (4). Oculos vel gemmeos vel aureos habuiſſe indicabant cavitates, quas in oculis vidi. Dextra ſerpentem in varios ſinus circumvolutum gerit: ſiniſtra vero globum, quaſi indicet, priſcos medicos augurali ſcientiae & aſtronomiae operam dediſſe, ut cognita ſiderum natura, eorumque maligno beneficoque influxu, melius aegrotorum ſaluti conſulerent. Pedes nudi ſunt: caput tutulo turbinato tegitur, qui conchylium referre videtur. Quod vero maxime eſt obſervatu dignum, non humanas, ſed caninas aures habet, quae mihi indicio fuere, ut AESCVLAPIVM referre cenſerem. Huius rei cauſam ita aperit Feſtus (5): *In inſula,* (nempe Tiberina) *AESCVLAPIO facta aedes fuit, quod aegroti a Medicis aqua maxime ſuſtententur: eiuſdem eſſe tutelae draconem, quod vigilantiſſimum ſit animal: quae res ad tuendam valetudinem aegroti maxime apta* *eſt.*

(1) Pag. XLVI. num. 2.
(2) Pag. 404. num. 5.
(3) In Parte I. eiuſdem Operis Tabula XVI. pag. LXXX.
(4) In Symbolic. Epiſtol. XIII. pag. 48.
(5) Lib. IX.

eſt. Canes adhibentur eius templo, quod is uberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum. Huic gallinae immolabantur.

Ne vacuus altera ex parte eſſet locus in eadem Tab. XXXVII. propoſui num. 1. pulcherrimum APOLLINIS, quem Aeſculapii patrem fingunt, ſimulacrum aheneum, e Muſeo Mediceo depromtum, egregia arte, ut videtur, a Tuſco opifice abſolutum. Sacrificantis ritu, dextera pateram, ſiniſtra vaſculum ſive acerram tenet. Caput radiis ornatur, qui ea ſpecie arboris folia referunt. Capilli undantes, & ipſi coronam radiatam imitantur.

TAB. XXXVIII. XXXVIIII.

MERCVRIVS

Etruſcorum Deus, praecipue vero Arretinorum, Mediolanenſium, Brixienſium, Mantuanorum, Mutinenſium, & Firmanorum.

PErſpectum ſatis ſuperque eſt, MERCVRIVM ab Etruſcis ſummo honore cultum fuiſſe (1): quod praeter inſignes auctores (2), clariſſime teſtantur pondera ſive monetae noſtrae gentis, quae eius imaginem & caduceum praeferunt, de quibus inferius erit dicendi locus peropportunus. Accedunt duae inſignes paterae aereae, e Muſeo Ficoronio depromtae, atque apud Dempſterum vulgatae, Tabula III. & IV. in quibus ad imaginem MERCVRII ſcriptum eſt, ƨмαv+ *Turms*; ſi vero prior littera ſit 1, non +, ut dicat ƨмαv1. legendum erit *Turms*: eruetur que alterum cognomen MERCVRII; in quo veſtigium quoddam Graeci nominis *Πυρόεις*, *Ignitus*, vel *Πυρσὸς*, *Fax*, unde *Facifer*, de quibus Suidas. Tuſcos interdum ſolo cognomine Deos adpellare conſueviſſe, oſtendunt aliae paterae, Deorum nominibus inſcriptae; in quibus, ut diximus, tum Iuppiter, ΑИΙ+. *Tina*, *Tonans*; & Bacchus ſimiliter cum fulmine ſculptus, ΑΙИΙ+. *Tinia*, *Tonans*, proprio cognomine indigitatur. In altera vero patera relata in Tabula IV. in qua ſculpti ſunt, ut mea fert opinio, MERCVRIVS & Apollo coram Minerva & Iunone, vel litigantes (3) ob inventam

(1) Vide Bonarrotium ad Monum. addita Dempſtero §. VIII. pag. 14.

(2) Vide Dionyſium Halicarnaſſ. Lib. 1.

(3) V. Pauſan. in Boeot. Lib. IX. Cap. XXX.

tam lyram, vel cum iiſdem conloquentes poſt iudicium Paridis: adſcriptum eſt aliud MERCVRII cognomen, quod tres alterius Etruſci cognominis ƨМ◁V+ vel ƨМ◁V1 litteras retinet, nimirum ИA◁V+ *Turan*. Huic cognomento ИA◁V+, quod veteres Tuſci dedere MERCVRIO, reſpondere aliquo modo videtur illud Graecum Θυραῖος, hoc eſt *Thuraeus*, quaſi *Oſtiarius*, *Ianualis*, quo Ianus vocatur apud Macrobium [1]: idemque ac Mercurius & Apollo eſſe dicitur; ea quidem de cauſa, quod omnibus ianuis praeſit, ſitque exitus & introitus portarum & viarum rector ac potens cuſtos. Etruſci, ut colligimus ex hac perinſigni patera, eodem cognomine vocarunt MERCVRIVM, quem & ipſi crediderunt ianuae caeleſtis & inferae praeſidem, eiuſque forſitan ſimulacrum, non ſecus ac illud Iani ad fores aedium, in atriis, in veſtibulis, in portis arcium, & in aditu aulae Regum, ſtatuendum eſſe cenſuerunt.

Alio quoque cognomine Etruſci MERCVRIVM adpellarunt, nempe CASMILLVM & CAMILLVM, hoc eſt *Deorum Miniſtrum*, ut docent ex Callimacho Statius Trallianus [2] apud Macrobium [3], Apollonii vetus interpres [4], Feſtus, aliique celebres auctores. Hunc Deum ex Cabiris ſive Samothracum, Diis unum fuiſſe tradunt, quos ita vocarunt, a magnitudine ſive a potentia, ut oſtendit Voſſius, quem operae pretium facies ſi conſules [5].

Accedunt, praeter monetas & pateras, aerea Etruſcorum ſimulacra, e quibus duo adferre volui, quae cenſui rariſſima atque inſigniſſima: eaque exſtant in regio Mediceo Theſauro. Primum quod habes in Tabula XXXVIII. refert, ut arbitror MERCVRIVM regni caeleſtis & inferni Genium, qui animam ad inferos vel ad caelum defert. Quod vero Etruſci artificis ſit opus, indicat ipſa ſculptura, quae Tuſcanici opificii omnes characteres & indicia praefert. Ne vero id cuiquam mirum videatur, adducam magni Philoſophi Pythagorae opinionem, a Diogene Laërtio adlatam in eius vita: quem natione Etruſcum eſſe ſcribit, Mneſarcho patre Tuſco, gemmarum ſcalptore, natum, qui de MERCVRIO ita ſenſit. Τὸν δὲ ΕΡΜΗΝ, ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν· καὶ διὰ τοῦτο Πόμπεα λέγεσθαι, καὶ Πυλαῖον, καὶ Χθόνιον, ἐπειδήπερ οὗτος εἰςπέμπει ἀπὸ τῶν σωμάτων τὰς ψυχὰς, ἀπό τε γῆς, καὶ ἐκ θαλάττης. καὶ ἄγεσθαι μὲν τὰς καθαρὰς ἐπὶ τὸν ὕψιστον· τὰς δὲ ἀκαθάρτους μήτε ἐκείναις πελάζειν, μήτε ἀλλήλαις, δεῖσθαι δ᾽ ἐν ἀῤῥήκτοις δεσμοῖς ὑπὸ Ερινύων. *Porro* MERCVRIVM (arbitror) *animarum quaeſtorem eſſe, at-*

(1) Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(2) Lib. I. de vocabulis rerum.
(3) Saturnal. Lib. III. Cap. VIII.
(4) In Lib. I. Argonautic.
(5) De orig. & progr. Idololatr. Lib. II. Cap. LVII.

que ideo Ductorem dici, ac Ianitorem, & Terrenum; quod is ex corporibus, & ex terra, & e mari animas immittat: & puras quidem atque purgatas in excelſum ducat: impuras vero illis ne appropinquare quidem, neque invicem ſibi ipſis; ceterum vinciri a Furiis infractis nexibus. Haec igitur Pythagorae opinio de MERCVRIO cum hoc elegantiſſimo ſigno mirifice convenire videtur, & cum Tuſcorum Theologia, qui improborum hominum Furias ultrices credidere, & luſtrationes ad purgandas animas a ſceleribus inſtituere; quare facile crediderim, Pythagoram, qui etiam univerſam Aegyptum diligentiſſime perluſtravit, Aegyptioſque viros ſapientiſſimos audivit, veterem Theologiam arcanaque religionis myſteria ſapientius ceteris Philoſophis Etruſcos docuiſſe. Ea enim mihi valde adridet virorum doctorum opinio, qui ab Aſtronomis & Philoſophis vetuſtiſſimis Idololatriam originem habuiſſe exiſtimant.

Igitur MERCVRIVS expanſis alis, quaſi in caelum volaturus, nudo capite, ſine pileo & alis, virginem, quam indicat virginalis palla, ulnis defert, quae eum blando & ſereno vultu intuetur, ſublatiſque ad caelum manibus, vel Deos ſuperos vel ipſum MERCVRIVM ducem ſuum orare videtur. Quia vero eadem virgo caput habet ornatum radiato nimbo, potius Deam, quam hominis animam referre arbitror: ac facile dixerim PROSERPINAM, quam Tuſci a MERCVRIO ab inferis evocatam, in caelum reductam fuiſſe commenti ſunt. Notum eſt ex antiquis Mythologis (1), Proſerpinam pauca mali punici grana comediſſe; quapropter negatum ei fuiſſe ab inferis regreſſum. Verum Ceres, filiae ſuae flagrans deſiderio, ab Iove impetravit, ut dimidia parte anni apud ſe, dimidia apud Ditem patrem eſſet. Aliqui ferunt, curru albis equis vectam, in caelum ad Iovem conſcendiſſe (2).

Multis porro de cauſis non credo, hoc ſimulacrum referre poſſe Plutonem rapientem Proſerpinam; nam in antiquis ſculpturis eadem virgo rapta, vim ſibi inlatam iactatione manuum, geſtu, & moerore animi indicat, corpuſque ita intorquet & circumagit, ut e manibus raptoris Dei effugere nitatur. Heic vero PROSERPINA quietiſſime ducitur a MERCVRIO, blandoque vultu manibuſque ad Iovem ſublatis, ſummam animi laetitiam, gratumque animum benefico ductori declarare videtur.

Alterum MERCVRII ſimulacrum aereum, prolatum in Tabula XXXVIIII. eſt quidem Etruſcum, ſed non tam altae antiquitatis; raro enim vel numquam, primis Idololatriae ſeculis, Tuſci artifices Diis complura ſimul ſymbola tribuerunt; quae enim

(1) V. Phurnut. de Nat. Deor. Cap. XXVIII. (2) Pindari Scholiaſt. Olymp. VI.

enim nulla habent, omnium profecto antiquiſſima ſigna cenſentur. Toto corpore nudus, capite dumtaxat perornato alato galericulo, orbi, ſimiliter alis volucribus & expanſis inſtructo, inſiſtit MERCVRIVS: qui dextera perparvum cornu, pomorum florumque copia, & arborum foliis refertum, laeva vero ardentem lampadem gerit. Globus, index orbis terrarum, non MERCVRIO ſolum, verum etiam Iovi, Serapidi, Apollini, Veneri, Victoriae, Fortunae, multis de cauſis ſubiicitur, quas alibi diligenter inveſtigavimus. MERCVRIO autem tribuitur, quia Philoſophi vetuſtiſſimi eum mundi parentem crediderunt (1): & forſitan, quia mundum vel Deum eſſe, vel divinum quid & animatum in ſe habere cenſuere, ideo in ſuperiori parte alas, divinitatis, motus & velociſſimae virtutis inſignia, addiderunt.

Poteſt etiam ex additis ſymbolis hoc ſimulacrum referre MERCVRIVM triplicem, hoc eſt *Superum* ſive *Caeleſtem*, *Terreſtrem*, & *Inferum*: de quo non pauca me dicere memini ad Gemmas antiquas, in Muſeo Florentino nuper a me illuſtratas (2), queis haud opus eſt lectoris aures iterum obtundere. Illud notandum, ex hoc ſimulacro facillime colligi poſſe, Etruſcos crediſiſſe eumdem eſſe MERCVRIVM ac Apollinem: cui etiam copiae cornu frugibus dives, & accenſam lampadem, ut obſervavimus, veteres dedere (3), quo clarius eorumdem ſiderum virtutem & beneficia, quae mundo conferunt, demoſtrarent. Praeterea ſuſpicor, etiam Etruſcos, exemplo Aegyptiorum (ut diſerte docent Plato in Phaedro, & Iulius Firmicus) MERCVRIVM crediſiſſe Geometriae, Aſtronomiae & Haruſpicinae auctorem atque parentem (4); ſed haec modo ſatis.

Memorat Iulius Obſequens inter prodigia, quae evenere, C. Valerio & M. Herennio Conſulibus, Arretii ſignum aheneum MERCVRII ſudaſſe: ex quo apparet, Arretinos priſca religione MERCVRIVM coluiſſe, & quidem iiſdem, ut arbitror, ſacris & caerimoniis, quas primum Tuſci docuere. Apud Mediolanenſes (5), Brixienſes (6), Mantuanos (7), Mutinenſes (8), Firmanos (9), qui Etruſcorum coloni fuere, ut oſtendit Thomas Dempſterus (10), non paucae exſtant marmoreae arae MERCVRIO dedica-

(1) Vide Marſil. Ficinum ad Ennead. III. Lib. VI. Plotini, in Summa pag. 302.
(2) Tom. I. Claſs. IV. Tab. LXX. LXXI. a pag. 136. ad pag. 146.
(3) Vide Tom. II. Muſei Flor. Claſ. IV. Tab. LXXXVIII. pag. 143.
(4) Vide, ſi otium eſt, ibidem Claſ. IV. pag. 143. 144.
(5) Horum aras Mercurio ſacras adfert Gruterus pag. LI. 2. LIII. 3. 7.
(6) Idem p. LII. 7. MLXVII. 10. 11. 12. 13.
(7) In Gudian. pag. XXXVI. 7. Grut. LV. 3.
(8) Ibidem, & in auctariis.
(9) Ibidem pag. LII. 11.
(10) De Etr. Reg. Lib. I. Cap. IX. Lib. II. Cap. XII. Lib. IV. Cap. CXIV. CXVI.

dicatae : quarum auctoritate colligimus, eum tamquam tutelare, vel etiam patrium numen (multo magis ubi frequentiores exſtant) ex antiquiſſima ſuperſtitione cultum fuiſſe ; quod etiam ex aliis monumentis, mox adducendis, clarius adparebit.

TABVLA XL.

MARS CAMVLVS
Etruſcorum Deus, praeſertim Larinatium, Faeſulanorum, Tudertium, Spoletinorum, Capenatium, Lanuvinorum, & Genuenſium.

MARTIS nomen, non ab alia natione, quam ab Etruſca Latinos & Romanos accepiſſe veriſimillimum eſt. Conſtat enim Oſcorum lingua (1), quae eſt Etruſcae dialectus, MAMERTEM adpellatum fuiſſe, e quo contractum nomen MARS, pronuntiatu facilius quam MAMERS, derivatum eſt. Id diſerte teſtatur Feſtus : & quamquam M. Varro (2) a Sabinis quoque MAMERTEM vocatum adfirmet ; non evertit tamen, ſed magis confirmat meam opinionem ; nam Sabini, qui Tuſcorum imperio paruere, ab ipſis accipere id nominis potuere : facilius tamen ab his crediderim QVIRINVM nominatum fuiſſe, a *quiri*, hoc eſt *haſta*, Sabinorum lingua, qua hic Deus uti exiſtimabatur. In vetuſtis aris non paucis, MARS alio quoque cognomine vocatur, nempe CAMVLVS : quam vocem Sabinam viri docti exiſtimant, quod praeſertim in antiquis monumentis, apud Sabinos repertis, occurrat (3) : quid vero CAMVLVS ſignificet, non exponit Reineſius, omnium antiquitatis interpretum doctiſſimus (4). A *camo* ſeu *freno* adpellatum aliqui volunt ; ſed ſine ratione, ut videtur (5). Si coniecturis indulgere licet, crederem fortaſſis CAMVLVM ſignificare *miniſtrum* vel *praeminiſtrum materiae*, a voce Etruſca *Caſmilo* ſive *Camilo*, *Camillo* ; dein factum CAMVLVS, quae interpretatio conſonat cum alio MARTIS cognomine nimirum SILVANO, cui vota facta in ſilva memorat Cato (6), quod ſilvis praeeſſet, ſive, ut explicat Ioannes Gerar-

(1) Vide Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. I. Cap. XXI. & XXVI.
(2) Lib. IV. de Lingua Lat.
(3) Vide Gruterum pag. LVI. num. II.
(4) Claſſ. I. num. 150. 271.
(5) Vide Struvii Ant. Rom. Synt. Cap. III. pag. 96.
(6) De re ruſt. Cap. LXXXIII.

Gerardus Voſſius (1), vim ſuam exerceret in univerſam elementorum ὕλην, ſive materiam.

Etruſci ex antiquiſſima religione, omnibus divinis honoribus, inſtitutiſque Saliis, MARTEM devenerati ſunt. Perpauca huiuſce Numinis ſimulacra in noſtris Muſeis obſervantur; nam ea, quae haſtam intorquent & iaculantur, non MARTEM, ſed Heroas, vel Lares Averruncos, & Defenſores veterum Etruſcorum repraeſentant: eorumque ſupellex eſt locupletiſſima fere in omnibus Etruriae Cimeliothecis, quorum imagines inferius exponam. Tria tantum ſigna delegi, quae dubio procul Etruſca arte fabrefacta ſunt. Quod profero in Tabula XL. num. I. egregio ſane opificio confectum, adſervatur in Muſeo Gaddio. Thorax e pluribus loris conſutus, galea altiori cono inſtructa, ſuſpenſis bucculis, torques collum circumdans, treſque baltei, qui pectus exornant, opus Tuſcum, aliis nationibus incognitum, evincunt. Dextra manus in quiete poſita eſt, ſiniſtra haſtam gerit.

Alterum ſignum, quod ſequitur in eadem Tab. XL. num. II. & III. duplici ſchediaſmate diligenter delineatum, eſt quidem longe vetuſtiſſimum, magnoque in pretio habendum. Exſtat in locupletiſſimo Mediceo Theſauro, parque eſt archetypo eius magnitudo. En igitur, nunc primum in lucem MARS togatus, Tyrrhenis calceis indutus, abſque galea & thorace, pectore vero & capite nudo effictus. Capilli ſatis prolixi ſunt, in fine adtonſi, atque in duas partes poſt humeros diſpertiti: quod Tuſci primo ſculpturae aevo factitaſſe diximus. Dextera gladium incurvum, ea ſpecie, quam adhuc Orientis gentes retinent, demiſſum gerit, quaſi poſt caedes & bella quieſcentem: fere *harpen* dixeris. Etruſcorum more, ſtroppo vel ſericeo torque collum eius ornatur.

Habes num. IIII. in eadem Tabula XL. aliud MARTIS ſigillum ex aere, quod apud me exſtat. Illud in eo maxime notandum eſt, quod ocreas habet, & clypeum quadratum, itemque galeam clauſam, quae arma fuere apud veteres Etruſcos magnopere in uſu: quod tum ex hoc ſigno manifeſtum eſt, tum etiam ex aliis apud Dempſterum editis Tuſcorum monumentis (2).

Demum proponitur in eadem Tabula XL. num. V. aereum MARTIS caput, eximii operis Tuſcanici, a ſimulacro ſuo divulſum, quod inſigne eſt, & obſervatione dignum propter galeae fabricam: exſtatque in locupletiſſimo Gaddiorum Muſeo. Conus adſurgens, anſerinum caput inverſum quodammodo refert: ſuperne inhae-

(1) De orig. & progr. Idololatr. Lib. II. Cap. XIII.

(2) Tabula XLVIII. Tabula LXVI. Tabula LXXVIII.

inhaerent duo orbes, ſeu trochleae: inter quas criſtae pinnaeque, verticillo depreſſae, facilius continebantur, & caput inumbrabant: vel etiam pariter ex eis religata equina cauda tutius dependebat. Extremam oram eiuſdem galeae circumdat ſtroppus, qui ei ornamento eſt, & capiti coronam addit. Vtrimque duae bucculae conſpiciuntur: alterae maiores ſuſpenſae; minores vero, aurem tuentes, demiſſae.

Quanto autem ſtudio, & quam eximia religione Etruſci MARTEM coluerint, ſupervacaneum eſt dicere. Cum Bellona forſitan commune templum & aram ubique habuit (1). Inter populos Etruriae, qui in eo colendo excelluere, numerandi ſunt Larinates, in Apulia antiquiſſimi ac valde celebres (2); quorum monumenta videre eſt apud inſignes antiquarios (3). Faeſulis ſignum aereum MARTIS fuit, ac proculdubio templum, inſtituto maiorum, Etruſcaque religione ſacrum atque inſigne: quod evincitur e marmore a me edito, in Faeſularum ruinis invento (4): indicantque loca ex eo adpellata *Camerte*, quaſi, ut aliqui volunt, *Campi Martis* (5). Nec ſolum Faeſulis praecipuo honore cultus MAVORS, verum etiam & in his locis, ubi poſtea haec urbs ſplendidiſſima FLORENTIA condita eſt: quae quidem primum Tuſci maiores noſtri incoluere. Templum MARTI, tamquam Deo proprio & tutelari, & heic dedicatum fuit, eoque in loco, ubi, ad abolendum falſi huiuſce Dei cultum, veteres Chriſtiani patres noſtri inſigne Baptiſterium exſtruxere: & pro MARTE, vocati in admirabile Chriſti lumen, ſacroque tincti Baptiſmate primum a S. Romulo Epiſcopo & Martyre, miſſo ab Apoſtolorum Principe Petro, S. IOANNEM BAPTISTAM in Patronum ac Defenſorem ſolemni ritu, inſtitutiſque ſupplicationibus & feſtis adlegere.

Quod vero Tudertes quoque, Spoletini, Capenates, Genuenſes, Lanuvini, Tuſculani, Tiburtini, aliique Etruriae populi nobiliſſimi, MARTIS numini maxime devoti fuerint, ex antiquis aris iam editis (6), me adfirmare poſſe video.

Quum haec iam edita eſſent, diligentius obſervavi Etruſcam pateram, in Dempſteriano Opere relatam Tabula IV. (7) in qua paullo ſuperius dixi inſculptum eſſe Mercurium & Apollinem, qui inter ſe collocuntur coram Iunone & Minerva, peracto iam

Pa-

(1) Vide Inſcript. Gudianas pag. XXXVI. 9. & XXXVII. 1.

(2) Memorantur a Cicerone in Orat. pro Cluentio, a Livio, Plinio, Silio.

(3) Inſcriptas aras Marti adnotaveram apud Gruterum & inter Gudianas, ſed e memoria mea excidere.

(4) In Par. II. Inſcr. Etrur. pag. 93. num. 2.

(5) Vide Vinc. Borghinium de Origine Florentiae pag. 46. & 220. Partis I.

(6) Vide inter Gudianas XXXVIII. 8. Gruterianas Pag. LVI. 7. LVII. 2. XLV. 6. 7. Donianas Claſſ. 1. num. 44. 46. 51.

(7) Tom. I. pag. 78. Etr. Reg.

Paridis iudicio. Iunonis notandum cognomen ИAGA⅃; hoc eſt *Laran*, quaſi dicas Larum, ſive Deorum matrem vel principem: Latini poſtea dixere *Larumdam*, nimirum Larum Deam. Verum non MERCVRIVM, ſed MARTEM facilius ſculptum credam; qui in eo conſilio adhibetur, decernitque cum Apolline, adnuente irata Iunone & Minerva, vaſtandam eſſe peſte belloque omnium teterrimo ac ſaeviſſimo Ilienſium gentem, ob fatales nuptias Helenae & Paridis Alexandri, quas amica Venus conciliaverat, praemiumque accepti a ſe aurei pomi condixerat. Illud enim cognomen ИAϘV+ *Turan*, melius exprimere videtur MARTEM, quam MERCVRIVM. Homerus enim MARTEM adpellat Θούριον, ab citato adſultu; nam θορεῖν eſt cum impetu inſilire: unde *hippothoros* cantus, ut notat Gyraldus (1), ad incitandos equos ad hinnitum: eaque ratione videtut Suidas ex Ariſtophane Θούραχν MARTEM adpellare; quod Graecum vocabulum cum Etruſco ИAϘV+ *Turan* magis convenit (2). Ad haec notandum, quod peracto iudicio, haud conſentaneum fuit, ut in eo Dearum conſilio intereſſet Mercurius, qui Veneris cauſae magnopere favit, & Paridem, ut Veneri pomum daret, inſtigavit: quod ex Luciano atque ex antiquis ſculpturis conſtat (3). Igitur Apollo ad peſtem, MARS ad bellum inferendum, a Deabus odio & ira flagrantibus, ob iniuriam ſpretae formae, adhibentur. Si vero credamus, Etruſcum caelatorem, in ipſa artis infantia rudem, neſciviſſe tres Deas exiguo in loco ita aptare, ut bene conſpicerentur, ideoque Venerem praetermiſiſſe; tunc haud difficulter credam, ſculptum eſſe Apollinem & Mercurium, qui etiam eodem prorſus geſtu colloquentes, vel litigantes ob inventam lyram, in aliis ſculpturis exhibentur, adſtantibus Iunone & Minerva, ut in Tabula XXXVIII. apud Dempſterum: quorum imaginibus adſcripta ſunt Etruſca cognomina ad dexteram Ǝ⅃IAM⅃ *Lmaile*, ad ſiniſtram ƎƧ↓Ǝ *Ellſe* vel *Elſe*. Aſt vero Vir longe Doctiſſimus Ludovicus Bourguet in eadem patera relata Tabula IV. apud Dempſterum, ita Deorum nomina interpretatur; ИAGA⅃, *Laran*, Mars: ИAϘV+, *Turan*, Mercurius: AƎϘИƎM, *Munrva*, Minerva: V⅃ꟼA, *Apul*, Apollo (4); ſed ego duas tantum in utraque patera caelatas Deas in medio duorum Deorum video, non tres Deos, & unam dumtaxat Deam.

P TA-

(1) Hiſtor. Deor. Syntagm. x.
(2) Vide etiam Su.dam in voce Θύρας.
(3) Muſei Flor. Tom. II. Tab. xxiv. pag. 58.
(4) Diſſert. I. Acad. Cortonen. pag. 12.

T A B V L A XLI. XLII. XLIII.

V E N V S
Etruſcorum, maxime Volaterranorum, Veientum, Tuſculanorum, Cortonenſium, Arretinorum, & Tifernatium Dea.

Deorum templa, quibus in locis collocanda ſint, luculenter exponens Vitruvius (1); fanum VENERIS, extra moenia dedicari ſolitum, ſcribit ex diſciplinarum ſcriptis Haruſpicum Etruſcorum: ea maxime de cauſa, uti non inſueſcat in urbe adoleſcentibus ſeu matribus familiarum venerea libido: tanta fuit, primo illo aevo, Etruſcorum continentia & diſciplina. Etruſcis haec loca incolentibus, inſigne templum VENERI dedicatum memoratur, uti coniecturis adſequor, extra moenia, in ſuburbano rure prope S. Martinum *alla Palma* vulgo nuncupatum, quincto fere ab urbe Florentia lapide: quo in loco Sanctes Marmocchinius (2) teſtatur inventam fuiſſe VENERIS ſtatuam marmoream, altam pedes quatuor, quae ex eo tempore adſervatur in ſuburbana Villa Nobiliſſimorum Marchionum *Della Stufa*, ad viam Piſanam. Eam editam vide apud Dempſterum Tabula XLIII. Ornata eſt Dea torque ſericeo, ac duplici armilla in ſiniſtro brachio: tenetque ſiniſtra manu ſacram columbam, qua indicat, ſe eſſe vim generatricem inferioris naturae (3). Eadem ſtatua epigraphe Etruſca inſignis eſt: in qua inter cetera legitur ᒧAIΘqAᒧ AHAƆ; ſed modo prima littera quum ſit (ut video ex antiquis codicibus manu conſcriptis) iniuria temporis extrita, legendum arbitror ᒧAIΘqAᒧ AHAO; ideſt *Thana Larthial:* quae verba, ut ego interpretor, ſignificant DEA, ſeu DIVA, vel DIA REGINA: in reliquis forſitan VENERIS nomen, nobis incognitum, latet: vel etiam viri, ſeu feminae, qui ſtatuam huic

(1) De Architect. Lib. II. Cap. VII.

(2) Exſtat manu conſcriptus Codex eiuſdem in Biblioth. lectiſſima Illuſtriſs. Eq. Antonii Franciſci Marmii pag. 15.

(3) Vide Voſſium de Idololatr. Lib. II. Cap. XXVII. pag. 163.

huic Deae donavit. Profecto a voce AИAO *Thana*, non multum diverſa eſt Θέαινα apud Graecos (1), quae ſonat *Dea*: adeoque AИAO, *Dea Diva* explicari poteſt. Quod vero ſequitur JAIΘЯAJ *Larthial*, exponendum eſt *Regina*: quemadmodum LARTES *Rex* interpretatur, ut *Lartes* Porſena. Huic alia perſimilis eſt inſcriptio, quae legitur in ſtatua marmorea Deae NORTIAE, vel etiam VENERIS, quae Volaterris exſtat in aedibus Maffeiorum, cuius imaginem ſupra dedimus in Tabula IIII. Eadem enim ſtatua VENEREM referre poteſt, quam forſitan Etruſci NORTIAM vocarunt; ita enim cum infante faſciis involuto, quem defert in ſiniſtro brachio, repraeſentatur in numiſmate, in honorem Fauſtinae Auguſtae percuſſo, cum inſcriptione VENERI GENITRICI; quare hinc non male arguere poſſumus, Volaterranos VENEREM religioſiſſime coluiſſe.

Poſt tempora Numae VENVS in Vrbem recepta eſt (2), quam *Frutam* ſeu *Fruti* adpellarunt. Ioſephus Scaliger (3) hoc nomen ſine dubio detruncatum diſtortumque cenſet ex Ἀφροδίτη Graecorum, quod a lingua veterum Etruſcorum non abhorrere facile crediderim. Templum VENERIS *Fruti* vel *Frutae* vocarunt *Frutinal*, ut docet Feſtus: quod quidem nomen genium linguae Etruſcae imitatur, in qua plurima vocabula ita deſinunt. Hoc nomine Marquardus Gudius adducit marmor inſcriptum VENERI FRVTAE IVCVNDAE (4), in quo memoratur FRVTINAL ei dedicatum: quod in via Appia exſtructum fuiſſe arguit ex inſcriptione ibidem reperta. Hunc titulum diligentius expendent viri docti. Voſſius cenſet, VENERIS nomen eſſe ab Etruſcis (5): eoſque accepiſſe ab Oriente: venireque, non quidem a חן *chen*, quo quandoque *gratia*, *forma*, *ac venuſtas* denotatur; ſed ex eo, quod Aſſyriis tabernacula, in quibus VENERI virgines dicarentur, nomen habuerint *ſacoth benoth*; a *benoth* enim *Benos*, ſeu *Venos* fuerit: quod etiam alio in loco adfirmat (6), inhaerens Ioannis Seldeni opinioni, qui a *Benoth* deducit *Venus*; nam B atque V, item T & S, promiſcue ſolent uſurpari.

Philippus Senator Bonarrotius, de VENERE Etruſcorum Dea diſſerens (7), ad eam ſpectare adfirmat aheneum ſimulacrum fere cubitale, Etruſcis litteris inſcriptum, quod exſtat in Muſeo Mediceo, produciturque in Dempſteriano Opere Tabula XLI. Verum quum

(1) Vide Suidam in hac voce Tom. II. pag. 169.
(2) Conſulendus Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. XII.
(3) In Notis ad Feſtum pag. LXV.
(4) Inſcript. Pag. XXXIX. num. 2.
(5) De orig. & progr. Idololatr. Lib. II. Cap. XXVII. pag. 163.
(6) Ibidem Lib. II. Cap. XXII. pag. 153.
(7) Vide Explic. §. VII. pag. 13.

poſtrema inſcriptionis verba (quam accuratius exſcriptam ſupra dedimus in Tabula II.) habeant ᐯAᐯIOIᐯ *Lithilal*. forſitan potius referre crediderim Iunonem Reginam Luciferam, quae eadem eſt ac Diana ſive Luna (1), quam VENEREM; in eo enim Etruſco cognomine elucet Graecum Εἰλείθυια, *Ilithyia*, quo Romani Iunonem Luciferam vocarunt, ut clare teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis (2), aliique celebres auctores (3).

In agro Veientum & apud Tuſculanum, olim urbs fuit haudquaquam obſcura, *Arae Mutiae*, ſive *Arae Murciae* adpellata, quae a VENERE cognomento MVRCIA, quae ibidem colebatur, nomen accepit. Fuit etiam ſub monte Aventino MVRCIAE Deae ſacellum; qui mons antea *Murcus* vocabatur, auctore Feſto. Viri docti hoc cognomen VENERI datum volunt, vel quia myrtus ei ſacra; vel quia ipſa ſegnis ſit, amanteſque ſegnes efficiat. Tertullianus (4) MVRCIAM, *murcoris* vel *marcoris* Deam eſſe adfirmat: quod nonnullis magis adridet. Plura adfert Thomas Dempſterus de hac Dea (5), quam Etruſci ſumma religione coluere: ad quem lectorem mittimus.

VENEREM, ac forſitan MVRCIAM, refert perparvum aereum ſimulacrum elegantiſſimum, a Tuſco artifice pereximio ſculptum, quod exſtat Cortonae in Muſeo Coratio: eaque in urbe inventum eſt una cum aereo Gryphe, Etruſcis litteris inſcripto, qui etiam in eodem Muſeo adſervatur: quo monumento duplici ſchediaſmate expreſſo in Tabula XLI. num. I. & II. coniicere poſſumus, VENEREM & a Cortonenſibus praecipua religione cultam fuiſſe. VENVS MVRCIA, παστόφιλος thalami amica, ut videmus, iacens effícta eſt ac dormiens, totoque corpore nuda; niſi quod amiculum velat dextrum femur & crus, & ſub reliquas partes inſternitur. Capilli in fronte concinne diſpoſiti, poſt terga ſoluti viſuntur. Caput exornat galericulus cum praealto tutulo, efformatque in anteriore parte mitellam ſive diadema, eximium frontis decus: cum alis utrimque quaſi ad volandum expanſis. Deſcribitur a Pauſania ſimulacrum VENERIS Μορφοῦς *Morphus* apud Lacedaemones (6), quae ſedere videbatur: habebatque in capite καλύπτραν, galericulum, & pedes compedibus adſtrictos: quibus innueret, erga viros ſuos, firma fide coniuges eſſe oportere.

Sequuntur in eadem Tabula XLI. num III. & IIII. duo par-

(1) Vide Ciceronem de Nat. Deor. Lib. II. Orpheum in Hymnis. Horatium Epod. Lib. Ode XVIII. Plutarchum Lib. III. Sympoſ. probl. I. Theocritum in Encomio Ptolaemei.

(2) Lib. IV. Antiq. Rom.

(3) Vide Voſſium Lib. II. Cap. XXVI.

(4) De Spectaculis Cap. VIII.

(5) De Etr. Reg. Lib. IV. Cap. LV.

(6) In Laconic. Lib. III. Cap. XV.

parva ſigilla ex aere, elegantia Tuſcoque opificio probatiſſima. Primum exſtat in Mediceo Cimeliarchio: alterum vero apud Marchionem Gaddium: exhibetque VENEREM ſuperiore corporis parte nudam, inferiore vero veſte tectam, cum pedibus indutis Tyrrhenis calceis: quae dextera columbam praefert, amoris & fecunditatis ſymbolum (1). Verum quum ea avis ſit ſpecie longiuſcula, magiſque caudata, & non adeo pinguis, ut columbae, ſed gracilior; videndum eſt diligentius, an potius eſſe poſſit perdix vel turtur alba: quam Aelianus (2) Veneri Cererique, tum etiam Parcis & Furiis ſacram eſſe teſtatur.

Rariſſimum, exquiſitoque artificio pulcherrimum, eſt aheneum ſimulacrum VENERIS, quod ex archetypo eiuſdem magnitudinis, e Mediceis Cimeliis, nunc primum in lucem prodit in Tabula XLII. Tunica ſuccincta militari amicta eſt Dea, quam in utroque humero bullae obſirmant (3): ceterum nuda, indutis pedibus Tyrrhenis ſandaliis, capite vero tecto galea, multis cornibus armata atque inſtructa: qua ſpecie nondum viſam eſſe VENEREM a viris doctis exiſtimo. Pauſanias non uno in loco ſe vidiſſe memorat VENEREM Ὁπλισμένην, *Armatam*, quam coluere Lacedaemones (4). Cytheri (5) ea ſpecie armis inſignem VENEREM, Οὐρανίαν *Caeleſtem* dixere. Apollonius Ὁπλοφοροῦσαν vocat (6). Cyprii venerati ſunt VENEREM Ἐγχείον, nimirum *Haſtatam*, ut docet Heſychius. Praeterea frequenter in antiquis ſculpturis caelatiſque gemmis VENVS VICTRIX galeam gerit vel capite vel manu: tenetque etiam clypeum (7), quem, ut fertur, invenit, vel cudere docuit (8). Romani *Cluacinam* vocarunt; nam cluere, antiqui pugnare dixerunt (9). Aliqui *Cloacinam* legere malunt: quod nomen in Graeca & Sabina lingua radices habere docet M. Varro (10): nec prorſus remotum ab Etruſca eſſe arbitror. Nihil vero obſtat, quominus credam, ab Etruſcis quoque cultam fuiſſe VENEREM *Armatam*; nam hoc genus galeae, cornibus inſignis, apud eos in uſu fuit in bello, ad terrorem hoſtibus incutiendum: quod manifeſtum eſt inſpicientibus Tuſcos milites caelatos in pulcherrimo argenteo vaſculo deaurato, prope Cluſium reperto, quod modo adſer-

(1) Ex Phurnuto & Fulgentio Mytholog. Lib. II. de Venere.
(2) De Animal. Lib. X. Cap. XXXIII.
(3) Ita ſagulos militum, duplici bulla obfirmatos, notat Bonarrotius ad Monument. addit. Dempſter. pag. 46.
(4) In Corinthiac. Lib. II. Cap. IV. in Laconic. Lib. III. Cap. XV.
(5) Ibidem Lib. III. Cap. XXIII.
(6) Lib. I. Argonautic.
(7) Vide in Muſei Florent. Tom. I. Tabula LXXII. pag. 149.
(8) Teſte Colutho de raptu Helenae. Vide etiam auctorem Hymnorum, qui Homero tribuuntur.
(9) Ex Plinio Lib. XV. Cap. XXIX. Vide etiam Gyraldum Syntagm. XIII.
(10) Lib. IV. de Ling. Lat.

adſervatur in regia Medicea Gaza, editumque eſt apud Dempſterum Tabula LXXVII. & LXXVIII. ſed de galea cornuta dicam & inferius.

Omnia, quae viderim VENERIS ἀγάλματα, ſuperat ſimulacrum aheneum, eiuſdem cum archetypo magnitudinis, quod e Mediceo Cimeliarchio exhibeo in Tabula XLIII. eſt enim elegantia, opificio, partiumque omnium eximio conſenſu inſigniſſimum. Tuſci artificis opus cenſeo abſolutiſſimum, multis de cauſis: quia Graeci ſtatuarii VENEREM nudam effingentes, ita expreſſere, quaſi oblitam ſui, laeva manu ſemireducta, pudenda abſcondentem; quod obſervat Lucianus, deſcribens VENERIS Cnidiae ſignum, quod fecit e Pario marmore Praxiteles (1): quod etiam ante oculos habuit Ovidius, ita illud pingens carminibus (2):

Ipſa VENVS *pubem, quoties velamina ponit,*
Protegitur laeva ſemireducta manu.

At VENVS Etruſcorum, laevam manum, ut videmus, ſuſpenſam tenet eo geſtu, quem hi facere ſolent, qui ad aliquem inopinatum eventum, in admiratione haerent defixi ac ſtupentes. Dextera ſiquidem pomum oſtentat, indicem ac praemium ſuae eximiae pulchritudinis, qua Iunonem & Minervam, Paridis iudicio, ſuperavit devicitque: quae fabula in antiquis Etruſcorum ſculpturis frequens eſt. Accedit alius etiam capillorum ornatus, crinibus partim eleganter diſpoſitis, partim utrimque ſolutis; qui quidem hac ſpecie non obſervantur in VENERE Medicea, quae Cnidia illa Praxitelis creditur. Oculis paetis, quales VENERI conveniunt, diductoque ore paullum ſubridens, non ſecus ac VENVS CNIDIA deſcribitur, multo ante Praxitelem tempore, a Tuſco artifice ſculpta eſt. Tuſci mitram ſive praealtum diadema ei dedere: quod etiam, Pauſania auctore (3), πόλον, *polum* adpellare poſſumus. Praeterea VENVS, Graecorum artificum opus, frequentius inſiſtit in baſi laevo pede, dextrumque ſuſpenſum aliquantulum tenet: heic vero contra factum cernimus.

Illud ſupereſt, ut adnotem, Arretinos Tuſcos VENERI, ut credere libet, templum ſacraſſe; ſuperſunt enim nomina locorum, quae id declarant: quod obſervavit Cl. Gregorius Redius, Ordinis S. Stephani Baiulivus, de patriis antiquitatibus optime meritus (4). His proximi Tiſernates Tiberini templum VENERI VICTRICI dedi-

(1) In Amor. Dialog.
(2) Lib. II. de Arte am. verſ. 614.
(3) In Corinthiac. Lib. II. Cap. x.
(4) Vide in Par. II. Inſcr. ant. Etr. pag. 222.

dedicarunt : quod notavimus teſtimonio antiqui lapidis in Parte II. Inſcriptionum antiquarum , quae exſtant in Etruriae Vrbibus (1) .

Illud etiam , quod exciderat , memorandum eſt , quod ſimulacrum VENERIS in Tabula XLIII. relatum (id quod raro vidimus in parvis ſignis ex aere) aures habet perforatas ; quae indicio ſunt inaures pretioſiſſimas appenſas iiſdem fuiſſe, quae interciderunt.

TABVLA XLIIII. XLV.

A M O R

triplici forma ab Etruſcis cultus.

AMOREM ſive CVPIDINEM, Deorum omnium maximum & antiquiſſimum, vocat Plato in Sympoſio: quem ſi Graeci coluere, ut conſtat tot ſcriptorum teſtimoniis, atque ex eius ſimulacris, quae, tota Graecia perluſtrata, obſervavit Pauſanias ; non erit, ut arbitror, abſurdum credere, Etruſcos quoque divinis honoribus eum deveneratos eſſe. Id equidem ſuadent haec ſigna in Etruria inventa, quae a me exhibentur. Principem locum in Tab. XLIIII. teneat aheneum AMORIS ſimulacrum, in agro Piſaurenſi repertum, quod exſtat in Muſeo Viri Eruditiſſimi Annibalis de Abbatibus, Oliverii, Patricii Piſaurenſis, amici mei optimi, qui delineatum ad me miſit ; adfirmans a praeſtantiſſimo Tuſco artifice abſolutum eſſe, & quidem opere exquiſitiſſimo. Currenti ſimilis effictus eſt : quodque notatu dignum, non ſolum humeros, verum etiam & caput habet alatum : alae vero in capite quum Mercurio tribuantur, videndum eſt, an primus ille AMOR eſſe poſſit, quem ex Mercurio & Diana prima natum, ex antiquorum Theologia, docet Cicero (2). Secundum idem Cicero tradit natum Mercurio & Venere ſecunda : quem duo ſigilla Etruſca referre poſſunt, quae in Tabula XLV. num. I. & II. a me adferuntur. Verum quum inſignis protoma CVPIDINIS relata num. I. impoſita ſit bicorni Lunae ; probabile eſt deſignare primum AMOREM, natum ex Mercurio & Diana : torquis vero e collo pendens, quernis foliis undique diſtinctus, atque in ſpeciem encarpi pereleganter factus, facile convenire poteſt Mercurio :

(1) Adlatum vide pag. 341. (2) In Lib. III. de Natura Deorum.

curio : cui , ut vidimus , veteres Tuſci , copiae cornu foliis arborum , pomis , floribuſque refertum , propter eius ſideris beneficum in hanc terram influxum , iuxta veterum Mythologorum Aſtronomorumque obſervationes dedere . De Etruſco opificio utriuſque ſigni minime dubitandum eſſe cenſeo . Is enim ornatus non occurrit in ſimulacris artificum Graecae Latinaeque nationis . Vtraque ſigna adſervantur in locupletiſſimo Mediceo Cimeliarchio . Altero vero , quod exhibetur num. II. in eadem Tabula XLV. quid pulchrius, quid elegantius cerni poteſt ? AMOR alatus eſt , alaeque non capiti , ſed humeris innexae viſuntur . Cumulus capillorum ſupra caput , vitta in hanc ſpeciem religatus , non cernitur in Graecorum ſignis : qui crines in tricas diſponere ſolent , illaſque vertere in poſteriorem partem capitis , ut videmus in AMORE cum Pſyche coniuncto , in marmoreo ſymplegmate Muſei Medicei (1) . Frontis capillitium pueri ſolebant Diis , Genio & Fluminibus devovere , ſtatoque tempore tondere , iiſdemque dedicare , uti ex Polluce liquet (2) . E collo pendet torquis , qui ante pectus veluti ſtrophium , Etruſco more , decuſſatum recidit . Vtrumque AMORIS brachium duplici armilla ornatur , quae ipſum torquem artificio & ſtructura imitatur . Haec varia propriaque nomina habent apud eumdem Pollucem (3) . Vtramque manum ad pectus coniungit : ſiniſtraque aviculam , ut reor , tenet ; quae ita temporis iniuria eſt labefactata , ut non tam clare adpareat .

Sequitur in eadem Tabula XLV. aliud elegantiſſimum ſimulacrum e Muſeo Carpineo depromtum , quod primus omnium in lucem produxit Cl. Bonarrotius (4) ; ſed quid referat non explicavit . Hunc eſſe arbitror ANTEROTEM , quem Cicero Marte & Venere tertia genitum tradit . Hic Martis inſtar armatus conſpicitur , nimirum Tuſca caſſide prealtioris coni , thorace & ocreis . Bulla ante pectus pendet : quae indicant Etruſci artificis opus . Siniſtra manu quid nam teneat , incompertum mihi eſt , quum ipſum ſimulacrum non viderim . Haſtam vel ſceptrum forſitan praeferebat . Globo inſiſtit , currenti & ipſe quoque ſimilis ; ſed neſcio , utrum globus ille antiquus , an adſcititius ſit .

Horum igitur vetuſtiſſimorum monumentorum fide exploratum eſt , Tuſcos noſtros AMOREM coluiſſe , & quidem ortu & generatione triformem , ut obſervavimus . Primus omnium Graecorum ſculptorum Bupali pater , quem ex Plinio coniicimus vixiſſe Olym-

(1) Vide Muſei Florent. Tom. III. Tabula XLIII. & XLIIII. pag. 176. 177.

(2) Lib. II. num. 30. Vide Ph. Bonarrot. in Vaſa vitrea Coemeter. Tab. XXXVI.

(3) Lib. V. num. 99.

(4) In Obſervat. in Numiſmata max. mod. pag. 234. Vide & in Praef. pag. XXII.

Olympiade LIII. ut tradit Ariſtophanis Scholiaſtes (1), AMORI & Victoriae alas addidit : quod a vetuſtiſſimis Tuſcorum opificibus ſumſiſſe Bonarrotius auguratur (2).

TABVLA XLVI.

VICTORIA
Etruſcorum Dea : praecipua religione a Nolanis & Brixienſibus culta.

QVandoquidem incidit ſermo de VICTORIA, quam veteres Tuſci alatam fecere, eorumque exemplo, ut creditur, Bupali pater, inſignis ſculptor, primus alas ei addidit; haud abs re erit, eius ſimulacrum hoc in loco proponere, cuius ſumma eſt elegantia, atque operis, proculdubio Tuſcanici, exquiſita pulchritudo. Gradienti, pariterque volanti ſimilis effićta eſt : ex eo vero manuum geſtu, ſolutam coronam, quae periit, vel vittam vel phaleram praetuliſſe ſuſpicor, Heroum Regumque ſtrenuiſſimorum, qui in bello hoſtes devicere, inſigne praemium; eſt enim alteri eiuſdem Deae imagini perſimilis, quam pićtam vide in Vaſe Etruſco eximii operis, apud Dempſterum edito, Tabula XLVIII. Graeci vero ac Latini palmam vel lauream coronam praeferentem, vel bellicis ſpoliis & globo inſidentem repraeſentarunt. In marmoreo ſepulcro Cluſino (3) eadem VICTORIA (ni tamen viris doćtis Bellona potius videatur, quod non negaverim) Heroibus vel etiam Diis pugnantibus contra Gigantes, favens & propitia adparet, adſtatque comes iuxta quadriiugum currum, & ad praeliandum eorum animos ſpe gloriae atque ſecurae tranquillitatis accendit. Hanc cum Vacuna, Dea Etruſcorum ac Sabinorum, aliqui confundunt; a qua quidem in multis diverſam eſſe ſupra adnotavimus (4). Duplex eſt diadema, quo eius caput exornatur : alterum quidem ex ſacra taenia; alterum vero e gemmis compoſitum : quae gemmae licet perierint, ſuperſunt tamen cotyliſci, qui eas inſertas retinuere.

Prae omnibus Etruriae populis, Nolani VENEREM religioſiſſime colue-

(1) In Avibus impreſſ. Baſil. 1547. pag. 391.
(2) Ad Monum. add. Dempſt. §. 1. pag. 8.
(3) Apud Dempſter. Tab. LXXI. num. 2.
(4) Ad Tabulam XVIIII. pag. 63. 64.

coluerunt : quumque eſſent Tuſcorum coloni (1), AVGVSTAM vocarunt, ampliore cognomine ; quod loca quaeque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Tuſco, ut reor, vocabulo *auguſta* dicerentur ab auctu, vel ab avium geſtu guſtuve, ſicuti Feſtus & Suetonius docet (2), qui Ennium citat ſcribentem :

Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Inſcriptionem arae, a Nolanis dedicatae VICTORIAE AVGVSTAE, adfert Gruterus (3), quemadmodum etiam Brixienſium, quas vide (4).

TABVLA XLVII.

VESTAE
cultus antiquiſſimus, Etruſcis cognitus adſtruitur.

VIx animum inducam meum, ut credam Etruſcos, mortalium antiquiſſimos, non coluiſſe VESTAM Deam ; licet non invenerim, multa adhibita diligentia, ſcriptorum probatiſſimorum, qui id adfirment, teſtimonia : deque ea ſiluerint clariſſimi Etruſcarum antiquitatum adſertores Dempſterus & Bonarrotius ; ſed ex eo arguere poſſumus, quia Tuſci, ut mox dicemus, Cererem religioſe coluerunt. VESTA eadem ac TERRA credita eſt, Saturni, & Rheae ſive Opis filia : Vrani ſive Caeli uxor : cuius ſoror fuit Ceres & Iuno : ipſa vero natu maxima credita ex veterum Theologorum traditione. Fabius Pictor Iani uxorem facit : diuque ante Romam conditam ſumma veneratione a Tyrrhenis cultam fuiſſe teſtatur Myrſilus Lesbius (ſi qua fides his auctoribus adhibenda eſt, quos tamen citant Gyraldus (5), Roſinus (6) aliique) qui eam quoque, Tyrrhenorum lingua, *Labith*, *Horchiam*, cognominatam ſcribit : quam adpellationem, Herodoto auctore, & apud Scythas habuit. Ceres & ipſa Tellus eſt ; ſed quatenus *fertilis* ac *frugifera* : VESTA vero eadem ac Terra, quae univerſum orbem complectitur, utpote *Ignis potens* : qui te-

(1) Vide Polybium Lib. II. Hiſtor. Velleium Paterculum Lib. I. Cap. VII.
(2) In vita Auguſti num. 7.
(3) Pag. MLXXV. 7.
(4) Apud eumdem Gruterum pag. CIII. I. MXVIII. 4. 5.
(5) Hiſtor. Deor. Syntagm. IV.
(6) Antiquit. Rom. Lib. II. Cap. XII.

tenet medium mundi locum : quo omnia conſtare vetuſtiſſimi Philoſophorum cenſuere (1) . Non congeram permulta inſignium auctorum loca ; unus inſtar omnium ſufficiat Ovidius (2) :

> *VESTA eadem eſt & TERRA : ſubeſt vigil IGNIS utrique :*
> *Significant ſedem TERRA FOCVSQVE ſuam*

Graeci Eσ7ίαν adpellarunt ; Latini VESTAM : quam, quod vi ſua ſtet, STATAM MATREM vocarunt. Idem Ovidius paullo poſt ſubiicit :

> *Stat vi TERRA ſua : vi ſtando VESTA vocatur .*

Ignem vero elementarem, Vulcani nomine, deſignarunt ; unde Ηφαιστος dictus. Tuſci, ut docet Feſtus, *Ignem* adpellarunt *Verſe :* quem, exemplo omnium Orientis nationum, atque etiam Graecorum, eos coluiſſe credibile eſt. Siquidem, ut Voſſius oſtendit (3), Romani VESTAE cultum a Lavinienſibus accepere ; auctis vero pro dignitate caerimoniis, auſpice Numa, ab Etruſcis ; Lavinienſes ab Albanis ; Albani ab Ilienſibus ; Ilienſes, ut veriſimile eſt, ab Aegyptiis ; Aegyptii a Perſis atque ab Aſſyriis (4).

Pro adſerendo VESTAE cultu apud Etruſcos, maius, ut opinor, momentum facit Numa Rex, Curibus Sabinorum oppido ad Romanum imperium accitus, atque ab Etruſco augure conſecratus : qui Etruſcorum rituum peritiſſimus, Pythagorae, patre Ertuſco nati, hauſta ſapientia atque eruditione, ut docet Plutarchus in eius vita, ad Tuſcorum exemplum ſacra religionis inſtituit : neque Pontifices ſolum, Augures, Feciales, Salios, Camillos Romanis dedit, verum etiam amplificato Deae VESTAE cultu, ſacroque miniſterio, VESTALES Virgines adlegit, addixitque eius templo, ut vigili cuſtodia aeternum ignem alerent ac ſervarent. Ad haec, curulem ſellam, lictores, faſces aliaque inſignia decora atque ornamenta, quae Tuſcorum erant propria (5), honoris gratia VESTALIBVS adtribuit. Pythagorae vero, ſtudio atque amore, adeo addictus fertur, ut Mamercum vocari voluerit filium ſuum ex nomine filii eiuſdem Pythagorae, ut idem Plutarchus narrat ; quae vox nonnullis Etruſca videtur. At Pythagorei, in medio terrae, ignis ſedem locarunt, eamque Eσ7ίαν VESTAM, & Μόναδα *Vnitatem* nominarunt. Nullam vero VESTAE Deae effigiem in eo templo

 col-

(1) Antiquit. Rom. Lib. II. Cap. XII.
(2) Vide Phurnutum de Nat. Deor. 28.
(3) De orig. & progr. Idololatr. Lib. II. Cap. LXV.
(4) Vide etiam Iul. Caeſaris Bulengeri Iuliodunenſis Eclogas ad Arnobium Lib. I. Cap. V. de cultu Ignis.
(5) Dempſt. de Etr. Reg. Lib. III. Cap. XXIV.

collocandam eſſe cenſuit Numa ; ſed ignem tantum & aram, in qua ponebatur: aeternos vero VESTAE focos, fictilibus vaſis ſervatos fuiſſe, auctor eſt Valerius Maximus (1): qui mos forſitan ab Etruſcis manavit. Verum extra templum VESTAE, a Numa conditum, ſimulacra eiuſdem Deae fuiſſe docet Ovidius (2):

Silvia fit mater: VESTAE ſimulacra, feruntur,
Virgineas oculis ſuppoſuiſſe manus.

Non longe a ſigno Vertumni Etruſcorum Dei, ut vidimus, in vico Iugario in Regione VIII. poſitum memorat P. Victor ſignum Matris STATAE, quae non alia eſt quam VESTA.

Quando igitur viri docti VESTAE cultum apud Tuſcos admittant ſtatuantque, videant, quaeſo, an ſimulacrum maximae antiquitatis aheneum, quod nunc primum profero e Mediceo Gazophylacio, duplici ſchemate delineatum in Tabula XLVII. eamdem VESTAM referre poſſit. Opificium in multis non recedit ab antiquiſſima Aegyptiorum ſimulacrorum ſymmetria. Tuſcae vero artis indolem manifeſte ſervat in duplici amiculo, pro ſimbria, undique radiis ad oram, Tuſcorum more, ut vidimus, exornato: ipſa Dea tunicam ſiniſtra adtollit, ut in aliis obſervavimus: cui cultui accedunt calcei repandi, ut eos vocat Cicero, quos Tuſci, honoris & dignitatis cauſa, Diis dedere. Eodem modo cum amiculo & podere, duplici radiorum ſerie diſtincto, adfertur adſimile ſimulacrum VESTAE, ut mea fert ſententia, non vero VESTALIS, a Fortunio Liceto Philoſopho, in opere de Lucernis antiquorum reconditis (3), ex Muſeo Ioannis Galuani I. C. Patavini: quod ad Tuſcos pertinere videtur. Multa de Veſtalium habitu notat Licetus, quae etiam in rem meam faciunt; ſed ne taedio lectorem adficiam, ea praetereo.

Totum VESTAE caput, ut videmus, in noſtro ſimulacro, obductum eſt amiculo vel tegillo: quo forſitan ignis in ſinu terrae poſitus clauſuſque deſignatur: qui etiam in ſecretiore templi parte atque in ipſis penetralibus occultari ſolebat, ut notat Virgilius de Ilienſium VESTA & IGNE (4):

Sic ait; & manibus vittas, VESTAMQVE potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus IGNEM.

Veſtales Virgines, ut auguror, ex diſciplina veterum Etruſcorum, quem-

(1) Lib. IV. Cap. IV.
(2) Faſtorum Lib. III. verſ. 44.
(3) Lib. VI. Cap. LXXXIII. pag. 1011.
(4) Aeneid. Lib. II. verſ. 296.

quemadmodum ex hoc ſigno non obſcure intelligi poteſt, caput ſuffibulo obductum habebant: eratque, auctore Feſto, veſtimentum album praetextum quadrangulum oblongum, quod in capite, dum ſacrificarent, habebant: idque fibula conſtringebatur. Eſt etiam inter alia capitis tegumenta reca, ricinum, & maſortium ſive maſorium, *μαφόριον*: quod, ut Gerardus Ioannes Voſſius obſervat (1), corruptum eſt ex *ὠμοφόριον*; quaſi dicas *ſuperhumerale*, vel *humerorum* geſtamen, ab *ὦμος*, *humerus*, & *φέρειν*, *ferre*. Huic Tuſco ſimulacro adſimile eſt capitis atque humerorum tegumentum, quod adhuc retinent noſtrae Moniales Virgines Deo ſacrae; nec niſi totum ſimul e capite tolli poteſt: Monachi vero cucullum adhibent; qui admoveri & removeri a capite poteſt, atque in humeros reiici.

Illud praeterea adnotandum ſupereſt, VESTAM in hoc ſimulacro, virginis ſeu mulieris aetate provectae effigiem manifeſte praeferre. Fuit VESTA praecipuum e tutelaribus Vrbis Numen, ac Domus inprimis Auguſtae, ut habet Virgilius (2):

Dii patrii indigetes, & Romule, VESTAQVE MATER,
Quae TVSCVM Tiberim, & Romana palatia ſervas.

TABVLA XLVIII. XLVIIII. L.

CERES

tota Etruria, praecipuo honore templis ariſque dedicatis, culta.

CONſtat, ex antiquiſſimis Graecorum litteris atque monumentis, ut auctor eſt Cicero (3), inſulam Siciliam totam eſſe CERERI & LIBERO conſecratam. Quum autem Tyrrheni antiquitus dominati ſint non ſolum in mediis Italiae regionibus, verum etiam in extremis & Siciliae proximis (4), uti

(1) De Vitiis Sermonis Lib. III.
(2) Georg. Lib. I. verſ. 498.
(3) Actione II. in Verrem. Vide etiam Ben. Averanium Diſſert. XXXIII. in Thucydidem num. 2.
(4) Vide Strabonem Geogr. Lib. VI.

uti etiam obſervat Bonarrotius (1): conſequens eſt, eos antiquiſſima religione coluiſſe CEREREM, ac proinde etiam PROSERPINAM eius filiam, ex Ennenſium nemore raptam a Plutone: quem locum, utpote in media Sicilia ſitum, umbilicum Siciliae nominarunt. Multis vero de cauſis CEREREM Deam credidere: quia prima fruges invenit, leges dedit, arare, frumenta molere, panemque conficere monſtravit: quae omnia Ovidius ita complexus eſt (2):

Prima CERES *unco glebam dimovit aratro:*
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges: CERERIS *ſunt omnia munus.*

Romani, ut credibile eſt, a Tuſcis docti, CEREREM nominarunt: vel quia TERRA ita diceretur *a gerendis frugibus:* apud Heſychium Γῆ, Γῆρυς: vel, ut Servio viſum (3), a *creando*; quia *frugum creatrix*. Nam *cereo*, olim idem ac *creo:* unde in carmine Saliari apud Feſtum (4) (cuius originem ad Tuſcos referunt viri docti) eſt *cerus manus:* quod idem exponit *creator bonus* (5). Hinc DEA BONA, quae eadem eſt ac CERES, adpellata. Sacra quoque docuit myſteria; quare eam Δρησμοσύνην ἱερῶν vocat Homerus apud Pauſaniam (6), eos recenſens, qui initiationis myſteria ab ea docti accepere.

Sacrificantis habitu, velatoque capite, CEREREM Tuſci expreſſerunt: dextera pateram, ſiniſtra vaſculum donis plenum gerentem: uti liquet ex vetuſtiſſimo eius ſimulacro aheneo, quod inter rariſſima Medicei Theſauri Cimelia obſervavi, proferoque in Tabula XLVIII. Deeſt patera in dextra; forſitan quia vel ex auro vel e pretioſo lapide confecta periit: vel ab avaro homine divulſa fuit. Quod etiam ſilentio eſt minime praetereundum, capillos habet ſolutos. In ſingulis partibus huius ſimulacri, eniteſcit Tuſcum opificium, cum elegantia & dignitate coniunctum.

In ſequenti Tabula XLVIIII. num. 1. eadem Dea pateram manu dextera, ſiniſtra vero, ut auguror, vel molam vel placentam praefert; nam duabus lineis decuſſatis, in quatuor aequas partes ſuperne diſpertita, in hunc modum ⊕ adparet: qua quidem ſpecie placentae pictae ſunt frequentiſſime in vaſculis Etruſcorum, de quibus alibi fuſius dicam. CERES in hoc ſigillo aereo ex-

(1) Ad Monum. addita Dempſtero §. x. pag. 18.
(2) Metamorph. Lib v.
(3) Georgic. Lib. 1. verſ. 7.
(4) In voce *Matrem Matutam*.
(5) Vide Voſſium de orig. & progr. Idol. Lib. II. Cap. LIX.
(6) In Corinthiac. Lib. II. Cap. XIV.

expreſſa (quod apud me exſtat : repertumque eſt in agro Piſtorienſi , uti ruſticus quidam adfirmabat , qui mihi illud vendidit) retro religatos habet capillos , Tuſco more : caputque eius ornatur altiori diademate : quod , ſi tres excipias volutas , ornatus gratia additas , fere Δ *deltoton* imitatur . Clarius id adparet in imagine , ut reor , Iunonis , quae expreſſa eſt in aerea patera , litteris Etruſcis inſcripta , quam vide apud Dempſterum Tabula XXXVII. (1) cuius caput triangulari diademate diſtinguitur : neque eo contentus artifex Tuſcus ingenioſus & ſagax , aliud diadema compluribus radiis inſigne addidit : quorum monumentorum fide evincitur , Tuſcos non ſingulari corona , ſed pluribus diverſis ornaſſe Deorum capita , uti etiam paullo ante in ſimulacro Victoriae obſervavimus : ignotumque antea diadema , *deltoton* ſpecie , inveniſſe. Huic ſimulacro perſimile illud eſt , Etruſcis litteris inſcriptum , quod inter monumenta Dempſteriano Operi addita , in lucem protulit Cl. Bonarrotius Tabula XCIII. ad finem Tom. II. quod etiam , ut opinor , CEREREM repraeſentat. Romani hoc ipſo diademate nobilitarunt caput tauri , ut ita dicam , Dialis , quum Iovi immolandum ducerent ; ut videre eſt in antiquis numiſmatum & marmorum ſculpturis . Hyginus (2) memoriae mandat , Mercurium ſuper caput Arietis ideo *deltoton* ſtatuiſſe , *ut obſcuritas Arietis huius ſplendore , quo loco eſſet , ſignificaretur ; & Iovis nomine Διὸς primam litteram deformaret* . Tuſci vero hoc genus diadematis Cereri & Iunoni ſervatrici ac ſalutari dedere , tamquam ſymbolum , ni fallor , perfectionis ; quod triangulum tres aequales lineas complectatur : quod etiam Chriſtiani pictores Deo noſtro vivo & vero ſubſecutis temporibus tribuerunt (3) .

Eamdem CEREREM refert , ut arbitror , ſignum aheneum elegantiſſimum , quod e Muſeo Gaddio in medium profero in eadem Tabula XLVIIII. num. II. Conſideranti mihi innumera , ut ita dicam , quae exſtant in ſingulis per Etruriam Muſeis , veterum Etruſcorum artificum opera ; plures aetates & gradus opificii in illis connotare opus fuit : plurima enim praeferunt quamdam rudis artis infantiam & pueritiam , pauca virilitatem , pauciſſima exquiſitam numeriſque omnibus abſolutam elegantiam ac perfectionem . Poſtremam hanc aetatem facile tribuam huic ſigno pulcherrimo ac rariſſimo , quod florentibus omnibus Etruſcorum artibus , quae ad Graphicen ſpectant , vel etiam vigente maiori luxu cultuque veſtium apud Etruſcam gentem , confectum videtur . Quid enim ,

(1) Tom. I. pag. 278.

(2) In Poetic. Anſtronom. Vide Gisbertum Cuperum in Apotheoſ. Homeri pag. 74.

(3) Bonarrot. in Vaſa vit. Coem. pag. 60. 61.

enim, ſi operoſus veſtium cultus, partiumque omnium conſenſus & ſymmetria diligenter obſervetur, eo elegantius atque abſolutius cerni poteſt? Quanto artificio diſpoſitum, quantoque ſtudio concinnatum eſt pallium, quod tam eleganter e velato capite, coronaque foliacea redimito, refluit, innexumque & circumvolutum ante pectus pendet! Notandi ſunt calcei clauſi, quorum lora ſuperne in ſpeciem crucis innexa ſunt. Dextera pateram (quod ſine obſervatione minime praetereundum eſt) verſus terram invergit: laeva copiae cornu tenet, & quidem ea ſpecie, quam nuſquam videas in ſculpturis veterum Graecorum & Latinorum. Nam ei impoſitus eſt globus, univerſum orbem, vel utrumque hemiſphaerium deſignans (1); quem undique maiora arborum folia vallant: deinde ſub coronide patuli oris, triplici ordine, tamquam corona, innexa undique pendent paene innumera, exigua quidem, copiae cornua, quae inania & vacua ſunt: Terramque, fecundam rerum omnium parentem, inverſo ore reſpiciunt, quam Cereris virtute frugiferam eſſe veteres crediderunt. Cur vèro eadem copiae cornua ita facta fuerint, fortaſſe indicat Varro (2) apud D. Auguſtinum (3), ita inquiens: *Vna eadem* TERRA *habet geminam vim: & maſculinam, quod ſemina producat: & femininam, quod recipiat, atque nutriat; unde a vi feminina dicta eſt* TELLVS: *a vi maſculina* TELLVMO. In hunc modum in Dianae Epheſiae ſimulacro (quae eadem eſt atque Iſis apud Aegyptios, & CERES apud Tuſcos & Romanos) continuatis uberibus corpus Deae omne denſatur; quia, ut obſervat Macrobius (4), terrae, vel rerum naturae altu nutritur univerſitas. Hinc duplex CERES credita, *Caeleſtis* & *Terreſtris*: Caeleſtis eſt Luna: *Terreſtris* vero, Χθόνια dicta a Graecis, eſt Tellus frugifera: hoc eſt, Terra pariter, ac fruges; unde & μετωνυμικῶς a Poëtis pro *frugibus* accipitur (5).

Alio modo ornatur copiae cornu, quod CERES tenet, habitu ſedentis, uti etiam a Pauſania deſcribitur (6), expreſſa in ſigno ex argilla perelegantis operis, quod exſtat Peruſiae in eximio Muſeo Nobilium Anſidaeorum, exhibeoque in ſequenti Tabula L. Siquidem pomis refertum eſt, pendentque utrimque folia, atque in faſtigio non globus, ſed pinea nux impoſita conſpicitur: quae, ut reor, aurei aevi, quod CERES induxit, ſublatis hominum feris moribus, datiſque optimis legibus in Attica, Italia, & Sicilia, ut obſervat Plinius (7), index eſſe poteſt. Quo vero auguſtius ve-

(1) V. Macrob. Lib. I. Saturn. Cap. XXVIII.
(2) In XVI. Rerum divinarum.
(3) In VII. de Civit. Dei Cap. XXIII.
(4) Saturnal. Lib. I. Cap. XX.
(5) Vide Gerardum Ioannem Voſſium de orig. & progr. Idololatr. Lib. II. Cap. LIX.
(6) In Corinthiac. Lib. II. Cap. XXXVII.
(7) Lib. VI. Cap. LVI.

venerabiliuſque idem cornu, frugibus dives, cultorum oculis adpareret, velum impoſuit Tuſcus artifex opido ſagax, quod etiam bulla in medio, ornatus gratia, decoravit: quod in ſimulacris aliarum nationum haud facile videas. Quemadmodum enim CERES ſedens velatum habet caput, inſignitumque mitella ſive anademate altiori, quod ſuperne ambit in extima ora circulus, radiis undique diſtinctus; ita quoque cornu copiae, quaſi quid auguſtum ac divinum praeferat, velandum eſſe Tuſcus artifex cenſuit.

CERERIS ſacra & antiquiſſimum cultum ab Etruſcis in Italiam invectum, omnium religioſiſſime amplexati ſunt Piſani & Volaterrani, qui in eius honorem templa conſecrarunt: quod oſtendi in Parte II. Inſcriptionum antiquarum Etruriae Vrbium (1). His adde, ut diximus, Piſtorienſes, Campanos (2), Brixienſes (3), Coranos (4), Velitrenſes (5), Nolanos (6), Tuſculanos (7): quorum arae titulis inſcriptae, ab eximiis antiquariis adferuntur, apud quos, ſi otium eſt, vide.

TABVLA LI. LII. LIII. LIIII.

BACCHVS

Etruſcorum Deus, tota Etruria, Bacchanalibus, Orgiis, ſacriſque myſteriis, maximo honore cultus.

CEREREM ſequitur BACCHVS, ei ſemper coniunctiſſimus: quem Etruſci adeo venerati ſunt, ut in numerum Deorum Conſentium (quod nec Graeci nec Latini fecere) retulerint: quod perſpicue oſtendit inſignis patera, Etruſcis litteris inſcripta, adlataque in Tab. III. Dempſteriani Operis (8). Siquidem idem BACCHVS, hederacea corona redimitus, ornatuſque torque & armilla in ſiniſtro brachio, ſceptrum ſive haſtam dexte-

R ra

(1) Pag. 1. 2. & 3. item pag. 151. 152.
(2) Vide Inſcript. Gudianas pag. XX. 1.
(3) Reineſium Cl. 1. 35.
(4) Inter Gudianas pag. XV. 4.
(5) Ibidem vide.
(6) Ibidem pag. XVI. 6.
(7) Ibidem pag. XVI. 2. 4. pag. XVII. 1.
(8) Vide Bonarrot. Explic. §. IX.

ra manu gerens, ſculptus eſt, tamquam ſocius, cum Apolline & Mercurio: tenetque ſiniſtra manu fulmen peculiaris & inſolitae formae: cuius eximii monumenti auctoritate coniicimus, Etruſcos cenſuiſſe eum unum eſſe e novem Deis, qui, ut docet Plinius ex libris auguralibus veterum Etruſcorum (1), emittere fulmina credebantur: hi vero Dii maximi & Conſentes fuere. De BACCHI cultu apud Etruſcos, poſt diligentiſſimum virum Philippum Bonarrotium, quamvis pauca mihi dicenda ſuperſint; ſcribendi tamen occaſionem praebent perinſignia quaedam BACCHI ſimulacra, ab Etruſcis ſculptoribus confecta: quae, ut arbitror, vel ipſe non vidit, vel multis curis diſtractus non obſervavit.

Primo in loco, quod habes in Tabula LI. aheneum ac longe pulcherrimum BACCHI ſimulacrum obſervandum eſt, quod in lucem prodit e Muſeo Gaddio, magnitudine ſua archetypo probe reſpondens. Toto corpore nudus repraeſentatur, virili capitis cultu; quamvis Etruſci muliebri ornatu, capilliſque mitra revinctis eum interdum expreſſerint, ut obſervat Bonarrotius (2). In hoc vero ſimulacro capilli circa frontem duplici ſerie calamiſtrati ſunt, atque ita diſpoſiti, ut & ipſi coronam quamdam efforment; addita ſupra eos vitta latiore auguſtioreque, undique radiis diſtincta, quae retro pendentibus lemniſcis religatur. Reliqui crines intonſi ſunt, caduntque inter utrumque humerum in tricas ſoluti. Laeva haſtam, vel ſceptrum aut thyrſum tenuiſſe indicat digitorum conformatio: dextera vero perparvam cervam praefert atque oſtentat. In Vaſe Etruſci operis picto, iam edito apud Dempſterum Tab. XI. quodque exſtat in Mediceo Theſauro, ad pedes BACCHI ſedentis iacet cervus; habet enim cornua, quibus caret cerva, quam manu geſtat BACCHVS in hoc ſimulacro. Poëtae Graeci & Latini aliique cervae tribuunt cornua; ſed ſolos mares cornibus inſtructos eſſe docent Ariſtoteles (3) & Heſychius: quorum teſtimonia adfert doctiſſimus Samuel Bochartus, quem vide (4). Quum igitur in eo Vaſe Etruſco BACCHVS pictus ſit cum Baccha ſaltatrice & Fauno: eique tamquam animal ſacrum adtributus ſit cervus; ea de cauſa cenſui, hoc ſimulacrum, egregio opere abſolutum a Tuſco artifice, ipſum BACCHVM referre. Convenit cerva & dama BACCHO: quam veteres decorum eſſe animal & amabile iudicarunt: eamque non ſolum alere ſummo ſtudio, ſed & lavare, & pectere, ſertiſque ornare, aut torquibus & mo-

(1) Lib. II. Hiſt. Nat. Cap. LII.
(2) Ad Monum. add. Dempſter. pag. 16. 59.
(3) In Mirabilibus, & Hiſtor. IX. Cap. V. & de partibus Animal. Lib. III. Cap. II.
(4) In Hierozoic. Lib. III. Cap. XVII. pag. 881.

& monilibus conſuevere, ut erudite obſervat idem Bochartus (1). Praeterea quod animal ſit velociſſimum, longaevum, firmiſſimoque robore pedum & inceſſus inſtructum; ideo Etruſci, naturae virtutumque omnium animalium conſultiſſimi, melius quam tigrem aut pantheram, BACCHO convenire iudicarunt. Probe enim coniicere videor ex hoc ſymbolo, atque e corona radiata, quam Tuſci BACCHO, ut vidimus, tribuerunt, crediſſe, eum unum eumdemque eſſe cum SOLE ſive APOLLINE: qui in nummis Coptitarum & Mileſiorum apud eximium Petrum Seguinum (2), ſiniſtra vel etiam dextra manu cervum paefert, qui Solis curſum aemulatur: uti etiam e fabula Arges in cervam converſae a Sole apud Hyginum, colligimus (3).

Hermaea ſigna in uſu fuiſſe apud Tuſcos, paullo ſuperius adnotavimus: ea vero longe diverſa a Graecorum Hermis fuere; nam Etruſci ſculptores ingenioſiſſimi, multo ornatiora haec fecere, vallaruntque, ut vidimus, ne trunca & deformia adparerent, pulcherrimis arborum foliis. En Tab. LII. BACCHI ſignum, Hermae ſimillimum, a Tuſco artifice omni elegantiae cultu ac ſtudio fabricatum: quod propter ipſam ſpeciei raritatem peregrinitatemque, plurimi faciendum eſſe cenſeo. BACCHVS in hoc ſimulacro, ambiguo ſexu repraeſentatur; ut vix dignoſcas, utrum mas ſit an femina. Tumidior mamma feminam indicat: vultus vero ridentis ſpecie, egregia arte expreſſus, (ob quam oris hilaritatem Μαινομένον (4), vel quod ſtulto ſimilis rideat, in vindemia muſto & ficubus illinitus & minio, Μορύχον (5) eum dixere) virum referre videtur: ideoque eius caput non muliebri mitra, ſed ſtroppo, ſeu vitta lanea contorta ornatum cernitur: capilli etiam breves ſunt, quales viris conveniunt. Cervinae pellis exuvium pendens e ſiniſtro humero, non ſolum proprium BACCHI inſigne eſt, verum etiam maximum ornamentum, quod alteri Deorum adtribui non poteſt.

Neque vero haec abſurda videbuntur viris, antiquitatis cognitione opido peritis, qui ſciunt non Mercurii tantum, ſed etiam Apollinis, Herculis, Priapi, atque eiuſdem BACCHI ſimulacra eodem, quo quadrati Hermae, opificio quandoque elaborata, eaque a Pauſania eſſe deſcripta (6). Hi Dii viarum praeſides habebantur, atque ante fores aedium & in veſtibulis templorum ſtatuebantur, ut iter ab illis auſpicato iniretur; traditum enim erat, eos

(1) In Hieroz. Lib. II. Cap. XVIII. pag. 898.
(2) Ad ſelecta Numiſmata Imperatorum num. XII. pag. 131. 132. 133.
(3) Vide Fab. CCV.
(3) Vide Athenaeum Lib. XIV. Cap. I. pag. 613. & Caſaubon. Animad. pag. 887.
(5) Apud Suidam in voce Μόρυχος.
(6) In Archadicis Lib. VIII. Cap. XXXII.

univerſum orbem peragraſſe . Id vero multo magis BACCHO convenire arbitrabantur ; quem commenti ſunt (propterea quod Solis (1) imago ſit) totum terrarum orbem perluſtraſſe (2) . Servatur hoc ſimulacrum inter inſigniora Muſei Gaddii cimelia .

In eadem Tabula LII. num. I. & II. duplici ſchemate delineatam profero imaginem BACCHI , ex aereo ſigillo depromtam , quod apud me exſtat ex dono amici mei Liborii Caglieri Florentini , Aurificis Gemmarii pereximii . Effictus eſt BACCHVS muliebri facie , cuius caput mitra radiis inſignis exornat . Bulla ante pectus dependet . Toto corpore nudus eſt , niſi quod amiculum retro recidit , operitque poſteriores corporis partes : quo vini vis ac natura declaratur , quae ſecreta pandit , & mores detegit , ut obſervat Albricus Philoſophus (3) . Perbelle in hanc rem Horatius (4) :

Incipiam , patiarque vel inconſultus haberi :
Quid non ebrietas deſignat ? operta recludit :
Spes iubet eſſe ratas . ——————

Has propter cauſas , aliaſque plures , Etruſci , Aegyptiorum exemplo , BACCHO cornua tribuere ; ut cernimus in nummis Megarenſium in Sicilia : at in nummis Oſcorum , civitatumque Etruſcae originis , ut Campanorum , Atellanorum , Nolanorum , Puteolanorum , Calenorum , Sueſſanorum & Calatinorum , *Tauriformis* ſculptus eſt BACCHVS praeter faciem (5). In Tabula LIII. duplici proſpectu delineatum exhibeo aereum BACCHI ſimulacrum , humana ſpecie , grandibus oculis , prolixa barba & capillis , atque taurinis cornibus inſigne . Id ipſum adſervatur in Muſeo Coratio Cortonae , traduntque in agro Cortonenſi erutum nuper fuiſſe . Magnificum BACCHI templum apud Cortonenſes fuiſſe , coniicit Clar. Vir Nicolaus Marcellus Venuti , Eques D. Stephani & Patricius Cortonenſis (6) , ex ruderibus marmoreiſque columnis magni pretii eximiaeque pulchritudinis , quae viſuntur in loco , qui etiam nunc dicitur *Farneta:* verum , quamquam non negem , templum BACCHO ſacrum ibidem eſſe potuiſſe ; veroſimilius tamen crederem , id nomen , aliqua in parte corruptum , indicare fa-

(1) Vide Macrobium Saturnaliorum Lib. I. Cap. XVIII.
(2) Ex Diodoro Siculo Lib. III. De huiuſmodi Bacchi ſimulacris , vide Hieron. Aleandrum iuniorem in Explicat. Tab. Heliacae pag. 47. 50. 51.
(3) Inter Mythologos editus Cap. XXI.
(4) Lib. I. Epiſt. V. ad Torquatum .
(5) V. M. Aegyptium in S. C. de Bacch. 32.
(6) Vide eius Epiſtolam , a me relatam in Parte II. Inſcriptionum ant. Etrur. Vrbium pag. 370.

ſanum ARNAE, Deae veterum Etruſcorum, ut vidimus, quod eo in loco Cortonenſes condidere. Cornua BACCHO veteres dederunt, vel ut indicarent ſummam vini potentiam, vel quod audaciores fiant ebrii; vel etiam ut parem cum Sole igneam eius naturam declararent (1). Alia etiam adduci poteſt ratio: ſiquidem plures BACCHI memorantur, de quibus eruditiſſime diſſerit Vir Celeberrimus Matthaeus Aegyptius (2): tradunt tamen BACCHVM ex Iove & Proſerpina ſive Cerere natum, primum ad aratra boves iunxiſſe, quum manibus hominum prius terra exerceretur, & alia ad agriculturam pertinentia commentum eſſe: quibus beneficiis mortales devincti, eum conſecrarunt; atque eius imaginibus cornua addiderunt, ut aratri inventionem indicarent. Haec inventa BACCHI, qui eſt ipſe Oſiris Aegyptiorum, ſummis laudibus celebrat Tibullus (3), quem ſi legere volueris, operae pretium facies.

Toto igitur orbe perluſtrato, locupletatoque humano genere vini beneficio, BACCHVM in Deorum numerum relatum fuiſſe fabulantur. BACCHI apotheoſin ſive conſecrationem repraeſentat aereum ſymplegma elegantiſſimum, omniumque rariſſimum, quod exſtat in regio Mediceo Cimeliarchio, & quidem in ſecretiore conclavi. Illud haud praetermittendum eſſe cenſui, propter eximiam opificii elegantiam & dignitatem, quam Etruſcam manum redolere ex ipſo charactere non obſcuris indiciis comperi. Habes igitur illud diligenter expreſſum in Tabula LIIII. Stat BACCHVS toto corpore nudus, hinc & hinc pendentibus cervinae pellis exuviis: cuius dextro humero inſidens Deorum GENIVS, ni fallor, volanti ſimilis expanſis alis, ſiniſtra manu caput eiuſdem BACCHI ita vertit, ut ſurſum reſpiciat, apertoque ore fluentem accipiat Deorum ambroſiam, quam dextra manu e vaſculo ſe infuſurum oſtendit. Caput eiuſdem GENII ornatur cornu, e quo, ut coniicio, ambroſiam exhauſit, quod in anſerinum caput deſinit. Tuſci artifices in excogitandis omnium inſtrumentorum ornamentis ſagaciſſimi, pocula e cornibus facta in capita vel taurorum, vel cervorum, vel equorum aliorumve animalium deſinere voluere: quod ex aliis veterum Etruſcorum ſculpturis multo clarius infra oſtendam. Antiquius BACCHI ſimulacrum perparvum ex aere, quod exhibeo in ſequenti Tabula LV. num. I. & II. cornu purum pro poculo geſtat. Vetuſtiſſimi mortalium ad bibendum uſi ſunt bubulis cornibus, inque his vinum in conviviis miſcebant: poſtmodum cre-

(1) Ex Macrobio Saturnaliorum Lib. I. Cap. XVIII. Auctor argum. in orationem Demoſthenis contra Midiam.

(2) In Explicat. S. C. de Bacchanalibus pag. 25. 26.

(3) Lib. I. Eleg. VIII. verſ. 27.

creſcente luxu, retenta quidem poculorum forma e cornibus; ea vero ex argento & auro, atque ex ebore facta memorantur (1).

Neque abſurdum eſt credere, Etruſcos hoc ſimulacro oſtendiſſe LIBERI PATRIS apotheoſin; hanc enim conſecrationem in Deorum numerum, iiſdem cognitam fuiſſe, aperte declarat inſignis aerea patera Muſei Comitum e Gheardeſca, iam edita penes Dempſterum Tabula II. in qua Hercules, ut ſupra obſervavimus, in caelum ducitur, elevaturque a ſuo Genio, qui eius pedibus ſubiectus eſt: & hoc prorſus modo expanſis ad volandum alis repraeſentatur. Herculem iam divum, in caelum adſcendentem, comitatur Regina Iuno, quae ſuo in eum odio divinos honores atque immortalitatem peperit: deinde eum deducit individua laborum comes & adiutrix Minerva, cui idem Hercules multo cum ingenio innixus ſculptus eſt: adſtatque etiam, ut diximus, aerumnarum exoptatiſſimum praemium, Aeternitas, muliebri ſpecie ornatiſſima, atque cum alis efficta, quae eum inter Deos caeleſtes, &, ut dicunt, Semones ſtatuat omni aevo victurum. In throno ſeu ſella Amyclaei, eximium Bathyclis Magneſii opus, quam deſcribit Pauſanias (2), tum Herculis, tum Bacchi apotheoſis coniunctim ſculpta viſebatur: illum Minerva auxiliatrix, hunc adhuc puerum Mercurius in caelum deportabat.

Quando haec viris doctis minus adrideat de BACCHI apotheoſi coniectura; quia Genius eidem inſidens opertum habet caput poculo, quod in anſerinum caput deſinit: anſer vero, aquaticum animal, natura eſt calidiſſimum, aquiſque & cibariis humidis valde delectatur (3); ſuſpicari poſſumus, eumdem Genium ita expreſſum eſſe ab Etruſcis, ut vim humidi elementi ſignificet. Quod vero Tuſci Genios coluerint, rebuſque ſublunaribus & Diis eos addixerint, ex mox dicendis, erit, ut ſpero, apertiſſimum. Perbelle Genius humidi elementi inſidet humeris BACCHI, eumque aquis perfundit; quia eumdem Deum generationi ac proinde humidae naturae praeeſſe veteres crediderunt, quae eius fons eſt & cauſa, ut obſervat vir diſertiſſimus Benedictus Avetanius (4). Ea fuit Aegyptiorum opinio (5), quam Etruſci proculdubio ſecuti ſunt (ab his enim multa, ut vidimus, didicere) ex aqua cuncta Deum effeciſſe; quamobrem Homerus (6) Aegyptiorum auctoritatem ſecutus, Oceanum patrem Deorum, Thetin re-

(1) Ex Athenaeo Dipnoſ. Lib. XI. Plinio Lib. XI. Cap. XXXVII.

(2) In Laconicis Lib. III. Cap. XVIII.

(3) Vide Aelianum de Animal. Lib. V. Cap. XXIX.

(4) In Antholog. Diſſert. XLVIII. num. 5. 6.

(5) Plutarchus de Iſide & Oſiride.

(6) Iliad. Lib. Z. verſ. 132. & Lib. Ξ. verſ. 201. & verſ. 302. Vide etiam Heraclidem Ponticum Allegor. Homer. pag. 455.

rerum primordium adpellavit. Haec ex eodem Benedicto Averanio, quae in hanc rem meam faciunt, adferre libet. *Oſirin autem, quem idem, atque* BACCHVM *numen oſtendimus, humidam naturam, hoc eſt materiam, ex qua omnia procreantur, exiſtimant. Quod ex multis rebus percipi facile poteſt; nam & Oſirin* (1) *Typhoni perhibent adverſarium eſſe, cum eoque ſaepenumero conflixiſſe: quod nihil aliud ſignificat, quam* (2) *humidam naturam omnium rerum procreatricem pugnare cum ignea vi, ſquallentique, quae infeſtiſſima eſt fecunditati: quae vis* Typhon *appellatur; nam* τύφειν *graece dicitur* comburere; *propterea color Oſiridis niger fingitur propter abundantiam humoris: qua de cauſa, & taurus ipſi nigerrimus immolabatur, & Oſiridis cultoribus fontis os obſtruere, & obturare non licebat; quaſi neſas eſſet eum, qui ſe humidae naturae Deum praeſidem colere profiteretur, prorumpentem humorem impedire. Eodem modo, quum Aqua elementorum fecundiſſima habeatur, ut oſtenderent Oſiridis naturam ab Aquae non diſcrepare natura, Oſiridem fecunditatis auctorem agnoſcebant: ac propterea in pompa, quae in eius honorem ducebatur, ficulneum ſolium in penis figuram deformatum praeferebatur. Quod ſi Oſiris, &* BACCHVS *idem Numen, Oſirin autem humidam naturam Aegyptii arbitrabantur; conſequens eſt & Bacchum cenſuiſſe. Sed quid Aegyptios loquor? nonne Graeci eadem confirmant? nonne Ariſto Chius,* BACCHVM *Naiadis filium fuiſſe tradit? Naiades autem Deae fontium habebantur. Nonne* BACCHVM *eodem modo Graeci colebant, & ut indicarent eſſe humidae naturae, omniſque fecunditatis auctorem, Phallos in Dionyſiis* (3) *circumferebant? ſunt autem Phalli ficulnea veretra e collo propendentia, ut auctor eſt Herodotus.* Id etiam eo magis eſt veriſimilius; quia, ut fabulatur Homerus (4), BACCHVS in fugam verſus a Licurgo, metu perculſus, ſibi conſulens, ſe ſe in aquis abſcondit: feruntque a Thetide receptum fuiſſe. Hanc igitur BACCHI ſub aquis latitationem, ſimulacrum hoc perinſigne deſignare poteſt: quam etiam eximius vir Bonarrotius (5) ſubolfecit: Genium vero illum Zephyrum, placidamque maris auram referre putavit: mihi vero potius videtur expreſſus, ut dixi, Genius humidi elementi, qui BACCHVM aquis temperat ac perfundit: omniaque genita, ex aqua conſtare, non obſcure declarat.

Tota Etruria BACCHVM religioſiſſime coluit: nec aliunde BACCHANALIA ad Romanos pervenerunt, quam ab Etruſcis (6): quod luculenter ex antiquis monumentis, veterumque ſcriptorum teſtimoniis oſtendunt viri ampliſſimi Philippus Bonarrotius (7), & Mat-

(1) Diod. Sicul. Biblioth. Lib. 1.
(2) Plutarch. de Iſide, & Oſiride.
(3) Diod. Sicul. Lib. 1.
(4) Iliad. Lib. Z. verſ. 132.
(5) In Obſervat. ad Diptychum Romuli pag. 238. 239.
(6) Ex Livio Decad. IV. Lib. IX.
(7) Ad Monum. add. Dempſtero §. IX.

& Matthaeus Aegyptius (1). Magnifica templa LIBERO PATRI dedicata ubique in Etruria memorantur : praeſertim vero apud Neapolitanos, qui DIONYSIVM, ut auctor eſt Macrobius (2), HEBONA cognominarunt : apud Puteolanos (3), Campanos (4), Bononienſes (5), Peruſinos, Arretinos (6), Volaterranos (7), Faeſulanos (8), Cluſinos (9), Cortonenſes, ut vidimus ; & apud antiquos huius loci incolas, ubi Florentia condita eſt : cuius cultus indicio ſunt loca, quae vulgo *Baccano* etiamnum adpellantur.

TABVLA LV.

BACCHI GENIVS.

BACCHICVM choragium primus omnium agit GENIVS eiuſdem BACCHI aſſecla & delicium : quem Etruſci, uti oſtendit haec aerea imago, quae exſtat inter Medicea Cimelia, non puerili, ſed adulta aetate, alatum, nudo apertoque capite, prolixis capillis, acutis, ad exemplum Faunorum & Satyrorum, auribus, cum duplici torque, vario ac multiplici opere elegantiſſimo, ante pectus demiſſo, pendente cervina pelle, vel hinnulei ſpolio e ſiniſtro humero, laevaque ad pectus admota, expreſſerunt. Graeci ac Latini artifices alia ſpecie eum exhibuere : nimirum aetate puerili, alis inſtructum, ore ridenti ac blando, capite redimito corona ex hederis & corymbis florentibus contexta, cum ſiniſtro brachio ornato armilla gemmis diſtincta, dextraque manu velata, ut vidimus in Volumine ſecundo Muſei Florentini Tabula XLV. adlata eius icone Amethyſto inſculpta, artificio exquiſitiſſimo, quae Romae in Dactyliotheca Marchionum Victoriorum adſervatur. Graeci ACRATVM dixere BACCHI GENIVM, ut auctor eſt Pauſanias (10), qui eius vultum deſcribit.

Ex

(1) In Comment. in S. C. de Bacchanalibus.
(2) Saturnal. Lib. I. Cap. XVIII.
(3) Vide Gruterum pag. LXVI. 9.
(4) Livius Dec. IV. Lib. IX. meminit Pacullae Miniae Campanae Sacerdotis Bacchi. Vide Gudian. Inſcr. pag. XLIII. II. 13.
(5) Vide Carolum Caeſ. Malvaſiam in Marmora Felſinea Sect. I. Cap. IV. pag. 41.
(6) Cl. Greg. Redii Epiſtolam in Par. II. Inſcript. ant. Etrur. pag. 222.
(7) Id inferius conſtabit ex antiquis ſculpturis ibidem repertis cum ciſta myſtica.
(8) Vide in Par. II. Inſcript. ant. Etrur. pag. 105.
(9) Phalli ingentis molis, tum marmorei tum fictiles & ex aere, in agro Cluſino reperti, id clare oſtendunt.
(10) In Atticis. Lib. I. Cap. II.

Ex hac igitur Etruſci operis protome, clare intelligimus, Tuſcos GENIVM Baccho adſignaſſe: quod etiam aliae nationes fecere, ſingulis Diis GENIVM famulum & miniſtrum tribuentes: iiſque praecipue, quos aquae, terrae, igni & aëri praeeſſe commenti ſunt, quos GENIALES Deos dixere, ut auctor eſt Feſtus: idque etiam ex vetuſtis aris, iam editis, viri docti obſervarunt (1). In antiquis Gemmarum ſculpturis, a me prolatis in Muſeo Florentino (2), oſtendi, quonam modo Iovis, Apollinis, Victoriae & Herculis expreſſus ſit GENIVS. Neque vero ſupremi ordinis Numinibus unum tantum, ſed etiam plures GENIOS dedere: quorum princeps habebatur unus, puta, ut hic BACCHI, cuius arbitrio omnia geri ac moderari arbitrabantur, uti volebat imperabatque ille Deus, cui obediebant: quod profecto non aliunde, quam ex priſca Hebraeorum Theologia, divinorumque librorum fonte hauſiſſe videntur (3).

T A B V L A LVI.

DII CABIRI
SEV CORYBANTES
Bacchi myſteria, ciſtam myſticam, & ſacra Cabiria in Etruriam invexerunt.

EX adlatis monumentis, atque ex iam dictis dicendiſque, ſatis, ut arbitror, liquet, Bacchum ab Etruſcis maxima religione cultum fuiſſe. Id etiam docet fabula de Tyrrhenis, Bacchum ducere captivum tentantibus, & in delphinos converſis: quae in hymno in honorem eiuſdem exponitur ab Homero, eius, ut aliqui volunt, auctore. Tradunt etiam Ariſtides (4) & Lucianus (5), Bacchum ſaltandi arte, quam Satyri eius miniſtri invenere, TYRRHENOS & Indos & Lydos, bellicoſas gentes, deviciſſe, ſuoque imperio ſubiugaſſe. Cultum

S vero

(1) Gisb. Cuperus in Monum. antiqua pag. 243. Dempſterus ad Antiquit. Rom. Io. Roſini Lib. II. Cap. XIV. Pitiſcus in Lexico Ant. Rom. in verb. GENIVS.

(2) Vol. I. Tab. XXXVIII. n. V. Tab. LXVI. n. VII. & IX. Tom. II. Tab. LXVIII. n. I. Tab. LXXVII. num. V. pag. 124. 125.

(3) Vide P. Bocharti Geograph. Sacr. Lib. I. Cap. XV.

(4) In Oratione in Bacchum.

(5) De Saltatione Tom. IV. edit. Baſil. pag. 159.

vero Liberi Patris , ſacraque myſteria , nec non & myſticam ciſtam a CABIRIS ſive CORYBANTIBVS in Etruriam delatam eſſe fabulantur . Non praetermittam , ut id confirmem , inſignem Clementis Alexandrini locum (1) , qui ita ait : ΚΑΒΕΙΡΟΥΣ δὲ τοὺς ΚΟΡΥΒΑΝΤΑΣ καλοῦντες , καὶ τελετὴν ΚΑΒΕΙΡΙΚΗΝ καταγγέλλουσιν · αὐτὼ γὰρ δὴ τούτω τὼ ἀδελφοκτόνω , τὴν ΚΙΣΤΗΝ ἀνελομένω , ἐν ᾗ τὸ τοῦ ΔΙΟΝΥΣΟΥ αἰδοῖον ἀπέκειτο , εἰς ΤΥΡΡΗΝΙΑΝ κατήγαγον , εὐκλεοῦς ἔμποροι φορτίου , κἀνταῦθα διετριβέτην φυγάδε ὄντες , τὴν πολυτίμητον εὐσεβείας διδασκαλίαν , αἰδοῖα καὶ ΚΙΣΤΗΝ , θρησκεύειν παραθεμένω ΤΥΡΡΗΝΟΙΣ . *CABIROS autem dum CORYBANTAS adpellant , mortem quoque CABIRICAM annunciant . Hi enim duo fratricidae , quum CISTAM ſuſtuliſſent , in qua repoſitum erat veretrum Dionyſii , eam vexerunt in ETRVRIAM , egregiarum mercium mercatores , atque ibi habitarunt , quum eſſent exſules : venerabilem pietatis doctrinam , verenda & CISTAM comcomendantes ETRVSCIS .* Hanc BACCHI ciſtam ſculptam , atque in aedicula repoſitam obſervavi in Vrnis ſepulcralibus veterum Etruſcorum , quae nuper Volaterris erutae ſunt , quaſque inferius proferam ſuo loco .

Sacra vero CABIRIA non ſolum Etruſcis nota , verum etiam maxima religione celebrata fuiſſe , Deo dante , mox oſtendam ex priſcis Tuſcorum ſculpturis , quas Bonarrotius ſine obſervationibus intactas reliquit . Illud vero heic ſilentio non praetermittam , Etruſcos adeo impenſe DEOS CABIROS coluiſſe , ut eis decimas voverint bonorum ſuorum , riteque perſolverint : praeſertim quum ſterilitate omnium proventuum laborarent , ut memorat Myrſilus Lesbius apud Dionyſium Halicarnaſſenſem (2) . Decimas quoque Tuſci voverunt , his preſſi anguſtiis , non ſolum CABIRIS , verum etiam Iovi & Apollini : qui mos profecto eſt vetuſtiſſimus . Quod vero a Tyrrhenis factum memorat Myrſilus Lesbius , idem Dionyſius , Etruſcis adverſus , ut notavimus , tribuit Pelaſgis : quos etiam , multo prius quam Etruſcos , CABIRIA myſteria peregiſſe contendit (3) . Verum ab ipſis Diis CABIRIS , ut tradit Clemens Alexandrinus , Etruſci cultum & ſacra , uti obſervavimus , accepere . Si qui vero ſunt populi , qui de eorum cultus antiquitate , deque vetuſtiſſima myſteriorum traditione contendere poſſunt , hi vel Phoenices vel Aegyptii ſunt ; nam de Phoenicum cultu , teſtis eſt apud Euſebium (4) Sanchoniathon ille Berytius , ut memorant , Troiano bello antiquior (5) : apud Aegyptios ve-

(1) In Protrept. ſive Admonit. ad Gentes pag. mihi 12.
(2) Antiquit. Roman. Lib. 1. pag. mihi 19.
(3) Ibidem Lib. 1I. pag. 92.
(4) Lib. 1. Praep. Evangelicae.
(5) Voſſium de orig. Idol. Lib. 1. Cap. XXII.

vero, Memphi in honorem CABIRORUM, fuiſſe templum antiquiſſimum teſtatur Herodotus (1). Sed de his ſatis ſuperque.

Quia vero CABIRI ſaltationem armatam primi inſtituerunt, ut auctor eſt idem Dionyſius (2), quorum arma eadem ac Saliorum fuere, nimirum haſta, ancilia, vel ſcuta; hinc ſuſpicari poſſumus, Etruſcos in honorem eorumdem Deorum, CABIRIA, ex eorum nomine certamina adpellata, ſive ſaltationem armatam inſtituiſſe: quae, ut reor, exhibetur in Vaſe argenteo, auro egregia arte intecto, Etruſciſque litteris inſcripto, quod nunc exſtat in Medicea Gaza, editumque inſpicere poteris apud Dempſterum in Tabula LXXVII. & LXXVIII. in quo praeterea Ciſtophori ſculpti ſunt ad aras procedentes, una cum ſacrificulis victimas deferentibus in utroque humero: quo monumento CABIRIA ſacra cum ludis pugilum & ſaltatorum armatorum ludicra pugna coniuncta fuiſſe non ſine ratione arguere poſſumus.

CABIROS tres fuiſſe tradit Cicero (3); quos nonnulli, ex Hebraeorum fonte CABIR, adpellatos putant, hoc eſt *magnos*, *potentes*: eoſque Samothrace praecipuo honore cultos adfirmant ab his, qui eorum myſteriis initiabantur (4). Sed magna apud vetuſtos ſcriptores confuſio eſt, cum in eorum origine, tum in numero ac nominibus adſignandis. Conveniunt inter ſe Acuſilaus Argivus, & Pherecydes (5), qui eos natos prodiderunt e Cabeira Protei filia, & Vulcano: e quibus parentibus item ortae tres Nymphae Cabeirades. Quia vero eorumdem Deorum nomina, ut eſt apud Strabonem (6), myſtica fuere, nec aliis, ut reor, niſi initiatis nota; hinc fabulis & confuſioni forſitan anſa data facile credi poteſt. Haud igitur vacat in quaeſtionibus, longis ubique ambagibus permixtis, tempus terere, & lectoris abuti patientia: qui, ſi otium erit, adire poterit viros eruditiſſimos Ioannem Marshamum (7), Fabrettum in Traiani Columnam (8), Tobiam Gutberlethum de Myſteriis Deorum CABIRORUM, Ioannem Antonium Aſtorium I. C. Venetum in Diſſertatione de Diis CABIRIS: qui, ſi ad manum non ſint, adire prae omnibus poterit Gerardum Ioannem Voſſium (9), qui de his fuſius. Verum de his etiam inferius redibit ſermo, quum ſacra CABIRIA veterum Etruſcorum, ut diximus, illuſtrabimus.

(1) Lib. III. Cap. XXXVII.
(2) Ibidem Lib. II. vide etiam Hymnos qui Homero, vel Orpheo tribuuntur.
(3) De Natura Deor. Lib. III.
(4) Idem Cicero de Nat. Deor. Lib. I. Varro Lib. IV. Ling. Lat. Euſebius Praep. Evang. Lib. I. pag. 36. Macrobius Saturnal. Lib. III. Cap. IV.
(5) Apud Strabonem Geograph. Lib. X. pag. 472.
(6) Ibidem vide.
(7) Seculo I. pag. 35. 36.
(8) Cap. III. a pag. 73. ad pag. 83.
(9) De orig. Idol. Lib. II. Cap. LIII. LVII.

In regio Mediceo Larario ſignum ex aere longe vetuſtiſſimum obſervavi, haud maius uno pede: quod etſi in ipſa artis infantia, ut oculi fere clauſi indicant, ſit fabrefactum; Etruſcum tamen eſſe e torque ſive ſtroppo, quo eius collum ornatur, atque ex opificio, manifeſte intellexi. Iam enim perſpicuum eſſe puto Etruſcorum morem, qui Deos torquatos & bullatos fecere. Illud ipſum profero in Tabula LVI. peraccurate delineatum. Toto corpore nudus eſt hic Deus, praeter quam in pudendis, quae maiori ſubligaculo velantur. Sub dextro pede, continua aeris flatura, prominet clavus oblongus, ſive mucro acuminatus, quo in terra vel in baſi ſtatui ac figi ſolebat, ut conſiſteret. Signa maiorum Deorum Larumque, his mucronibus ſeu verubus inſiſtentia, portatilia fuiſſe facile credam: quae vel in ſacris a ſacerdotibus Etruſcorum, velatis manibus, deferri: peractaque pompa & ſupplicatione ſuper columellis vel in compitis defigi ſolebant: quae circa arborum etiam ramuſculos honoris gratia adponebant. Hanc in altaribus, ſeu baſibus, ſeu columellis ſigna Deorum inſigendi conſuetudinem, Romani ab Etruſcis, ni fallor, accepere; ſiquidem in Vaſe Etruſco, picturis inſigni, apud Dempſterum Tabula LXIII. videmus defixum ſtatutumque in praealta columella ſive ara perparvum Bacchi ſimulacrum, quod in Orgiis circumferri ſolemne erat: quod indicant feminae in eo pictae, quae Dionyſia celebrant.

Quod vero crioſum ac maxime rarum in hoc ſimulacro, pileolus eius capiti impoſitus eſt, tamquam fictum capillitium: eoque ſtructurae artificio confectus, ut e capite, ſi quis velit, divellere poſſit; fixus tamen in eo eſt, dimidiamque ſecti ovi partem refert: qui coniecturae meae anſam dedit, ut unum e DIIS CABIRIS, quos & DIOSCVROS adpellarunt, vetuſtorum lapidum teſtimonio (1), referre ſuſpicarer. Non enim hoc ſignum longe diverſum eſt ab imagine CABIRORVM, quae in nummis Theſſalonicenſium apud Seguinum (2) impreſſa cernitur: qui, ut diximus, Vulcani & Caberae filii habentur: eidemque Vulcano eorum idola ſimilia fuiſſe Herodotus tradit (3). Neque ab his abludit deſcriptio, quam facit Pauſanias (4), quorumdam ſigillorum, quae apud Braſiatas vidit. Ita igitur inquit: Αχρα δὲ ἔστιν ἐν ταῖς Βρασιαῖς μιχρὰ, προέχουσα ἠρέμα ἐσ τὴν θάλασσαν. καὶ ἐπ᾽ αὐτῇ χαλχοῖ ποδιαίων ἑσῆχασιν οὐ μείζονες πίλους ἐπὶ ταῖς χεφα-

(1) Vide Gruterum pag. CCCXIX. 1. Vaillant. Numiſm. Tom. II. pag. 155. Gyraldum Hiſtor. Deor. Syntagm. I.

(2) Selector. Numiſm. Cap. I. Cap. VII.

(3) Lib. III. Cap. IV.

(4) In Laconicis Lib. III. Cap. XXIV.

κεφαλαῖς ἔχοντες · οὐκ οἶδα εἰ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΥΣ σφᾶς ἢ ΚΟΡΥΒΑΝΤΑΣ νομίζουσι · τρεῖς δ' οὖν εἰσί . *Eſt Braſiis parvum & molliter in mare excurrens promontorium: in eo ſigilla pileata videas ex aere , nihilo pedalibus maiora : non facile dixerim* DIOSCVRVM , *an* CORYBANTVM *ea nominibus ſanxerint : tria certe ſunt ea figura .* CABIROS DEOS Tertullianus (1) Samothracas agnoſcit : vocatque (quia tres fuere) triplici diverſo nomine , *Magnos* , *Valentes* , *Potentes* : iiſdemque tres aras in Circo a Romanis dedicatas fuiſſe adfirmat . Hi Dii , qui & CVRETES dicti , omnium primi Deorum cultum & myſteria gentes docuere (2): nec Bacchi tantum, verum etiam Cereris, quae ex eis CABIRIA dicta eſt (3). Hac de cauſa pateram dextera manu tenet : ſiniſtra propitium ac faventem ſe cultoribus oſtendit ; quia ſacrificia libationum hominibus monſtravit . Cenſeo enim , illis Diis datam pateram , qui divinum cultum vel monſtrarunt , vel ſacra myſteria atque initiationes inſtituerunt .

TABVLA LVII. LVIII. LVIIII.

PRIAPVS antiquorum Tuſcorum Deus , praeſertim Peruſinorum & Cluſinorum.

PRIAPVS , ſi phyſice conſideretur , idem eſt ac SOL , eiuſque lux primigenia , unde vis omnis ſeminatrix . Aegyptii , Hori nomine , eum ita coluere , ut Sacerdotes paterna ſacerdotia accipientes , ei primum initiandos eſſe cenſuerint (4). Humana autem forma effinxerunt eius ſimulacrum , dextera tenens ſceptrum , ſiniſtra intentum veretrum mirae magnitudinis (5): altero quidem ex his ſymbolis , SOLIS ac proinde PRIAPI imperium ac poteſtatem in univerſum orbem deſignarunt : altero vero vim eiuſdem SOLIS generativam : quae, quia eſt longe maxima ,

(1) De Spectaculis Cap. VIII.
(2) Vide Hymnum in honorem Dioſcurûm, qui Homero, vel Orpheo tribuitur.
(3) Vide Ioannem Antonium Aſtorium in Comment. de Diis Cabiris §. IX. pag. 52.
(4) Ex Diodoro Siculo Lib. I. pag. 35.
(5) Vide Suidam , qui deſcribit. Iſidorum Orig. Lib. VIII. Cap. XI.

ma, commodiſſime viſa eſt denotari ea membri magnitudine. *Belphegor*, Moabitarum idolum, PRIAPVM eſſe cenſet D. Hieronymus (1). Ab Aegyptiis, PRIAPI cultum Graeci & Etruſci accepere: ab his Latini ac Romani. Aegyptii alatum fecere, & cum capite ornato orbe ſeu diſco, ut eius motus celeritatem, divinam quoque vim & poteſtatem, eiuſque imperio totum terrarum orbem patere ſignificarent.

Diu incertum me pependiſſe fateor, referrem ne hoc loci tam obſcena ac pudenda veterum Etruſcorum ſimulacra, ne caſtis oculis eſſem offendiculo: verum perſpecto virorum, integritate & candore morum profecto inſignium, exemplo, haud praetermittenda eſſe cenſui; ut eo magis his patefactis deliramentis, Ethnicorum pravitatem, qui haec cernunt, deteſtentur; clariuſque noſtrae Catholicae Religionis veritas atque etiam puritas eluceſcat & roboretur (2). Quoties enim haec video, temperare mihi non poſſum, quin exclamem cum Perſio:

O curvae in terras animae, & caeleſtium inanes!

Primum igitur in Tabula LVI. num. I. occurrit ridiculum PRIAPI Ορχηστης; *Saltatriculi* ſimulacrum aereum, quod in Muſeo Gaddio adſervatur. Ferunt, PRIAPVM Deum ac PANA, Bacchum ad bellum cum Indis gerendum ſecutos, efferatas gentes demulſiſſe, dum exercitum praeirent, ſaltando, choreaſque ducendo cum muſicis modis (3). Pumilionis ſpecie eum exhibuere Etruſci; quia hoc hominum genus, ut notat apud Suidam Theophraſtus (4), tum viribus corporis, tum immani veretro egregie pollent. Siniſtra manu, more Deorum Etruſcorum, pomum ovi ſpecie gerit, ac ludicro geſtu oſtentat: quod dico, ne aliquis ſuſpicetur eum gerere crotala, in Bacchanalibus adhiberi ſolita, non ſecus ac alterum PRIAPI ſignum, quod Cauſeus adfert e Muſeo Belloriano (5): quod quidem ad Etruſcos pertinere exiſtimo; nam, quum ſit toto corpore nudus, excepto, ut heic in noſtro, anguſtiori amiculo, quo ſupra inguen cingitur; Etruſcorum Deorum exemplo, pedes calceis clauſis ornatos habet. In hoc vero a me edito, illud praeterea notatu dignum, quod caput habet corona redimitum, vittiſque pendentibus inſigne, quae e variis

(1) Lib. II. in Oſeae Cap. IX. Priapi initiationes & myſteria habes Numerorum Cap. XXV. 9. 5.

(2) Hanc etiam potiſſimam adfert rationem Mich. Angelus Cauſeus in Diſſert. de Mutini ſimulacris pag. 121. in Muſ. Romano.

(3) Vide Athenaeum Lib. XV. pag. mihi 694.

(4) In voce Νάννος.

(5) Tab. IV. Diſſertat. de Mutini ſimulacris pag. 126.

riis pomis contexta eſt : ſingula vero poma , in medio excavata , cotyliſcos referunt : qui indicio ſunt , olim pretioſas gemmas inſertas retinuiſſe ad coronae decus , quae nunc deſiderantur .

Inobſervatum non relinquam aereum PRIAPI ſimulacrum , relatum in Tabula LVIII. num. IV. quod apud me exſtat , iuvenili ſpecie , & ſtantis habitu expreſſum : cuius pedes calceis ornati ſunt , pendetque ex humero ſiniſtro , uſque ad crura , breve amiculum . Caput eius radiato diſco decoratur , quaſi imaginem Solis referat , cum quo , ad generandum , communem habet virtutem . Hinc etiam animadvertere lubet , quot diademata , quotque capitis ornamenta excogitarint Tuſci noſtri , ut Deos ſuos cultoribus auguſtiores non ſine ratione redderent .

Exſtat in eodem regio Mediceo Cimeliarchio alterum PRIAPI ſimulacrum ex aere , cui pro ſymbolo anſerculus datus eſt ab antiquis Tuſcis ; ut hoc animali aquatico , rerum omnium generationem , ut diximus , ex aqua conſtare innoteſceret : quod animal etiam Baccho , qui idem eſt ac PRIAPVS , pro inſigni nota , ut paullo ante vidimus , tribuere .

Sequuntur turpia atque obſcena quaedam faſcina ex aere , quae Etruſcae feminae collo ſuſpenſa gerere conſueverunt , ut ſibi fecunditatem a PRIAPO Deo facilius impetrarent . Ea etiam perſaepe taurino capiti adiuncta ſunt : quae etiam puerorum collo tamquam remedium praebiave appenderunt , loco amuleti & faſcini , quod Plinius *infantium cuſtodem* adpellat (1) . Horum plane ingens numerus tota Etruria in Muſeis obvius eſt : e quibus antiquis reliquiis , ſummam pudendamque fuiſſe veterum Etruſcorum ſuperſtitionem , probe dignoſcere licet .

PRIAPVM varia ac multiplici ſpecie , pluresque aetatis gradus referentem , Etruſci induxerunt : nunc enim videas florida iuventute vigentem , vel virili , ut in Tabula LVIII. nunc videas aetate provecta , vel in ſenium vergente , ut in Tabula LVIIII. num. I. obducta verpa , ſeu non ita rigente : quin etiam , ut eius occultam vim & latentem declararent , panniculo eius caput obnupſerunt . Habes in Tabula LVIII. num. II. & III. PRIAPVM barbatum , cum capite bene tutulato , amictumque veſte Baſſarica , Bacchi propria ; quia unum atque idem Numen Bacchum & Priapum cenſuere (2) . Hoc vero notandum , quod pectus & poſteriora corporis veſte tecta ſunt : inferiora vero , ex anteriore parte , nuda atque aperta : quin etiam arrecto pene , tum eo ipſo , tum manibus ſuſtinet ingentem pomorum acervum . Hinc inde etiam utri-

(1) Hiſt. Nat. Lib. XXVIII. Cap. IV.

(2) Voſſium de orig. Idol. Lib. II. Cap. VII.

utrique brachio inſident columbae vel turtures ; quae eius virtutem ſignificant, quod fecunditatis ſint flagrantiſſimae, & vi generandi polleant, ac mirifice augendae ſoboli indulgeant.

Altera imago iuvenis PRIAPI, quia expreſſa eſt, ut in Tabula LVIII. num. I. ornato elegantibus foliis ac pomis capite, totoque chlamydis ſinu, hortenſium herbarum copia referto ; altera vero manu incurvum caulem ſuſtinens ; referre poteſt tum ipſum PRIAPVM, tum etiam VERTVMNVM, de quo iam diximus : vel etiam SILVANVM, quem eodem modo, virili tamen vel ſenili aetate praeditum, Romani repraeſentarunt, ut apud Iacobum Philippum Tomaſinium (1). Ad cuſtodiam ruris & hortorum PRIAPI ſimulacra & ithyphalli ponebantur, ex antiquis arborum truncis, vel e ficu, vel ſalice, marmore & argilla confecti. In agro Cluſino anno CIↃ.IↃ.CC.XXVI. horum ingens vis eruta eſt, qui fictiles erant, & quidem molis horrendae ac terribilis : cum his etiam permixti alii phalli exiguae magnitudinis : quare ex his arguere licuit, templum PRIAPO ſacrum apud Cluſinos fuiſſe, & quidem extra urbem, in quo hi phalli, tamquam donaria, a Tuſcis poſiti fuere. Duos etiam marmoreos vidi phallos immenſae molis apud Cluſinos : quorum alterum maius duo boum paria trahere vix poſſent. Mirum illud videtur, quod memorat Lucianus de phallis Syrorum (2), quos ipſe Bacchus dedicavit, qui trecentarum ulnarum fuere : quos viri quotannis conſcendebant. Scapo inſidebant ſponſae, ut faſcinum averterent : quod praeſtari credebant ab ea membri deformitate, ut ait D. Auguſtinus (3) : itemque ſuper eo ſedebant iacebantque nuptae, ut ſibi prolis fecunditatem miſerae impetrarent. Duos phallos e Tiburtino lapide vidi Peruſiae, inſtar termini erectos, Etruſciſque litteris inſcriptos, quorum ſchemata habes in Tabula LVIIII. num. III. & IV. Alter maior exſtat in Hortis ſuburbanae Villae Nobiliſſimi Comitis & Equitis Pompeii de Eugeniis : hunc, ferebant, nuper repertum in flumine *Caina* : cuius altitudo fere ulnarum trium. Alterum minorem vidi in Muſeo Marchionum Oddiorum : cuius ſcapus pineam nucem refert, undique foliis hortenſibus ornatam circumdatamque. Iam enim diximus, pineam nucem apud Etruſcos fuiſſe aurei aevi & felicitatis ſymbolum. Accedunt folia maiora, decerpta ex hortis, qui PRIAPO ſacri ſunt, declarantque eius fecunditatem ; quia horti numquam ſunt ſine aliquibus fructibus (4). Ludovicus Bourguet, vir celeberrimus

(1) De Donariis Cap. XXIV. pag. 158.
(2) De Dea Syra.
(3) De Civit. Dei Lib. VII. Cap. XXIV.
(4) Vide Prudentium adverſus Symmachum.

rimus , cum quo horum phallorum inſcriptiones communicavi , opinatur eas eſſe ludicras , in Priapeia veterum Etruſcorum referendas , quae vel in hortis aliiſve locis , ad ſpectatorum animos exhilarandos , poni ſolerent . In priore Priapo ita interpretatur :

In capite : ɔY : ⅄ꓶ . Pl : vc : *Id eſt :* Pelta ſanitatis.

In haſta : ꓲ ꓱ ꓘ A M ꓤ ꓲ C ꓤ A ꓕ
:ꓲ N ꓲ ꓤ ꓱ O ꓩ H A Ϙ *Id eſt :* Taruis malui qanuitherini.

Hoc eſt : *Munimentum tenerae idoneaeque matricis .*

Explicari etiam poteſt : *Inſtrumentum vitioſae biantiſque vulvae .* Vel : *Madide laborantis biantiſque uteri munimentum .* i . e . *remedium .*

Priapi poſterioris inſcriptio ita ſe habet :

ꓛ AH ꓕ A Ϙ A ɔ
ꓲ ꓱ ꓤ Ϙ Φ A V A *Id eſt :* Caqat pau aua chqſei.

Hoc eſt : *Malignam ceſſare facio ſiccitatis aerumnam .*

Verti etiam poſſet : *Infelicem finio ſiccam (aridam) alvum .* Cauſeus Tab. V. & VI. edidit duos penes alatos , in ſpeciem penſilium lucernarum , forte ad uſum pervigiliorum Veneris & Priapi . Sed iam putidiſſima haec & obſcena deliria relinquamus.

T A B V L A L X.

S I L E N V S
Bacchi educator , cuſtos & magiſter , ab Etruſcis cultus .

SILENVM referunt ſigilla ex aere rariſſima , & quidem Tuſcanici operis , quae profero in hac Tabula LX. quorum duo priora apud me exſtant : alterum vero gryphis vel leonis pedi inſiſtens , quo ornatum fuiſſe , arbitror , aliquod vas vel candelabrum , inſigne donarium , Baccho vel eidem SILENO

dedicatum (1), inter Medicea Cimelia adſervatur. Si eiuſdem SILENI, Dei Etruſcorum e minuta plebe, proſopographiam attendas, ſcriptores omnes Graeci (2) & Latini (3), atque etiam antiquae ſculpturae eum ita repraeſentant, qualem heic cernimus: recalvaſtrum, ſenem, barbatum, ſimis naribus, ventricoſum, hederacea corona redimitum; ſed nondum in conſpectum virorum doctorum venit togatus, vel more Philoſophorum palliatus, inſtructuſque alis, totoque corpore ornatus arborum foliis, uti nunc primum prodit, ex ingenio & ſolertia veterum Etruſcorum.

Calvus fingitur; quia eius calvities ſpiritalem & caeleſtem vim ac motum indicat: obeſus & ventriculoſus; quia terreſtris aëris craſſitudinem ſignificat, ex antiquorum Theologia, quam irridet Euſebius (4). Senex inducitur; quia Bacchi praeceptor, educator & dux fuiſſe traditur: qui, quum ei opem conſilio & prudentia tuliſſet in bello contra Saturnum, Titanas, & Indos (in quo etiam, ut memorat Diodorus Siculus (5), comitem & adiutricem habuit Minervam & Amazonas) in Deorum numerum ab eo relatus eſt, & cum eo commune templum obtinuit. Apud Eleos tamen templum habuit proprium, non commune cum Libero Patre, ut obſervat Pauſanias (6). Totus corporis habitus exprimit praecipuas vini qualitates, ſi phyſice conſideretur: igneam nempe vim & calorem; quare ſolemnes vini potores, quique multum ignis elementaris continent, citius ac facilius calveſcunt: ſuccum quoque deſignat meri pinguiſſimum, quo in homine ſanguis nutritur, augetur & roboratur, vitamque prorogat, & longaevam reddit, ut veteres credidere: quod etiam Anacreon inter vini laudes enumerat. Etruſci SILENVM alatum fecere, ut innuerent vini motum & celeritatem, paratumque eius virtutis auxilium. Acutas & magnas aures dedere; quia vino animi efferantur atque hebetantur. Caput hederacea corona cinxere; quia eleniuntur capitis dolores, quos gignere ſolet immodicus vini potus. Momus apud Lucianum (7), SILENVM facit genere Lydum: Etruſcos a Lydis ortos plures volunt (8). Diodorus Siculus (9) eum omnium primum regnaſſe in Nyſa inſula, opemque Baccho in bello tuliſſe adfirmat. Philoſophiae quoque operam dediſſe in-

innuit

(1) Sileni imaginem ſculptam in antiquo candelabro adfert Sponius in Miſcell. erud. Antiq. Sect. II. Art. III. pag. 26.

(2) Vide Lucianum in Concilio Deorum Tom. II. pag. 907. Euripidem in Cyclope.

(3) Hyginus Fab. CXCI. Albricus in Imag.

(4) Lib. III. Praeparat. Evang. Vide etiam Gyraldum Hiſtor. Deorum Syntagm. XV. pag. mihi 378.

(5) Biblioth. Hiſt. Lib. III. pag. 143. Voſſium de Phyſiol. Chriſt. Lib. IX. Cap. XXXIV.

(6) In Eliacis poſter. Lib. VI. Cap. XXIV.

(7) In Concilio Deorum.

(8) Vide Dempſterum de Etruria Regali Lib. I. Cap. IIII. & Cap. XX.

(9) Loco ſupra memorato.

nuit Aelianus (1), qui eius colloquium cum Mida rege Phrygio habitum refert. Ad haec igitur Etruſci reſpicere potuere, qui eum vel toga vel pallio amictum exhibuerunt.

Illud etiam curioſum eſt, quod quum ſit reliquo corpore nudus, calceos gerit, ut veteres dixere, plebeios: in ſigno vero depromto e Mediceo Cimeliarchio, totus eius venter torque cingitur; ſub quo, ornatus gratia, folia erumpunt: quae fortaſſe indicant, una cum Baccho hortos in tutelam recepiſſe, qui ſunt fecunditatis generationiſque rerum, ut vidimus, ſymbola. Hinc ſuſpicari lubet, eius ſignum, foliis undique exornatum, quod apud me exſtat, quum ſit a ſummo ad imum perforatum, atque etiam circa caput foramen oblique habeat, pro amuleto favorabili collo ſuſpenſum, geſtatum fuiſſe: incertum tamen an a feminis, an vero potius a viris (2).

TABVLA LXI. LXII. LXIII. LXIIII. LXV.

PAN

Etruſcorum Deus; praecipua religione a Neapolitanis, a Piſtorienſibus, atque a Senenſibus cultus.

PANA Deum, Aegyptii omnium primi religioſiſſime coluere, teſte Herodoto (3): vocaruntque Aegyptiaee *Mendes;* quia ita etiam hircum dixere; nam eius ſimulacrum pictores pingebant, & ſtatuarii ſcalpebant, quemadmodum & Graeci *αἰγοπρόσωπον, καὶ τραγοσκελέα, caprina facie, hirciniſque cruribus:* non ſecus ac Iovem ſpecie arietis, Mercurium canis, Dianam felis. Mendeſii inter octo Deos eum numerarunt, quos aiebant priores duodecim extitiſſe (4). Ab Aegyptiis huius Dei cultum, ut arbitror, Etruſci accepere. Id manifeſte adparet ex aereo ſimulacro elegantiſſimo, quod exſtat inter Cimelia Praeclariſſimi Viri Antonii Franciſci Marmii, ex Equeſtri Ordine D. Ste-

T 2 phani,

(1) Variae Hiſtor. Lib. III. Cap. XVIII.
(2) Vide Pignorium in Menſa Iſiaca pag.35.
(3) In Euterpe Lib. II. num. 47.
(4) Ex eodem Herodoto, ibidem.

phani, cuius eximiae humanitati multis nominibus ſum devinctiſſimus. Eius icon exhibetur in Tabula LXII. num. I. & II. Siquidem capiti eius imminet columella, tamquam calathus, quam Serapidi atque Iſidi ceteriſque Diis Aegyptii dedere:, crediturque veſtigium eſſe columnarum vel rudium ſimulacrorum, quae primis ſeculis, eximiis viris ſervatoribus ſeu benefactoribus poni ſolebant, ut eorum nomina apud poſteros viverent quamdiutiſſime (1).

Quod vero Etruſci, hunc Deum divini cultus honore adfecerint, ob eximia in ſe collata beneficia, delectamque Etruriam pro ſede, teſtatur Rutilius Claudius Numatianus, qui ait (2):

Seu PAN *Tyrrhenis mutavit Maenala ſilvis.*

Facile etiam crediderim, cum apud Etruſcos, tum etiam apud Latinos, huius Dei cultum invectum fuiſſe ex Arcadia, ubi vetuſtiſſima religione in honore habebatur maximo: cuius ſacra & religionem in Italiam veniens detulit Evander (3): eumque Latini INVVM adpellarunt (4): cuiuſmodi vocis ſignificationem, qui adferat, neminem potui invenire: neque etiam inveriſimillimum credam, ſi quis Etruſcam eſſe arbitretur.

Etruſci vero, aliter ac Graeci & Latini, eiuſdem PANOS imaginem expreſſere; nam, etſi ei caudam dedere, ut videmus in eius ſimulacro adlato in Tabula LXII. num. II. minime tamen ei aptarunt hircina crura, ſed pedes humanos habere voluerunt: & quidem, more ſolito, calceis Tyrrhenis vel Arcadicis lunatis ornatos, ut in hiſce imaginibus videmus. Cornua quidem hircina vel caprina eius capiti impoſuere, ut videre eſt in aereo ſimulacro edito in Tabula LXIII. num. II. quod apud me exſtat, repertumque comperi in agro Piſtorienſi; verum ea, parva quidem, multo artificio, ne tam manifeſta eſſent, ita occultarunt, ut aures, non cornua viderentur. In ſequenti Tabula LXIIII. num. I. adfertur eiuſdem Dei caput eximio opificio ſculptum, in quo cornua eminent quammaxime; verum hoc fuiſſe donarium, Deo PANI in eius templo appenſum & dedicatum, exiſtimo, non vero ſimulacrum cultoribus expoſitum. Iam enim vidimus, Tuſcos abhorruiſſe a conſuetudine aliarum nationum, qui Diis, quos coluere, belluarum vel crura vel capita adiunxere. Illud in eo capite, quod exſtat in Muſeo Gaddio, notandum eſt, quod

(1) Vide Bonarrotii Obſervat. in Numiſm. max. mod. Tab. XV. pag. 273.
(2) In Itinerario Lib. I.
(3) Ex Dionyſ. Halic. Lib. I. & Livio Lib. I.
(4) Vide Macrobium Saturnalium Lib. I. Cap. XXII.

quod radiorum inſtar, undique foliis perelegantibus pro diademate redimitur, ut ſuperius etiam vidimus in ſimulacro Apollinis ſacrificantis Tabula XXXVII. num. I. Pro auribus habet duo copiae cornua, quae verſus terram inclinata, inania omnino viſuntur.

Manifeſtum igitur eſt, ex adlatis PANOS ſimulacris diverſimode ſculptis, Etruſcos cultu maximo & religioſiſſimo eius numen deveneratos eſſe. Fuit enim PAN, e Dioniſyacis miniſtris, omnium maxime Bacchicus (1), Muſicus, Saltator, Venator & Bellator praeſtantiſſimus (2): Libero Patri apprime carus, cui adverſus Indos pugnanti opem & conſilium ſtrenue contulit. Etruſci, ut arguere lubet ex his imaginibus, artis Orcheſtricae & Auleticae inventorem exiſtimarunt; nam in Tabula LXI. in altum ſuſpenſo laevo brachio, manuque eo geſtu complanata expreſſus eſt: quem geſtum ſaltatores facere ſolent, vibrando corpus antequam ſaltus edant. Dextra manu praefert duos breves calamos: in Tabula vero LXIII. num. II. multo maiores calamos oſtentat ſiniſtra manu; expreſſuſque eſt iacens, pulvino innixus: quaſi ſe omnium primum fiſtulam artemque arundines iungendi cera reperiſſe oſtendat. Maro hanc ei tribuit gloriam (3):

> *PAN primus calamos cera coniungere plures*
> *Inſtituit.* ———

Plinius non ſolum fiſtulam, ſed & monaulon inveniſſe obſervat (4). Apud Lucianum (5) idem PAN ἑταῖρον καὶ θιασώτην, *ſocium & conſiliarium* Bacchi ſe praedicat, atque in deducendis Bacchantium choris, modulandiſque calamis & fiſtula, quam invenit, adeo peritum ſe iactat, ut ſine ſuo ductu nil facere poſſe Liberum Patrem adfirmet.

Forte etiam Etruſci tintinnabula ab eo inventa crediderunt, in Bacchanalibus adhiberi ſolita (6); nam idem PAN, pro emblemate ſculptus in manubrio aereo, ut puto, alicuius vaſculi, quod exſtat in Medicea antiquarum elegantiarum ſupellectile, tintinnabulum, quaſi a ſe repertum, indicat ſiniſtrae manus digito. Neque id abſurdum videbitur his, qui deſcriptionem legerunt magnificentiſſimi ſepulcri Porſenae Regis Etruriae apud Plinium (7): in cuius faſtigio ſingulis quinque quadratis pyramidibus, orbis aheneus,

(1) Vide Lucianum in Bis accurato Tom. II. pag. 665. 666.
(2) Virgilius in Eclog. X. verſ. 26.
(3) Eclog. II. verſ. 32. & Eclog. VIII.
(4) Hiſtor. Nat. Lib. VII. Cap. LVI. Ovidius Lib. I. Metamorph. verſ. 712.
(5) In Dial. Panos & Mercurii T. III. pag. 16.
(6) Vide Fabrettum in Inſcript. antiq. Cap. VI. pag. 429.
(7) Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. Cap. XIII.

neus, & petaſus unus erat impoſitus: e quo pendebant excepta catenis tintinnabula, quae vento agitata, longe ſonitus referrent, ut Dodonae olim factum. Igitur manifeſtum eſt, Etruſcis cognitum fuiſſe antiquiſſimum tintinnabulorum uſum. In ara marmorea, quam protuli & illuſtravi inter Donianas Inſcriptiones [1], ante imaginem eiuſdem PANOS ſedentis, in pinu ſuſpenſa ſunt duo tintinnabula, vel etiam, ſi mavis, crotala, quae hanc meam coniecturam in hoc aereo ſigno explicando, confirmant. Neque vero lampadem eſſe puto; quamvis ſciam ei convenire poſſe, quod Solis imago ſit, atque in eius honorem lampadum certamina fuerint inſtituta ac celebrata, ut auctor eſt Libanius [2]: qua etiam ferunt, panicos terrores, Bacchi aſſeclis ab exercitu Indorum noctu immiſſos, diſcuſſiſſe; nam alia figura ac ſymmetria lampades, vel pictas vel ſculptas, obſervavi in antiquis Etruſcorum monumentis; quare potius tintinnabulum referre crediderim: quod idem Deus, ut dixi, manu indicat, quaſi ſe illud reperiſſe in uſum Bacchanaliorum glorietur.

Gregis ac pecoris tutela commendata PANI, qui idem eſt ac SILVANVS, quo nomine Romani ei templa, ſigna, collegia, aedituos, cultores, ſacerdotes, & ſolemnia ſacra Kalendis Martiis adſignarunt: cui etiam omnia ſua conſecrare conſueverunt. Vetus ſcriptor de agrorum finibus: *Nam omnis poſſeſſio tres SILVANOS habet: unus dicitur DOMESTICVS, poſſeſſioni conſecratus: alter dicitur AGRESTIS, paſtoribus conſecratus: tertius dicitur ORIENTALIS, cui eſt in confinio lucus poſitus, a quo inter duos pluresve fines oriuntur.* PANA ſive SILVANVM PASTORALEM refert Etruſcum ſigillum, in Tabula LXV. num. I. & II. editum, duplici ſchemate: quod quidem, artificio eſt pulcherrimum atque rariſſimum. Toto capite calvus, cum acutis auribus & prolixa barba effictus cernitur. Indutus eſt, quod animadverſione dignum, duplici veſte breviſſima, quae ad utrumque genu non pertingit, & nuda habet crura, quae nunc deſiderantur. Interior veſtis eſt tunica manuleata: exterior vero, tunica ipſa brevior, exomis: quae veſtes paſtoribus & agricolis optime conveniunt. Capellam in humeris defert, non ſecus ac in gemmis, quas vidi, exhibetur Mercurius, arietem eodem modo geſtans; quia eum agriculturae & paſtoritiae artis peritum, gregeſque tueri, augere & multiplicare crediderunt, ut obſervavi ad Gemmas Muſei Florentini [3]. Ex hoc igitur aereo Etruſco ſigno antiquiſſimo, quod exſtat in Mediceo Ga-

(1) Tab. IV. num. III. pag. XLVII. & 21.
(2) Declamatione XIV.
(3) Vol. I. Tab. LXX. pag. 143. Vide Enarrat. ad Eclog. II. Virgilian. verſ. 33.

Gazophylacio, perſpicuum eſt, Tuſcos coluiſſe PANA, gregis cuſtodem, atque, ut Graeci dixere, Επισκόπον: quo nomine etiam Arcades eum venerati ſunt, ut canit Ovidius (1):

PANA Deum veteres pecudis coluiſſe feruntur,
Arcades: Arcadiis plurimus ille iugis.

Illud etiam memoratu dignum, quod Arcades in eius templo ignem perpetuo ardere voluerunt, ut notat Pauſanias (2): cui Deo, aeque ac potentiſſimis quibuſque, & vota hominum rata habere, & merita poena improbos adficere tribuerunt. Priſcis quoque temporibus, eum reddere oraculorum reſponſa autumarunt: eiuſque interpretem fuiſſe ERATO Nympham, cum Arcadi Calliſtus filio nuptam, ferunt: quam forſitan exprimit Etruſca ex aere protoma elegantiſſima, e Muſeo Mediceo depromta, quae habetur in eadem Tabula LXV. num. IV. nam corona laurea vel potius myrtea redimitum eſt eius caput, cum gemma in medio eminente, e qua vittae, eam retro revincientes, dependent. Ex eodem Pauſania colligimus, etiam curſus certamina Arcades PANI ſacra eſſe voluiſſe; nam iuxta eius fanum, condenſo luco circumſeptum, conſtruxere hippodromum, hippodromo ſtadium adiunxere, in quo iam tum ab initio Lupercalia celebrarunt. Haec omnia ab Arcadibus, qui Etruriam incoluere, atque ab ipſis Etruſcis accepere Romani; quamvis de Etruſcis ſileat Dionyſius Halicarnaſſenſis, ut eorum gloriam penitus extinguat (3). Atheneus adfert exemplum Scoliorum carminum, quae in hominum coëtu & convictu canebantur vel ab omnibus ſimul convivis, vel ſingulatim, vel ab eruditioribus viris, qui certo in loco accumbebant: in quo, quamvis e numero Semonum fuerit Deus PAN (4); tamen laudatur poſt Minervam, Plutonem, Cererem, Proſerpinam, Latonam: invocaturque ut victoriis faveat, adſitque gaudiis & canticis ſemper propitius & laetus. Neque id mirum quando Socrates in Phaedro eumdem, ante omnes Deos, invocat: Ω ΠΑΝ τε καὶ ἄλλοι Θεοὶ, δοίντέ μοι τἄνδον εἶναι καλῷ. *O PAN, ceterique Dii, date mihi, ut intus ſim pulcher & honeſtus* (5).

Exploratum eſt, veteres PANOS nomine allegorice naturam ipſam rerum omnium procreatricem, univerſumque mundum intelli-

(1) Faſtor. Lib. II. verſ. 271.
(2) In Arcadicis Lib. VIII. Cap. XXXVII.
(3) V. Lib. VII. Antiq. Rom. pag. mihi 478.
(4) Ex eod. Dionyſio Halicarnaſſ. ibidem.
(5) Vide etiam Clementem Alexandr. Stromat. Lib. V. pag. mihi 595.

tellexiſſe. Cornua in eius capite, radiorum Solis & Lunae ſimilitudinem exprimunt: facies minio tincta, ad aetheris imitationem: fiſtulae inventum, ad declarandam caeli harmoniam (1). Polyaenus (2), PANA cornutum pingi ait; quia in exercitu Liberi Patris primus reperit ordinem, phalangem nominavit, & cornu inſtituit dextrum & ſiniſtrum.

Hunc Deum, apud Etruſcos quoque antiquiſſimum, ut eius ſigna oſtendunt, prolixis cum capillis ſculpta (ſicuti videmus in Tabula LXII. & LXIII. num. 1I. & 11I. quae magis accedunt ad vetuſtiorem Aegyptiarum ſculpturarum notam) non ſolum apud Piſtorienſes praecipuo cultu honoratum fuiſſe conſtat; verum & apud Neapolitanos quoque, ut antiqui lapides & arae ei dedicatae teſtantur, quas illuſtrat doctiſſimus Reineſius (3): eiuſque ſignum in Levocopetra villa Neapoli laudat Capacius (4). Fanum quoque apud antiquiſſimos, Senenſis ditionis incolas, Etruſcos, PANI dedicatum ſuſpicor ex reliquiis eius nominis, quae cuidam pago ſuperſunt; atque ex Etruſcis imaginibus eo in loco erutis, quae mox adferam in ſequenti Tabula LXVII.

T A B V L A L X V I. L X V I I.

FAVNI. FAVNAE. SATYRI. SATYRAE. BACCHANTES. BACCHAE. CENTAVRI.

Liberi Patris aſſeclae: horum imagines proferuntur & illuſtrantur.

Picta veterum Etruſcorum Vaſa, iam edita apud Dempſterum (1), aliaque in hoc opere adducenda, non raro repraeſentant BACCHI orgia, adparitiones, pompas, Dionyſia feſta & ludos: quibus monumentis perſpicuum eſt, omnes LIBERI PATRIS famulos, quos fabuloſa finxit vetuſtas, Etru-

(1) Servius & Philargyr. in Eclog. 1I. Virg.
(2) Stratagematum Lib. 1.
(3) Claſſe 1. num. CXLVII.
(4) Lib. 1I. Cap. 11I.
(5) Tab. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVII. XVIII. XIX. atque etiam in aliis.

Etruſcis probe cognitos fuiſſe. In his enim videre licet FAVNOS iuxta Bacchum ſaltantes, ramos, citharas, amphoras, pocula, e cornibus facta, geſtantes oſtentanteſque ludicro geſtu, qui inducuntur vel barbati vel imberbes, cum auribus acutis: ad haec caudis inſignes, interdum etiam perſonati exhibentur, varias hominis aetates referentes, mitris vel coronis hederaceis redimiti. FAVNAE imaginem habes in Tabula LXVII. num. I. quae caput habet ſemitectum velo, bullaque ante pectus ſubnexo: Ea imago ex argilla confecta eſt egregia arte: de qua, deque reliquis, in eadem Tabula relatis, nonnulla mox adnotabo.

SATYRORVM proſopographia haud eſt FAVNIS diſſimilis: hi tamen, non ut apud Graecos & Latinos, cum hircinis capriniſve pedibus, ſed omnino humanis conſpiciuntur: ex facie vero facile eos dignoſcas, qui vel hircos vel capros referunt, naribus ſimis. Vnum tantum SATYRVM, in Etruſca patera caelatum, quam inferius profero e Muſeo Collegii Romani, ad hunc uſque diem obſervavi, cum pedibus hircinis expreſſum, qui cum BACCHA ſaltat, ſimulque lyram plectro pulſat; neque tamen coxas, crura ac tibias habet villoſas & hirſutas, ſed humanis omnino ſimiles.

Exſtat etiam in Mediceo Muſeo aereum ſignum elegantiſſimum, & quidem maxime rarum, quod SATYRAM ſedentem repraeſentat, ut vides in ſuperiore Tabula LXIIII. num. II. & III. expreſſam: Tuſcanicique operis notas omnes praefert: tenetque, more Etruſcorum Deorum, pomum laeva manu. Eadem SATYRA praeter acutas aures caudamque breviuſculam, villoſas habet coxas & crura, pedeſque caprae ſimillimos. Obſervare etiam lubet *τὸ πλεξείδιον*, *nexum capillorum*, ſive *πλόκον*, *πλέγμα ἐκ τριχῶν*, *intortum capillitium*, in orbem contextum, cum Bacchi tum Baccharum proprium, quod etiamnum apud monticolas Etruſcarum regionum feminas in uſu eſſe videmus. Has quoque Bacchi famulas & miniſtras Etruſci in honore habuerunt: minimo tamen honore, in comparatione cultus Deorum maiorum gentium, dignati ſunt; quare nil mirum, ſi, praeter morem, iiſdem ferinos pedes tribuerunt. Non enim video Etruſcos propoſuiſſe Numina ſuperioris ordinis cum huiuſmodi pedibus brutorum.

In Tabula LXVI. duo vel FAVNORVM, vel, ſi mavis, SATYRORVM ſigna ex aere adferuntur e Gaddiorum Cimeliis, quae, quum aliquod vas Bacchi donarium ſuſtinuerint, in tigrem, unico pede inſiſtentem, deſinunt: neſcio tamen an in primo ſigno tigris expreſſa ſit, quae barbata fingitur. Eorumdem FAVNORVM protoma foliis arborum cingitur: cervina pellis, ſubne-

xa eleganti fibula ſeu bulla, veluti chlamys, pendet e laevo humero.

Centavros pariter in honore fuiſſe apud veteres Tuſcos, perſpicue intelligimus ex adlatis Vrnis cinerariis in Dempſteriano Opere Tabula XXI. num. I. & II. Hi enim cum Pirithoo Lapitharum rege pugnantes exhibentur, & quidem varia ſpecie; nam in urna Peruſina, priore loco edita, centavrvs pugnans, clypeo munitus, duos tantum habet pedes humanos, ſi coxam & tibias ſpectes: ſi vero plantam, equinos: praeterea etiam caudatus expreſſus eſt. In altera vero Peruſina Vrna, relata in eadem Tabula num. II. centavrvs, contra eumdem regem ſaxis pugnans, duplici natura conſtat: pedes vero quatuor equini ſunt. Singulare eſt aereum perparvum ſignum, prolatum in Tabula LXV. num. III. quod Peruſiae exſtat in Muſeo Montemellinio; nam centavrvs expreſſus eſt naturae duplicis ſpecie, humanae & equinae: nimirum pedibus humanis in anteriore parte corporis: in poſteriore vero equinis, non ſecus ac viſebatur in antiquiſſima Cypſeli arca, quam deſcribit Pauſanias (1). Quid utraque manu antiquitus praetulerit, an haſtam, an vero thyrſum, quum ſint manus labefactatae, haud facile dictu eſt.

Bacchantes quoque viri & bacchae feminae in Vaſculis Etruſcorum aliter pictae ſunt, quam ſpectentur in monumentis tum Graecorum tum Latinorum. Bacchantes ſaltant capite coronato hedera, haſtaſque ſive thyrſos iactant, crateres & myſticas ciſtas vel arculas in Orgiis circumferunt: lyra vel tibiis canunt, buccinave perſtrepunt: ſciſſa ligna mànibus tenentes ludunt atque ſubſultant: interdum tenent amphoras, pocula, crateres: interdum bacchas territant & inſectantur, eaſque apprehenſis veſtibus detinent: bacchae vero exhibentur ſaltantes, cymbala pulſantes, veſtibus amictae ornatiſſimis; aliquando calceatis pedibus elegantibus cothurnis, ut in Tabula XI. Dempſteriani Operis: comtis omni ornatu cultuque capillis: nunc thyrſos gerunt, vel corollas elegantiſſimas: nunc myſticas ciſtas & arculas, vaſcula, crateres, crotala, flabella, umbracula portant (2): quibus picturis ſpectantium oculi in conviviis, ludis, Dionyſiis feſtis, celebritatibus & pompis Deorum, mirifica voluptate recreabantur exhilarabanturque. Inferius proferam inſigne, ut auguror, donarium vel baccho vel etiam bacchis conſecratum, quod Faeſulis inventum eſt, Sardae inciſum; nam in eo bacchae ſeu maenades ſculptae ſunt alio veſtium capillorumque cultu, varioque modo ſaltantes.

In

(1) In Eliacis Lib. v. Cap. xix.

(2) Tab. xxvii. xxix. lxiv.

In Tabula LXVII. num. III. & IV. obſervanda ſunt capita BACCHARVM, argillae impreſſa: quae ſtatim ac eruta ſunt menſe Decembri, anno CIↃ.IↃ.CC.XXVIII. in agro Senenſi, quarto ab urbe lapide, in praedio Illuſtriſſimi viri Ioannis Baptiſtae Tommaſii, Patricii Senenſis, quod iacet in colle inter Montemapertum & *Pancole* (quod loci nomen indigitat Panos Dei cultum, ut ſuſpicor, quod forte in eo Panos Dei fanum fuerit) ad manus meas venere, ut obſervarem: quod non ſine magna voluptate mihi contigit. Nam tum haec capita, tum alia duo, quae in eadem Tabula LXVII. exhibentur num. I. & II. Faunamque & Satyrum ſive Silenum aliquem e numero famulorum Sileni referunt (& ipſa ex argilla eximio artificio expreſſa) inaurata erant: aurique & bractearum reliquiae, quae remanſerant, inſignes, nec adeo tenues erant. Eo etiam in loco ſepulcretum inventum eſt, ollis & urnis cinerariis compluribus refertum, quas proferam ſuo loco: erantque Etruſcis litteris ac titulis inſcriptae: quorum accedente auctoritate, quin haec capita pro donariis ſuſpenſa fuerint, vel tamquam monumenta pro gratiarum actione poſita in templo BACCHI vel PANOS Dei, quod apud Etruſcos Senenſes fuit, dubitare minime poſſumus.

Ne locus in eadem Tabula vacuus ſupereſſet, adieci Etruſcam arculam ſepulcralem e Tiburtino lapide, litteris Etruſcis inſcriptam, in qua ad defunctorum tutelam ſculpta eſt larva, ſeu potius perſona ſcenica cum lingua exerta, de qua mox dicam.

TABVLA LXVIII.

CORONIS NYMPHA
una e nutricibus Bacchi pueri.

BACCHVM infantem, recens natum, ut veteres tradunt Mythologi (1), atque uti exhibet ſculptura marmorei vaſis, eximium Salpionis opus, quod exſtat Caietae, ab eruditiſſimo Sponio in lucem editum (2), Mercurius ad LEVCOTHEAM, ſive INO detulit (3), quae omnium prima ubera

V 2 pue-

(1) Auctor Hymnor. qui Orpheo vel Homero tribuuntur. Ovidius Metamor. Lib. III.

(2) In Miſcellan. erud. Antiquit. Sect. II. Artic. I. pag. 25.

(3) Vide Pauſaniam in Laconicis Lib. III. Cap. XXIV.

puero dedit : deinde enutriendum educandumque NYMPHIS NAXIIS tradidit , quarum nomina , a Diodoro Siculo pervulgata (1) , haec ſunt : PHILIA , CORONIS , CLEIS ; nam Naxii apud ſe Bacchum nutritum adfirmant ; ideoque Naxum inſulam ei dilectam , & a quibuſdam Dionyſiadem adpellatam , praedicant. Certant e contrario Braſiatae (2) , certant etiam Arabes , qui in Nyſa inſula Liberum Patrem nutritum iactant a NYMPHIS NYSIADIBVS , quemadmodum docet idem Diodorus (3). Vtcumque res ſit , Etruſci quoque apud ſe Bacchum puerum , a Nymphis nutritum fuiſſe , credidere , ut auguror ex hoc aheneo elegantiſſimo ſimulacro , quod ab oblivione , atque a tenebris vetuſtatis vindicatum , in lucem profero e Mediceo inſignium monumentorum Promptuario. Primum , quod ab Etruſco Statuario ſit confectum , indicat torquis , eximium Etruſcorum ornamentum , Diis dari ſolitum : indicat etiam eiuſdem ſculpturae character & indoles. Quod vero vel e DIONYSIADVM NYMPHARVM numero unam referat , dubitandi locum eſſe non video ; nam capite , tamquam inſigne ac ſymbolum , praefert pampinum , qui in inferiore parte ita circumvolvitur & ſinuatur , ut concham referat , aquae vel laticis capaciſſimam. Praeterea , quum ſit toto fere corpore nuda , reiecto in poſteriora amiculo , quod e laevo brachio pendet , dextrumque genu & tibiam velat ; pedes ornantur calceis : qui mos Etruſcis eſt valde frequens & familiaris. Cum adſimili faſtigio, ſive corona pampinea , cernitur Bacchi imago in aereo clypeo expreſſa apud eruditiſſimum Cauſeum (4): quam etiam Etruſci operis eſſe, haud difficulter credam. Exſtat etiam in regio Mediceo Theſauro adſimilis corona , ſed longe ornatior , ad exemplum pampini confecta , quae pariter radiata eſt : radiiſque maioribus cernitur globulus impoſitus , tamquam gemma , eo fere modo , quo corona Marchionum & Comitum , rei Heraldicae peritis ſatis nota , nobilitatur ; ab Etruſcis , ut videtur , deſumta : eam ex aere conſtantem, expreſſam vides in Tabula LXVIIII. Eo prorſus modo ſculpti ſunt radii in limbo veſtium Deorum , ut vidimus in imagine Vertumni relata in Tabula II. atque in veſte Iunonis Reginae apud Dempſterum Tabula II. Hanc coronam (cui in medio adhaeret annulus pro manubrio , ut facilius caperetur vel ſuſpenderetur ; quam etiam antiquitus auro ſuperfuſam fuiſſe reor) donarium Bacchi maxime proprium fuiſſe arbitror : qui,

(1) Biblioth. Hiſt. Lib. v. pag. 225.
(2) Vide Pauſaniam in Laconicis Lib. III. Cap. XXIV.
(3) Biblioth. Hiſt. Lib. III. pag. 141.
(4) In Muſeo Romano Sect. II. Tab. II. pag. 34. 35.

qui, ut tradit Philonides Medicus in libro de Coronis & Vnguentis apud Athenaeum (1), e rubro mari vitem tranſtulit in Graeciam: ornatuſque tempora pampino a Poëtis frequenter deſcribitur.

Obſervandum ſupereſt, quod NYMPHA DIONYSIAS oculis clauſis ſculpta eſt, dextro brachio ad genas admoto: qui geſtus doloris index eſſe ſolet. Huius rei arcanam ſignificationem, ni fallor, aperit Theophraſtus, qui libro de Temulentia ita ſcribit, ut refert idem Athenaeus (2): Ὅτι τοῦ ΔΙΟΝΥΣΟΥ τροφοὶ αἱ ΝΥΜΦΑΙ καθ' ἀλήθειαν. αἱ γὰρ ἄμπελοι πλεῖστον ὑγρὸν χέουσι τεμνόμεναι, καὶ κατὰ φύσιν δακρύουσι. Id eſt: *Bacchi revera nutrices fuere* NYMPHAE; *ideo quod putata vite, manat humor plurimus, & natura vitis lacrymatur*. Etruſci hoc rariſſimo NYMPHAE ſimulacro (quam non invitus vocaverim CORONIDEM, de qua Diodorus Siculus (3); eo quod corona pampinea cum eius nomine perbelle congruat) plura ſimul exprimere, magna ingenii perſpicacia praediti, voluere: nempe vitis amputationem, e qua manant lacrymae; ideo quaſi dolentem & ſemianimem effinxerunt: & vinum aqua temperandum eſſe, quia eiuſdem NYMPHAE imaginem ceteris Nymphis aquatilibus & fontinalibus valde ſimilem fecere: quae ſeminudae finguntur, concham aquarum capacem, vel urnam manibus tenentes, vel folium latum, vel herbam latifoliam, quam *Nymphaeam*, de qua Plinius (4), eſſe putat Raphaël Fabrettus, qui Nympharum imagines adfert ex antiquis ſculpturis veterum Romanorum (5). In rem meam facit, id quod Philocorus ſcribit apud Athenaeum (6), Amphictionem regem Athenienſium, quum a Baccho didiciſſet vini temperandi rationem, primum diluiſſe: & idcirco, qui ſic mixtum biberant homines, rectos ambulaſſe; quum antea curvi ob meri potum incederent: ob tantum beneficium eum aram Baccho, quem cognominavit ΟΡΘΟΝ *Rectum*, aedificaſſe in Horarum delubro; quoniam Horae vitis fructum educant: & proxime illam, NYMPHIS alteram exſtruxiſſe: documentum bibituris, vinum temperandum eſſe, quia NYMPHAS Bacchi nutrices fuiſſe veteres tradiderunt. Praeterea, ait, legem promulgaſſe, ut ſtatim cum cibis, deguſtandum ſolum meri nonnihil adferretur, quod BONI GENII, quam magna poteſtas ſit, declararet: deinde poſtea, ut temperatum quiſque biberet quantum eſſet libitum, ſed cum praefatione nominis

(1) Deipnoſ. Lib. XV. Cap. XV. pag. 675.
(2) Deipnoſ. Lib. XI. Cap. III. pag. 465.
(3) Bibl. Hiſtor. Lib. V. pag. 225.
(4) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. VII.
(5) Diſſertat. II. de Aquis & Aquaeductibus pag. 99. 100. 101.
(6) Deipnoſoph. Lib. II. Cap. II. num. 19. pag. 38.

minis Iovis ΣΩΤΗΡΟΣ , *Servatoris* , pietatis ergo : potaturique ut meminiſſent , pro indubitato ſalvos ſe ac incolumes fore , ſi ad eum modum biberent . Memorat Pauſanias (1) , Liberum Patrem percuſſiſſe terram thyrſo , e qua fons erupit , quem Meſſenii Dionyſiada nominarunt .

TABVLA LXVIIII.

DRYAS NYMPHA
arborum , fructuumque arboreorum praeſes , ab Etruſcis culta .

QVo nomine NYMPHAS , arboribus fructibuſque earumdem praeſides , Etruſci adpellarint (quas Graeci , atque ex his Latini DRYADAS dixere ἀπὸ τῆς δρυὸς : itemque HAMADRYADAS , quod ἅμα ταῖς δρυσὶ : hoc eſt ſimul cum arboribus naſcantur , & interire videantur) incompertum mihi eſt : illud tamen perſpicuum eſſe arbitror , luce ac teſtimonio huius ahenei ſimulacri rariſſimi , & quidem dubio procul eximii operis Tuſcanici (quod hac ipſa die , dum haec ſcribo , peropportune comparavi , atque inter mea cimelia recondidi) eaſdem NYMPHAS Etruſcis non ſolum cognitas , verum etiam honore maximo cultas fuiſſe . Arcas , Calliſtus filius (a quo rege & ipſa , quae antea Pelaſgia dicebatur , Arcadia terra ; & gens , qui Pelaſgi fuerant , Arcades nominati) habuit uxorem , cui nomen Erato fuit , non mortalem feminam , ſed unam e Dryadibus Nymphis : quas ipſi Arcades patria voce , ut memoriae proditum a Pauſania (2) , DRYADAS vocitarunt , & *Epimeliadas* , quas alii *Naiades* dixere . Liquido igitur conſtat , DRYADVM Nympharum cultum in Italia eſſe antiquiſſimum : nec ſolum probe notum Arcadibus ſive Pelaſgis , qui Etruriam incoluere ; verum etiam ipſis Etruſcis .

His NYMPHIS Etruſci , uti ex hoc inſigni ſimulacro intelligimus , alas divinitatis praeſentiſque virtutis indices dedere : & quidem non demiſſas , aut in quiete cohibitas , ſed expanſas volantique ſimiles : quibus etiam Numina ſua , praeſertim Conſentia ,

& , ut

(1) In Meſſenicis Lib. IV. Cap. ultimo. (2) In Arcadicis Lib. VIII. Cap. IV.

&, ut aiunt, maiorum gentium; exornarunt; ut earumdem auxilium velox & paratum ſignificarent. Caeleſtis hiſce inſignibus maieſtatis, adde divinum diadema, ſive mitellam e coma eiuſdem NYMPHAE eminentem, quae ſacri cultus index eſt, Etruſcarumque Dearum familiare ornamentum.

Quid ni igitur credam, hoc ſimulacrum unam referre e DRYADIBVS ſive HAMADRYADIBVS; quum ita expreſſa ſit, ex antiquorum Theographia, adſurgens, prodienſque, tamquam ex arbore, e patulo calyce, qui undique elegantibus latis foliis, ni fallor, quercus, quae omnium arborum eſt maxime longaeva, ſalutaris, Deiſque gratiſſima, vallatur? Adde, quod nec pedes habet, atque ita exprimitur adparetque averſam corporis partem reſpicientibus, quaſi ex' ipſo caule iam orta videatur. Conſtat enim, veteres, e priſcis Poëtarum fabulis, crediliſſe, NYMPHAS DRYADAS, tum ex aliis arboribus, tum maxime e quercubus fuiſſe ortas (1). Feſtus docet, *Querquetulanas viras* dictas: quo nomine ſignificabantur Nymphae praeſidentes querqueto vireſcenti. Nonnulla de his ſupra adnotavimus (2).

Toto corpore nuda eſt; niſi quod e dextro humero tamquam chlamys pendet veſtis, vel cervae vel hinnuli ſpolium, in cuius ſinu gerit multiplices arborum fructus, quos ſiniſtra ſuſtinet: dextra vero eorum beatam copiam oſtendit patefacitque. In hunc fere modum paullo ante expreſſum obſervavimus Priapi ſive Vertumni ſimulacrum in Tabula LVIII. num. 1. non ſecus ac ſeipſum pingit apud Propertium (3):

Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama eſt;
Hortorum in manibus dona probata meis.

Quia vero hinnuli vel cervae ſpolio indutam videbam, e cuius ſinu fructus oſtentat; primum ſuſpicabar, forte referre poſſe NYMPHAM Vertumni comitem, vel potius Priapi, cui tale ſpolium tribuitur ab Etruſcis & Latinis: adeoque facile *Triapinam* poſſe cognominari: quo etiam cognomine ornatur Diana, ab incolis Heracleae Ponti culta, de qua Plutarchus (4): verum contrarium oſtendere animadverti quercus lata folia, e quibus NYMPHA adſurgit & continetur: adeoque non aliam, quam unam e DRYADIBVS vel HAMADRYADIBVS referre poſſe cenſui.

TA-

(1) Vide Spanhemium in Callimachum in Hymn. in Del. num. 81.
(2) Pag. 72. Tab. XX.
(3) Lib. IV. Eleg. II. verſ. 41.
(4) In Vita Luculli pag. 499. edit. Pariſ. 1624.

TABVLA LXX.

CALLIOPE.

Muſarum princeps : eius cultus apud Etruſcos adſtruitur ex inſigni pictura Etruſci Vaſis Muſei Barberini.

VIrgines MVSAS ceteris iam enumeratis Bacchi comitibus adiungimus , quia , ut ferunt , eum contra Indos euntem , & ubique peregrinantem ſecutae ſunt : carminibuſque melicis ac tripudiis , bonarumque artium ſtudiis mirifice oblectarunt (1). Alio modo Graeci ac Latini (2) , alio Etruſci eas expreſſerunt , ut videmus in hoc rariſſimo Vaſculo , quod exſtat Romae in locupletiſſimo Muſeo Barberino . Graeci comtis crinibus , ac more virginum revinctis , totoque corpore ſplendida palla amicto, repraeſentarunt : Etruſci vero non ſtantes , ſed in aëre adparentes , paſſis capillis , coronatoque capite , duplici veſte laxioribus cum manicis amictas , & cum alis additis , non capiti , ſed humeris , exhibuere . Quae in hoc Vaſculo expreſſa cernitur , ea , ni fallor , eſt CALLIOPE , Muſarum omnium antiquiſſima , teſte Ariſtarcho , atque earum princeps , ut tradit Apollodorus (3). Quum enim iuxta Platonicos (4), ſingulis orbibus caeleſtibus ſua praeſit Muſa , quae eos cantu temperet & moderetur , immo etiam animet (nihil enim aliud eſſe Muſas Philoſophi putarunt , quam caeleſtium orbium animas atque mentes) CALLIOPEN univerſo tribuunt , quae molem hanc mundi regat , & infuſo ſpiritu moveat , quaſi CALLIOPE ſit omnium aliarum complexa virtutes : quare alii hanc ſolam poëticae ſtudiis , reliquas Muſas aliis praeſidere diſciplinis adfirmant (5) . Quia vero CALLIOPE a Poëtis invocari prae ceteris ſolebat , dum carmina & hymni in honorem Deorum canerentur , ideo expreſſa eſt cum lyra adparens , favenſque praeſentia ſua Poëtae vel Hymnologo , qui pictus eſt in altera parte eiuſdem Vaſis : atque ex geſtu ali-

(1) Ex Diodoro Siculo Biblioth. Hiſtor. Lib. III. pag. 148.

(2) V. Muſei Flor. Vol. II. Tab. IV. VIII.

(3) Biblioth. ſive Deor. orig. Lib. I. pag. 6.

(4) Apud Macrobium in Somn. Scipionis Lib. II. Cap. III.

(5) Vide Benedictum Averanium Diſſert. XIX. in Virgilium num. 1. 2. 3.

aliquid canere vel eloqui videtur, duplici talari tunica ſine manicis indutus, & quidem non laxa, ſed ſatis anguſta, qualis hodie Monachis viriſque Deo ſacris & religioſis in uſu eſt.

Eadem MVSA lyram ſeu citharam pentachordon praefert; non vero pulſat, quia in aëre ſuſpenſa: quae quidem lyra peculiari modo eſt fabricata. Sacrae vittae ſeu taeniae ex ea religatae dependent, honoris & cultus gratia adiunctae; quia eximium hoc inſtrumentum maxime ſacrum & venerandum habebatur, ea potiſſimum de cauſa, quod eo Deorum laudes, Heroum geſta, & arcana Aſtronomiae ac Philoſophiae canebantur. Accedit, quod Philoſophi Pythagorici, quorum placita & doctrinam ſecuti ſunt Etruſci, Muſicam divinam eſſe ſcientiam exiſtimarunt (1), cui MVSAS Caeli filias, una cum Saturno natas, praeeſſe crediderunt. Fuere apud veteres Tuſcos Poëtae & Hymnologi maxime celebres, qui in pompis Deorum ſacra carmina pangebant, & in ſolemnibus epulis & conviviis cantu convivas oblectabant.

Hoc vero Vas elegantiſſimum, pro donario CALLIOPAE forſitan dedicatum fuit: vel Tuſco Hymnologo aut Poëtae victori, pro praemio datum in Muſicis ſeu Muſeis certaminibus.

TABVLA LXXI. LXXII. LXXIII.

HERCVLES

cultus ab Etruſcis; praeſertim vero a Florentinis, Veliternis, Tudertibus, Puteolanis, Tiburtinis, Mediolanenſibus, Brixienſibus, Arretinis, Lucenſibus, aliiſque, qui recenſentur.

HERCVLIS cultus tota Etruria maxime celebris & frequens fuit; omnem enim hanc regionem & Campaniam univerſam maleficiis purgavit, impios immaneſque homines interemit, Deorum divinos honores auxit & amplificavit; quare Deorum COMES, ut in vetuſtis aris dicitur (2),

X fieri

(1) V. Strabonem Geograph. Lib. x. pag. 468. (2) Apud Reineſium Synt. Cl. I. 71.

fieri meruit. Id oſtendunt complura eius ex aere atque e marmore ſimulacra, quae iam apud nos eruta ſunt, quaeque in dies eruuntur: pondera ſive áſſes, nummis perquam ſimiles, qui in poſtica parte Herculeam clavam cum Etruſcis hiſce characteribus exhibent, ıᐊOЯᒧAƎ, hoc eſt *Velatri:* ſive ƎЯƎꓕVꓕ, id eſt *Tutere:* qui forſitan ad Veliternos & Tudertes pertinent, qui monetam ſuam hoc inſigni celeberrimo, &, ut arbitror, alii quoque eius capite, ut infra videbimus, conſignarunt. His monumentis vetuſtiſſimis adde pateras ex aere, in ſacris Deorum faciundis adhibitas, quae eius nomen ita inſcriptum praeferunt, ᒧVϽЯƎB, nimirum *Chercul*; ut in Tabula II. apud Dempſterum: vel, ut in altera Tabula VI. in qua Etruſcae litterae alio modo (quo etiam Tuſci interdum uſi ſunt) ſcriptae viſuntur, a laeva ſcilicet ad dexteram, qui iam apud occidentales nationes invaluit, nimirum BEDKOLE, *Cherkole:* ſi tamen revera inter K & L perparvum o ſit medium, quod Etruſco alphabeto adiiciendum eſſet: verum aeris vitium eſſe puto in patera; ſimilique modo in ea forſitan ſcriptum, ut in altera edita in Tabula II. Dempſteriani Operis, BEDKLE legendum videtur. In Gruteriano Theſauro adſertur ara HERCOLI CELERI ſacra [1]. At Latini, praeſertim vetuſtiores auctores, ut notum eſt, ad exemplum Etruſcorum dixere *Hercle*; ea uſi particula, tamquam vehementer adfirmantis, vel ſententiam ornantis vel approbantis [2].

Apud eumdem Gruterum plures arae dedicatae leguntur Herculi, variis cognominibus celebri, SAXANO, INVICTO, GILIO, SANCTO, TIBVRTINO, VICTORI, AVGVSTO, CONSORTI: quarum loca, ubi erutae ſunt, quum indicentur, colligimus ab Etruſcis Puteolanis [3], Campanis [4], Tiburtinis [5], Brixienſibus [6], Mediolanenſibus [7], Piſaurenſibus [8] dedicatas fuiſſe; nam ab Etruſcis, qui ea loca occuparunt, HERCVLIS cultus apud eos iam invectus invaluit, & uſque ad Romanorum imperium religioſiſſime viguit. Veteres noſtri Hiſtorici, qui priſcis fabulis valde ſunt delectati, in haec loca, ubi poſtea Romani Florentiam coloniam deduxere, veniſſe HERCVLEM AEGYPTIVM, & prodigia patraſſe tradunt. Hinc Herculem a primis huiuſce regionis incolis habitum pro tutelari Deo, eiuſque leonem pro inſigni delectum, ferunt [9]. Statuam HERCVLIS Florentiae obſervavit Henricus Ern-

(1) Pag. XLV. *6.*
(2) Vide Phil. Pareum in Lexico Critico.
(3) Gruterum pag. XLVI. 7. XLVIII. 2.
(4) Ibidem pag. XLIX. 1.
(5) Ibidem pag. XLIX. 3. *6.*
(6) Ibidem pag. XLIV. *6.*
(7) Ibidem pag. XLIII. 11. 12. XLIV. 12. XLVIII. 4. XLIX. 2.
(8) Ibidem pag. XLV. 2.
(9) Vide Borghinium de orig. Flor. pag. 14.

Ernſtius (1) cum hac inſcriptione ei ſubiecta, HERCVLES..DOR..FOR.. quam adfert Thomas Reineſius (2): putatque idem Ernſtius ita ſupplendam eſſe, HERCVLES INDORVM FORTITVDO. Ego vero, dummodo antiqua ſit, ita in ea ſcriptum divinor: HERCVLES DORIPHORVS, vel DENDROPHORVS: quo etiam cognomine vocatur in vetuſtis aris Silvanus (3), vel quod ipſi Dii arbores ſtirpitus exſciſas, vel eorum cultores in ſacris, religionis cauſa, in humeris ferrent (4).

HERCVLIS fanum ad portum Labronis fuit, qui hodie *Liburnus* dicitur: cuius meminit Antoninus in Itinerario, ubi AD HERCVLIS legas, in via a Vadis Volaterranis ducenti. Volaterris vidi portam omnium antiquiſſimam, ingentibus quadratis ſaxis conſtructam, artificio ſane admirabili, ac certe Tuſcanico; quam etiamnum Volaterrani *portam Herculis* dicunt: iuxta quam arbitror fuiſſe HERCVLIS templum, ab Etruſcis Volaterranis conditum, quod eidem portae nomen dedit. Etiam infra Lucam memoratur Ἡρακλέους ἱερὸν, *Herculis fanum*, apud Ptolemaeum, qui illud ſtatuit inter Feroniae lucum & Piſas (5). Inter egregios HERCVLIS, Etruſcorum Dei, cultores, memorandi quoque ſunt Arretini: quod perſpicue oſtendit pervetuſta ara, edita inter Gudianas (6), quam ei M. Fodius Longus, Patronus Municipii & Coloniae Arretinorum, dedicavit.

Ad Picentes HERCVLIS cultores gradum facio. Inſigne teſtimonium profero ex antiquiſſimo eiuſdem Herculis ſimulacro aheneo, quod anno CIↃ.IↃ.CC.XXVII. inventum eſt in Sepulcro ſive Hypogeo, apud Cupram Montanam detecto. Neque eſt, cur miremur Deorum ſigna in ſepulcris recondita; conſtat enim ex antiquo ſepulcrali marmore, quod adfert Reineſius (7), ſignum Herculis dedicatum cum Genio ſimilis Familiae a Q. Alfio Aucto Tribuno militum Legionis ſecundae Adiutricis, praeter urnas cum operculis & lychnuchos, quod eſſet etiam defunctorum tutelare Numen: quandoquidem in ſepulcrorum ſculpturis non raro expreſſus eſt animas, non ſecus ac Mercurius, ad inferos deducens. Hoc ipſum ſimulacrum, & omnes antiquitatis reliquias in eo Sepulcro inventas, peraccurate delineatas eodem anno ad me miſit omni aevo colendus Praeſul Franciſcus Blanchinius: ſimulacrum vero, quod exhibeo in Tabula LXX. ſua manu delineatum, ut illuſtrarem, obtulit humaniſſime. Huiſce Sepulcri & antiquitatum

(1) Obſervat. Lib II. Cap. XXII.
(2) Claſſ. I. num. LXVI. pag. 109.
(3) Apud Gruterum pag. LXIIII. 7.
(4) V. Fabrettum Inſcr. Cap. IX. pag. 659.
(5) Conſulendus etiam Voſſius de Idolol. Lib. I. Cap. XI.
(6) Pag. XXXVII. num. 7.
(7) Vide in Cl. XI. num. C.

Digitized by Google

in eo inventarum deſcriptio, tum etiam eiuſdem Herculis imago pererudite nuper illuſtrata ſunt ab egregio Academico Etruſco celeberrimae Cortonenſis Academiae, in qua & meum nomen deſcriptum eſſe honori tribuo (1).

Hercvles, Heroum maximus & invictus, nudo corpore, athletici ſucci pleno expreſſus eſt. Laeva manu, e qua inſigne leonis Nemeaei ſpolium pendet, clavam ſuſtinet: dextera cornu, primorum hominum poculum, quo ad bibendum uſus eſt, oſtentat. Graeci (2) ac Latini opifices ſcyphum ei dederunt, Baccho vero cantharum: cuius rei rationem reddit Macrobius (3), quae iam apud eruditos eſt maxime trita ac pervulgata. Hercvlem bibacem repraeſentarunt omnes nationes, atque ut videmus etiam Etruſci; quia eum Bacchi comitem adiutoremque in expeditione Indica atque in triumpho fuiſſe putarunt. Duo ſunt in hoc rariſſimo ſigno maxime notatu digna, diadema, peculiaris & inſolitae formae, capitis eiuſdem hercvlis ornamentum, quo Bacchum ipſum, in Etruſco Vaſe pictum, aliquantulum imitatur (4): alterum vero compedes, ſeu maſſa plumbea, qua eius pedes continentur detinenturque. Si nulla alia exſtarent indicia, ipſum diadema ſine vittis dependentibus, Etruſcorum more omnium antiquiſſimo, ea ſpecie conſtructum, ſufficeret, ut ab Etruſco artifice hoc ſimulacrum fabricatum crederemus; ſed alia quoque adſunt, nimirum opificii indoles, locuſque ipſe, in quo erutum; nam, ut vidimus, apud Cupram Etruſci inſigne templum Iunoni dedicarunt, quam ex loco ei ſacro cvpram cognominarunt. Iam etiam ſupra adnotavimus (5), Etruſcos conſueviſſe, priſca ſuperſtitione, Deorum indigetum ſervatorumque urbium ſimulacra baſibus plumbeis infigere, uncis & plumbeis vinculis includere ac vincire, ne evocati ſacris carminibus ad hoſtes migrarent, vel etiam ſua ſponte excederent, relictis urbibus, quae in eorum tutela erant. Hac de re praeſtat, Alexandri ab Alexandro inſignes obſervationes (6), tamquam gemmas, hoc in loco interſerere. *Erat enim*, inquit, *vetus mos, ut in urbium obſidione, ubi ad ultimam dimicationem ventum eſſet, tutelares Deos, ſub quorum praeſidio urbs foret, certo carmine & verbis conceptis, in novas ſedes evocarent, templaque ampliora & ſolemnes aras illis promitterent; nefas opinati, Deos urbium praeſides, urbe hoſtiliter direpta, velut mancipia captivos babe-*

(1) Diſſertatione V. in libro, qui inſcribitur: *Saggj di Diſſertazioni Accademiche delli Accademici Etruſci di Cortona*.

(2) Vide Gemmas antiquas Sculptorum nomine inſig. editas a Cl. de Stoſch Tab. I. Cauſeum in Muſ. Rom. Tab. XXX. XXXI.

(3) Saturnal. Lib. I. Cap. XXI.

(4) Vide apud Dempſterum Tab. XI.

(5) Claſſ. I. Tab. II. pag. 9. Tab. III. pag. 15.

(6) Genial. Dierum Lib. VI. Cap. IV.

habere. Perſis vero & Aegyptiis nullos patrios habere Deos in uſu fuit; quod evocationibus illos migrare ex oppidis, & ſine tutela deſeri timerent. Alii vincla & catenas adnectebant Diis. Nonnulli ſponſores a Diis petebant, ne evocarentur & abirent. Tyrii enim obſidione preſſi, Herculis ſimulacrum, quod magna religione colunt, ne urbem desereret, aurea catena devinxere. Alii etiam, quum ad lavacrum aut luſtrationem deducerent Deos, fideiuſſores pro reditu exigebant, ut notat Plutarchus (1). Ita quoque Romani tutiſſime & conſtantiſſime adſervari Deum crediderunt, qui neque de nomine notus eſſet aliis. Fuit in Capitolio clypeus conſecratus, in quo ſcriptum: *Genio Vrbis Romae, ſive mas ſive femina* (2). Ipſi quoque Dii interdum ſtationes ſponte mutare velle credebantur. Id accidiſſe memorat Dionyſius Halicarnaſſenſis (3) ſimulacris Deorum, a Troia Lavinium devectis ab Aenea: quae quum Albam tranſlata eſſent, & in penetralibus templi recondita, ſequenti nocte, clauſis foribus, inviolatoque tecto & parietibus, mutata ſtatione in priſtinas ſedes tranſiſſe reperta ſunt. Proditum quoque eſt antiquis, quum Troia excidio propinqua eſſet, viſos eſſe Deos e ſuis templis ſua exportare ſimulacra. Ita Sophocles (4) induxit Deos ſuis humeris ſua gerentes ſimulacra. His igitur de cauſis omnes fere nationes, ut ſupra etiam animadvertimus, ſimulacra Deorum vinculis compedita fecere: Etruſcique ea praeſertim impedierunt, vel intus etiam fuſo plumbo, vel additis externe vinculis, quae habitu ſtantis efficta erant, quaeque ad movendum ſe loco faciliora videbantur; id autem non feciſſe video Diis, quos in ſuggeſtu vel ſolio ſedentes, quaſi in quiete expreſſerunt.

Sequitur in Tabula LXXII. e Mediceo Cimeliarchio depromtum, HERCVLIS aereum ſignum pulcherrimum, exquiſito opere Etruſco perfectum: cui aliud omnino ſimile ibidem adſervatur. Eius capilli perraro artificio ita caelati concinnatique ſunt, ut ſquamas piſcium referant. Sub ſolio ſive ſuggeſtu alia opera coniuncta viſuntur, quae praetermiſi: indicantque, hanc imaginem emblema ſive ornamentum vaſis fuiſſe. De his vaſorum emblematis diſſerui in Parte II. Inſcriptionum antiquarum, quae exſtant in Etruriae Vrbibus (5). HERCVLES cum tribus pomis, quae abſtulit ex hortis Heſperidum, caeſo dracone pervigili, ſopitaque ſomno una e quatuor ſororibus Nymphis, quae arborem & poma obſervabant, ſculptus eſt ſereno vultu atque hilari, non bar-

(1) In Quaeſtionibus Romanis pag. 279.
(2) Ex Servio in Virgil. Aeneid. Lib. II. verſ. 351.
(3) Antiquit. Rom. Lib. 1. pag. 54.
(4) In Fabula *Simulacriferis*.
(5) Inſcr. Praten. pag. 134. 135. 136. 137.

barbatus, ut Graeci ac Romani artifices facere conſueverunt (1); ſed imberbis, atque iuvenili florens aetate. Hoc HERCVLIS POMARII ſigno exornatum fuit vas, forte in eius templo pro donario conſecratum, vel athletae datum pro praemio: forſitan etiam in menſis ad convivas exhilarandos propoſitum; fuit enim, ut alibi obſervavimus, HERCVLES menſarum Genius & tutela, quem *Epitrapezium* dixere (2); nam admodum bibax epulandique ſtudioſiſſimus, omniſque laetitiae & voluptatis, ut & laborum, cupidiſſimus fuiſſe perhibetur (3).

Proponitur in Tabula LXXIII. duplici ſchemate expreſſum aereum ſignum HERCVLIS, leonem, vel Cithaeroneum vel Nemeaeum, ſuffocantis: qui, uti deſcribitur ab Apollodoro, iniectis leonis collo manibus, eo uſque conſtrictum tenuit, donec ſuffocaret. Exſtat hoc ſignum Etruſco opere vetuſtiſſimum in Muſeo M. Antonii Sabbatinii, percelebris Antiquarii Romani, nunc penes eius heredem Paullum Buliellium, quod ad me accurate delineatum miſit vir genere atque eruditione Praeclariſſimus Eques & Marchio Franciſcus Victorius. HERCVLES, POLLENS, INVICTVS, ut videmus, in hoc laborum maximo & difficillimo, ab Etruſcis alio geſtu nixuque ſculptus eſt, quam Graeci Romanique ſculptores exhibuerunt.

TABVLA LXXIIII.

CASTOR ET POLLVX
Dii Magni, ab Etruſcis culti.

HErculem ſequuntur DIOSCVRI, eius comites, qui cum eo aliiſque Semideis, uti deſcribit Philoſtratus (4), ad aureum vellus conquirendum navigarunt. Abrepto vellere, Argonautae in Tyrrheniae tranſitu, ad inſulam Aethaliam advecti, pulcherrimum ibi portum Argoum de navi ſua nuncuparunt: ad eumque modum in Etruria portum, octingentis a Roma ſtadiis, Telamonem nominarunt: inde per Iſtrum ſubve-

(1) Vide Muſei Florent. Tom. III. Tabula LXVII. LXVIII. & inter Donianas Inſcript. Tab. VII. num. II. pag. LVIII.
(2) Vide Statium Silvar. Lib. IV. Martialem Lib. IX. Epigr. XLIV. XLV.
(3) Ex Athenaeo Deipnoſoph. Lib. XII. Cap. I.
(4) Imagin. Lib. II. de Glauco Marino.

ſubvecti, in Adriaticum inde ſinum intrarunt; quemadmodum a Diodoro Siculo memoriae proditum (1). Haud igitur ambigendum eſt, hos Deos Etruſcis cognitos, magno in honore & cultu fuiſſe. Id etiam teſtantur pondera ſive aſſes Etruſcorum, in quibus binae clavae, quae tum ad Herculem, tum etiam ad hos Deos pertinere poſſunt, impreſſae ſunt, addita etiam manu aperta, ceſtibus munita. In his monetis Etruſcae litterae inſculptae ƎꓤƎ+V+, *Tutere*, quas forſitan Tudertes, tum Herculis tum Caſtorum cultores eximii, conſignarunt (2). Pollux Homero πὺξ ἀγαθὸς dicitur (3), & Φοβερὸς πὺξ ἐρεθίζειν Theocrito (4), quod ceſtibus & pugnis valeret: eoque Amyci Bebriciae regis, infeſti advenis & crudelis, pugilatu victor extiterit (5).

Castori & pollvci equos adſignarunt veteres propter inſignem equos regendi peritiam. Theocritus hanc laudem praecipue castori tribuit, quem Ιππολίδαν vocat: traditque eum belli gerundi ſcientiam Herculem docuiſſe (6). In Vaſe Etruſco, apud Dempſterum edito (7), quod exſtat in Mediceo Cimeliarchio, pictus eſt castor ſive pollvx, qualis etiam a Theocrito deſcribitur, equum deducens, capite galeato, indutus chlamyde, gerens haſtam ſeu potius ſceptrum ſiniſtra manu, dextra vero coronam certaminum praemium; nam palaeſtris ſacriſque certaminibus praerant (8): e laqueari templi ſive aediculae pendet parazonium, & ni fallor, ſcutum cum chlamyde, in eius honorem appenſa. Eum etiam regia ornatum chlamyde cernimus in Tabula LXXIIII. num. 1. huiuſce operis, qui delineatus eſt ex archetypo ex aere elegantiſſimi artificii, quod exſtat in Muſeo V. Cl. Comitis Diamantis Montemellinii. Caput eius ornatur pileo, ad metae formam elato (antiquior conoides fuit) quamvis in aliis Etruſcorum monumentis idem pileus, dimidia parte ſectum, ovum referat, ut infra videbimus. In inſigni patera aerea Medicei Muſei (9), in qua caelatum, ut arbitror, Graecorum concilium ob raptam Helenam, eius fratres castor et pollvx Dii Ανακοί, Ανακες, Iovis filii, ſculpti ſunt cum Meleagro conloquentes: eorumque nomina Etruſcis litteris adſcripta leguntur, ad dexteram ƎꓘV+⅃V⅂ *Tultuke*, quo, ut videtur, *Pollux* indicatur: caelatuſque eſt toto corpore nudus, aperto capite, ſiniſtra lanceam ſive haſtam tenens: ad ſiniſtram *Caſtor* itidem Etruſca epi-

(1) Biblioth. Hiſtor. Lib. IV. pag. 181.
(2) Vide apud Dempſterum de Etrur. Reg. Tom. I. pag. 350. Tab. LX.
(3) Iliad. Lib. Γ.
(4) Idyll. XXII.
(5) Ibidem.
(6) Idyll. XXIV.
(7) Tab. XXVII. XXVIII. Tom. I. pag. 266.
(8) Vide Lucianum de Saltatione.
(9) Apud Dempſter. Tab. VII. Tom. I. p. 78.

epigraphe declaratur ɑv+ʒaꓘ, *Caſtur*, qui pileo phrygio ornatus, tunica & chlamyde cirrata indutus, ſiniſtra haſtam gerit, ipſumque Meleagrum (circa quem ſcriptum ƎꟼꓘAᒧƎM *Melakre*) ſedentem, eoque triſti nuncio maerentem, ad bellum vel ad vindicandas iniurias impellit [1]. Adſtat etiam Meleagri, vel ſocius vel armiger vel etiam conſiliorum particeps, Menelaus, toto corpore nudus, armatus haſta & clypeo: circa quem etiam ſcriptum ƎᒧИƎM, *Menle*, hoc eſt *Menelaus*. Aliud notatu dignum in eadem patera occurrit, quod inobſervatum reliquit Cl. Bonarrotius: aedificium (in cuius medio ſedet Meleager) Tuſcanicis columnis utrimque ſuffultum: quod quum in formam hemicycli curvetur, tribunal eſſe cenſeo, quod Etruſci veteres architecti invenere, & ab his Romani acceperunt: vox etiam ipſa *tribunal*, ex adſimili & frequenti multarum vocum apud Etruſcos terminatione, Etruſca mihi videtur. Sub pegmate eiuſdem tribunalis pendent, ornatus gratia, vela maiora, vittis religata.

In eadem Tab. LXXIIII. num. II. adiunxi perinſignem imaginem CASTORIS ſive POLLVCIS, qui equum ferocientem, pedeſtris ipſe incedens, cohibet, frena tenens. Inter eximia Etruſcorum artificum opera recenſendam eſſe plura ſuadent, praeſertim vero bullatum monile, eiuſdem equi collo adnexum, ſummo maxime in loco, nec tam laxe circa pectus, ut in pictura Etruſci Vaſis apud Dempſterum Tabula XLVIIII. & cauda non paſſis crinibus ventoque exagitante ſolutis & expanſis, uti frequentiſſime ab antiquis artificibus Graecis & Romanis factum videmus; ſed admodum rigens, preſſis iiſdem crinibus, qui nodo innexi circa finem viſuntur.

Ex dictis perſpicuum eſt, Tudertes Magnorum Deorum CASTORIS & POLLVCIS eximios cultores fuiſſe. His adde Mutinenſes, ut colligimus ex antiquae arae titulo [2]: adde etiam Cortonenſes, quorum in agro inventum eſt pulcherrimum aerei Vaſis emblema, quod exhibet Ledam eorumdem Deorum matrem, ad quam accedentem Iovem, cygni forma, aliger Cupido perbelle impellit allicitque ad amores: cuius archetypum, & ſi non viderim, ſuſpicor tamen eximii ſculptoris Etruſci opus eſſe pulcherrimum, ſingulari ſpecie, ab aliis nationibus numquam excogitata, rariſſimum. Ex Muſeo ſpectatiſſimi viri Antonii Borionii nuper illud protulit illuſtravitque in Collectaneis Antiquitatum Romanarum Tabula XXVII. Vir Clariſſimus, oppido Muſis amicus, Rodulphinus Venuti Patricius Cortonenſis & Academicus Etru-

(1) V. Suidam Tom. III. in voce χειμωνίζεις. (2) Inter Gudianas pag. LIX. I.

Etruſcus, qui etiam ea, qua pollet, eruditione, alia complura in litterariae reipublicae bonum parat opera praeſtantiſſima.

TABVLA LXXV.

NEPTVNVS
ceterique DEI MARINI, *a Tuſcis culti, recenſentur & illuſtrantur.*

NEPTVNI nomen non pauci Etruſcum eſſe cenſent: quorum ſententiae minime adverſari poſſum, quum videam ab aliorum Etruſcorum Deorum nomenclatura & ὀνομοποιΐα non abhorrere multumque differre. Ab Aegyptiacae veteris linguae vocabulo Νέφθυν, vel ex Hebraeo fonte deducit doctiſſimus Thomas Reineſius: quem ſi conſules, operae pretium facies (1). Neque etiam de eius cultu in tota Etruria dubitare poſſumus; quum Tuſci, opibus & viribus potentes, Tyrrheni Hadriaticique maris imperium longe lateque tenuerint, naveſque & anchoras aliaque maritima inſtrumenta omnium primi Italis monſtrarint. Id etiam adſtruunt complura Etruſcorum pondera ſive aſſes omnium vetuſtiſſimi, in quibus praeter Etruſcas litteras, pro inſigni nota ac ſymbolo, delphinus, tridens, anchora, itemque marina conchylia impreſſa cernuntur. In Vaſe Etruſco penes Dempſterum Tabula LXXIIII. pictus eſt cum Tritonia Pallade: quam etiam *Hippiam* ſive *Coreſiam* dixerim (2), NEPTVNVS Ἵππιος, *Equeſter*, agitans quadrigam: ex qua pictura colligimus, Etruſcos crediſiſſe, eum aurigarum & factionum Circenſium ſtudiis praeſidere & favere, equoſque domandi rationem primum mortales docuiſſe. Ludorum Circenſium apud Romanos Etruſci auctores fuere, ut infra videbimus, de Ludis differentes: quem etiam CONSVM ex eius cognomine, forſitan Tuſco, & CONSVALIA certamina, in eius honorem a Romulo inſtituta, dixerunt (3). Etruſci aurigae Circenſibus in ludis ſculpti ſunt capite tecto, circumvolutoque quodam panno, quem cucullum ſeu

Y capu-

(1) In Synt. Inſcript. antiquarum Claſſ. I. num. XCVIIII.
(2) V. quae ſuperius adnotavimus pag. 88.
(3) Vide Dionyſ. Halicarn. Rom. ant. Lib. I. pag. 26. Lib. II. pag. 100. & Onuphr. Panvinium de Ludis Circenſ. Lib. I. Cap. III.

capucium dixeris non male ; ut videre eſt in Vrna Etruſca Peruſina , apud Dempſterum edita in Tabula LXIX. in cuius explicatione haud vidit acutiſſime , ut ſolet , Philippus Bonarrotius , qui in ea Amazonum pugnam exhiberi addubitavit . Vidi alias Vrnas Etruſcorum huic ſimiles , nec iniuria temporis adeo labefactatas , quas , ut inferius oſtendam , Circenſes aurigas & ludos referre non dubito .

Hoc igitur obſervato exemplo , relatum in Tabula LXXV. num. 1. ſignum aereum , quod exſtat in Gaddiorum Marchionum Muſeo , repraeſentare haud invitus credam NEPTVNVM , qui velato capite inducitur , cum amiculo Etruſcorum aurigarum cucullo valde ſimili : habetque caput corona , aequoreis algis contexta , redimitum : quod ſane curioſum eſt , & notatu maxime dignum . Profecto in Graecorum & Romanorum ſculpturis haud facile ita expreſſam videas NEPTVNI imaginem : praeſertim imberbem , vultu iuvenili praepingui , & cum tumidis genis . Hunc Deum pectore tenus expreſſum , ex urna erumpentem , quaſi dimidia corporis parte in mari abſconditus deſignetur , perſpicue etiam indigitat tridens , quem ſiniſtra manu gerit , ſpecie raſtro ſimillimum . Marina Numina , Tempeſtatumque Deas Etruſci haud integro corpore effinxerunt . OCEANI Patris imaginem ad hunc quoque modum exhibuere Etruſci , quam in paterae iam a me editae manubrio delineatam vide (1) . Expreſſus eſt OCEANVS nudo corpore , volanti ſimilis , cum capite radiata corona exornato , utraque manu urnam tenens , e queis aquam effundere videtur .

TRITONVM capita , ex aereis prototypis deſumta , quae exſtant inter Cimelia Gaddia , oſtendere lubet in eadem Tabula LXXV. num. II. Ea pendent ex ore delphinorum , qui ſimul innexi manubrium conficiunt , Etruſci vaſis dubio procul emblemata & ornamenta ; nam vaſculis , tripodibus & candelabris , utpote Diis conſecratis , Etruſci , ut diximus , ſigilla & capita Deorum vel medii vel infimi ordinis addere conſuevere . Hinc coniicere poſſumus , Tuſcos divinis honoribus TRITONES adfeciſſe : quod etiam Charthaginienſes fecere , teſte Polybio (2) . In faſtigio aedis Saturni cum buccinis TRITONES ſuperpoſiti viſebantur , caudis merſis & abſconditis : id ea de cauſa factum , quia iam regnante Saturno Hiſtoria clara & quaſi vocalis evaſerat , quae antea muta , obſcura & incognita fuerat (3) . Haec TRITONVM capita

(1) In Parte I. Inſcript. Etruriae Vrbium Tabula XVI. num. I. pag. LXXVIII. LXXIX.

(2) Lib. VII. Vide etiam Giſb. Cuperum in Monum. ant. ined. pag. 241.

(3) Ex Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. VII. Vide etiam , ſi placet , Io. Goropium Becanum in Cron. Lib. IV. pag. 398.

capita exquiſito artificio, ingenio ſummo atque mirando perfecta ſunt. Capilli perbreves, non prolixi; hi enim natantibus impedimento eſſe ſolent. Pro barba, non ſquamae, ut in piſcibus, rigent, quas in aquatilibus & marinis huius generis Deaſtris obſervavit Raphaël Fabrettus in ſculpturis veterum Romanorum (1); ſed maris algae trifidae, & monofoliaceae pectinatim diſpoſitae: quod rarum ingenioſumque figmentum haud facile in operibus his ſimilibus aliarum nationum obſervabis.

TABVLA LXXVI.

TETHYS

Nympharum mater: an templum & oraculum in Etruria habuerit, diſquiritur.

HOmerus, Aegyptiorum Philoſophorum auctoritatem ſecutus, qui omnia ex aqua conſtare docuerunt, OCEANVM patrem Deorum; TETHYN eius uxorem, rerum primordium adpellavit (2). OCEANI imaginem caelatam in patera Etruſci operis paullo ſupra indicavimus: nunc TETHYOS, e qua Marinae Nymphae, infinito paene numero, ut Heſiodus in Theogonia, Pindarus (3) aliique fabulantur (4), ortae ſunt, icona exhibemus ex aereo ſigno, pulcherrimi atque elegantiſſimi operis, quod huius fere magnitudinis exſtat in regio Mediceorum Principum Theſauro. Superne apparet mulier formoſiſſima, undantibus capillis coronata: pomum ſiniſtra praefert, vel donarium, quod Etruſci Diis ſervatoribus, beneficis & maxime ſalutaribus tribuere: inferne deſinit in piſcem, innexis in eum modum caudis: qua quidem ſpecie non video Graecos & Romanos exhibuiſſe Marina Numina. Haec indicia (ne quid dicam de Etruſco opere politiſſimo) ſufficere poſſunt, ut huius Deae cultum apud Etruſcos evincam. Accedit Plutarchi auctoritas, qui in vita Romuli, ex hiſtoria Promathionis, quam ſcripſit de rebus Italicis, tradit iamdiu ante Romam conditam, percelebre

(1) Ad Col. Traian. Cap. IX. pag. 304. 305.
(2) Iliad. Lib. Ξ. verſ. 201. & 303. Vide etiam Plutarchum de Iſide & Oſiride.
(3) In Iſthmiac.
(4) Vide etiam Virgilium Georg. Lib. IV. verſ. 334. & alibi. Catullum Lib. III. Eleg. VI. Porphyrium de antro Muſarum. Gyraldum Synt. V. Hiſtor. Deorum.

eiuſdem Deae oraculum in Etruria fuiſſe ; cuius habito reſponſo, Rhea Silvia , Romuli & Remi mater , cum quodam Daemone concubuit . Plutarchi verba haec ſunt : Εἶναι δὲ ΤΗΘΥΟΣ ἐν Τυῤῥηνίᾳ χρηστήριον . Expectandae ſunt doctorum virorum animadverſiones ; nam Thomas Dempſterus (1) cenſet ineſſe mendum in textu , reponendumque eſſe ΘΕΜΙΔΟΣ ; quia de *Tethyos* oraculo altum apud alios ſcriptores ſilentium (quod etiam adfirmo de oraculo *Themidis* in Etruria) quamvis probabile ſit extitiſſe ; narrat enim Dionyſius Halicarnaſſenſis (2) , Graecos adpellaſſe *Themin* , mulierem divino adflatam ſpiritu , quae futura multitudini praedicere carminibus ſolebat , quam Romanarum antiquitatum ſcriptores patria lingua *Carmentam* , aliqui etiam *Nicoſtratam* adpellarunt (3) : fuitque Evandri mater , qui , ſexaginta ante Troianum bellum annis , cum Arcadum claſſe in vicina Etruriae loca adpulit (4) . TETHYOS ſacellum & oraculum apud Peruſinos fuiſſe Felix Ciattius non uno in loco adfirmat : divinaturque ex nominis reliquiis , quae in adpellatione montis , ut vulgo dicunt *Tethio* , apud eos adhuc ſuperſunt (5) : circa quem ſua tempeſtate ſaepenumero varia antiquitatis monumenta , columnas marmoreas , ſtatuas , tabulas , inſcriptiones , monetas , & donaria erui adfirmat . Apud Aſſyrios magno cum honore culta Dea Atergatis memoratur , marinae poteſtatis ſymbolum , quae ſuperne mulier , inferne piſcis erat (6) .

Proferam etiam inferius ſuo loco Vrnas ſepulcrales Etruſcorum , anaglypho opere ſculptas , in quibus Nymphae & monſtra marina exhibentur : inter haec SCYLLA , quam fabulae docent eſſe monſtrum Tyrrheni maris (7) , ſuperne retinens formam mulieris formoſiſſimae , reliquo vero corpore ſerpentem referens . Eam quoque exhibet Vrna Etruſca Peruſina apud Dempſterum edita Tabula LXXX. num. II. (8) .

Sequitur in eadem Tabula LXXVI. ara Neptuno vel Nymphis ſacra , ſicuti eius inſignia teſtantur : quae quum ex aere ſit , vel pro ſuggeſtu & throno ſignorum inſervire potuit , cuius honoris exempla in Dempſteriano Opere habentur Tab. I. VI. VII. XXVI. XXXII. vel ad ſuffitus faciendos , cremandaque odoramenta in honorem Deorum Marinorum . Adſimilem

aram

(1) De Etrur. Reg. Lib. I. Cap. XVIII.
(2) Romanar. Ant. Lib. I. pag. 24.
(3) Vide Livium Lib. I. & Servium in Virgilium Aeneid. Lib. VIII.
(4) De ea fuſius Corradinus in Vet. Lat. prof. Lib. I. Cap. 25.
(5) In Peruſiae Etruſcae monument. Hiſtor. pag. 24. 144. 201.
(6) Vide Lucianum de Dea Syra.
(7) V. Suidam in voce Σκύλλα Tom. III. pag. 340.
(8) Vide Phil. Bonarrotium ad Monum. add. Dempſt. §. XVIIII. pag. 25. qui nihil de Scylla.

Digitized by Google

aram profert Laurentius Begerus (1), quae proculdubio ad Etruſcos pertinent, radiante in ea Tuſcanico opificio.

TABVLA LXXVII.

TEMPESTAS DEA.

Nonnulla de VOLCANO ſculpto in monumentis veterum Etruſcorum obſervantur.

Alatum feminae caput, tribus etiam armatum cornibus, quod exhibeo in Tabula LXXVII. num. 1. refert, ut arbitror, DEAM TEMPESTATEM, quam Romani, Etruſcorum exemplo (etſi non negem etiam Graecorum, cuius Ariſtophanes (2) meminit) divinis honoribus conſecrarunt: eique Deae minori minorem hoſtiam, nempe nigram agnam, immolarunt: quod Virgilius (3) & Horatius teſtantur (4). TEMPESTATI aedem dedit L. Scipio Barbati filius, ut conſtat ex inſcriptione perinſigni antiquiſſima (5); quamquam, quum alii id tribuant M. Marcello, alii Metello, ſuſpicio ſuboriatur, Romae non uno in loco aedem TEMPESTATIVM fuiſſe, a pluribus dedicatam diverſis temporibus, vel etiam magnificentius refectam aut inſtauratam. Scipio, Sardiniam petens, omnium primus eam vovit, periculo tempeſtatis liberari cupiens in mari Corſico, ut Ovidius ſignificat (6):

Te quoque, TEMPESTAS, meritam delubra fatemur;
Quum paene eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Ea fuit, teſte P. Victore atque eodem Ovidio, in prima Vrbis regione, extra portam Capenam.

Etruſci alas TEMPESTATI dederunt, ut eius velocitatem, cornua, ut terribilem impetum ſignificarent (7): quod ante me Cl. Bo-

nar-

(1) Vol. III. Theſauri Regii & Electoral. Brandemburg. pag. 378.
(2) In Ranis. Vide Turnebum Adverſarior. Lib. IV. Cap. XXII. & Lib. XIV. Cap. IV.
(3) Aeneid. Lib. V. verſ. 772.
(4) Epodon Lib. Ode X. verſ. 23.
(5) Hanc explicavit Hieron. Aleander iunior, in fine Tabulae Heliacae; & Fabrettus Inſcript. Cap. VI. num. 90. pag. 461.
(6) Faſtorum Lib. VI. verſ. 191.
(7) In Obſervatione ad Diptychum Romuli pag. 238.

narrotius obſervavit. Tempeſtatem efficiunt imbres & venti, praeſertim vero Aquilo ſeu Notus (1): qui etiam alati, obſirmatoque cornibus capite in priſcis monumentis exhibentur (2).

Tempestatis caput, huic ſimile, non raro ſculptum viſitur in ſepulcris veterum Etruſcorum (3), non ſecus ac gorgonis, quae etiam ex nominis etymo tempeſtatem ſignificat (4): illud tamen animadvertendum, quod Gorgoni angues & alae vel volucrum, vel ſerpentum draconumve, itemque divinum diadema ſeu vitta in capite adduntur (5): tempestatis vero caput anguibus crinitum rariſſime occurrit, idque in una tantum Vrna apud Dempſterum obſervari poteſt (6); videtur enim in ea tempestatem referre caput in medio marini conchylii poſitum: capilli eius interdum humidi aquiſque madentes expreſſi, & quidem horrificum in modum prolixi, ut in Vrna Cluſina apud Dempſterum (7): in qua etiam notanda cornua marini monſtri adpicta; quamvis Bonarrotius ea eſſe fulmina exiſtimet (8). In alia Vrna fictili (9) tempestas dea tranſverſum tenet remum, vel, ut Bonarrotius cenſet, navis gubernaculum. Oritur tamen mihi ſuſpicio, an haec imago potius unam *Pleiadum* referat, quam ipſam *Tempeſtatem*, quarum occaſum navigandi peritis metuendum fugiendumque eſſe veteres docuere, quod ingentes tempeſtates commovere ſoleat: quae quidem in ſepulcris ſculpta, Fati vim malignam & terribilem declarat, a quo Mors dependet.

Poſt eximium caput ex aere deae tempestatis, quod exſtat in Muſeo Gaddio, ſequitur in eadem Tabula LXXVII. num. II. Deae mihi incognitae, cum monſtroſo corpore, ſigillum aheneum, inventum in agro Arretino, quod nunc adſervatur in Coratio Larario. Pectus, Etruſco more, ſtrophio, nempe faſciis pectoralibus ſeu vittis decuſſatis decoratur, adſtringente eas fibula in medio. Incertus etiam haereo, an dicam Nympham *Marinam*: crediderim potius *Terreſtrem*, quia tunica ſuccincta eſt; nam Marini Dii Deaeque nudo corpore repraeſentantur. Crura eius in draconum capita, quae manibus complectitur, deſinunt: quae etiam criſtata, & barbata effícta ſunt. Draconum criſtas, qui viderit, neminem reperiri notat Plinius (10). Aethiopes dracones

(1) Vide Virgilium Aeneid. Lib. I. verſ. 85. & paſſim ubi Tempeſtatis deſcriptio.
(2) Confer eumdem Bonarrotium ibidem.
(3) Vide apud Dempſterum Tab. LXXXIII. ad finem Tom. II.
(4) Heſychius in voce Γοργός.
(5) Apud Dempſterum Tab. III. Tom. I. pag. 78. Item ibidem in Vrna Peruſina ad finem Lib. VI. pag. 447. Tom. II.
(6) Ad finem ibidem Lib. II. Tom. I. p. 235.
(7) Tom. I. ad finem Lib. II. pag. 235.
(8) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXVI. pag. 43.
(9) Vide in fine Praefationis ad Opus Dempſteri Tom. I.
(10) Hiſtor. Nat. Lib. X. Cap. XXXVII.

cones criſtatos notat Iuba apud eumdem Plinium (1), deſcribitque Aelianus cum barba denſa & criſta (2): quod genus draconum haud incognitum Etruſcis fuiſſe hoc Etruſcum ſignum oſtendit.

Poſtremo in eadem Tabula LXXVI. num. III. addendam curavi Vrnam cinerariam Etruſcam, quae Arretii exſtat in locupletiſſimo Muſeo Baccio. Cernitur NYMPHARVM maris monſtroſum ex uno prodiens trinum corpus, quod etiam ambiguo ſexu repraeſentatur: quae in medio eſt, facem adtollit: alterae e concha aquam effundunt. Hae quoque, quia in ſepulcro ſculptae ſunt, ad notandam Fati vel Mortis vim ac diritatem, facile TEMPESTATES exprimere poſſunt; nihil enim vehementius exhorruere veteres, quam Iovem fulminantem, & mare tempeſtatibus concitatum, ob mortis metum, quam in naufragio reformidabant (3). Propertius naufragi Paeti mortem ita lacrymatur (4):

Et mater non iuſta piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos;
Sed tua nunc volucres adſtant ſuper oſſa marinae:
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.

Perpauca nunc addenda de VOLCANO, quem Etruſci dubio procul coluere. Huius Dei mentionem ſuo loco non feci, quia nuſquam tota Etruria (expectare enim data opera volui ad hunc diem) eius ſimulacrum invenire potui, quod revera Etruſci artificis opus cenſerem. Hoc igitur in loco mentionem faciendam mihi propoſui, quia prior VOLCANVS, omnium antiquiſſimus, Caelo, ſecundus Nilo natus perhibetur, quem Aegyprii *Opan* adpellarunt, Aegyptique cuſtodem credidere (5). Ferunt etiam traditum fuiſſe educandum Tethydi Maris Deae (6). Eius imaginem pictam in Vaſe Etruſco vide apud Dempſterum Tabula XXXII. Quia vero in Liparam inſulam e caelo decidens, claudus factus eſt; ideo in eodem Vaſe innixus baculo auxiliatorio exhibetur, & capite galea in coni formam tecto, itemque indutus chlamyde, qui cum Iove Rege in throno ſedente, & Apolline conloquitur, parazonium tenens; fuit enim armorum fabricator praeſtantiſſimus.

Quo nomine VOLCANVM Etruſci vocarint, declarat inſignis aerea patera apud Dempſterum edita Tabula I. in qua Iovis puer-

(1) Lib. VIII. Cap. XIII.
(2) Hiſtor. Animal. Lib. XI. Cap. XXVI.
(3) Vide Ben. Averanium in Antholog. Diſſert. LXV. num. 12. 13.
(4) Lib. III. Eleg. V. verſ. 25.
(5) Cicero Lib. III. de Natura Deorum.
(6) Vide Nat. Comitis Mytholog. Lib. II. Cap. VI.

Digitized by Google

puerperium exhibetur : idemque VOLCANVS ſtupens adſtat cum bipenni , qua Iovis caput aperuiſſe , natamque , eo aperto , ſapientiae praeſidem Minervam fabulantur . Circa eius imaginem haec legitur Etruſca epigraphe ΜИΑ⅃ΘƎƧ , hoc eſt *Sethlanm* . Fabrettus mendoſe ſcripſit ИΑ⅃ΘƎƧ ; ſed manifeſte eſt in archetypo ΜИΑ⅃ΘƎƧ. In Tabulis Eugubinis plures adnotavi voces , que in Μ deſinunt . Hoc nomen idem Fabrettus [1] divinatur ſignificare *Ephestiona* Graecorum : quaſi ſcriptum ſit ΗΦΕΤΑΝ Etruſca ſignificatione , pro ΗΦΑΙΣΤΟΣ . Avide expecto Cl. Bourguet interpretationem ; nam ea , quam mihi dedit , non convenit , quia deſumta ex patera vulgata in Dempſteriano Opere , quae inverſis figuris perperam impreſſa eſt . Eam iterum accuratius aeri inciſam inferius in lucem proferam . *Seth* Aegyptiis eſt *Tryphon* : quod nomen , ut auctor eſt Plutarchus [2] , ſignificat violentam quamdam inhibitionem , contrarietatem aut inverſionem . Herodotus [3] memoriae prodit , *Sethon* Volcani ſacerdotem fuiſſe , qui poſt Anyſin regnavit , vel potius cum illo , in Arabicis inferioris Aegypti partibus ; reges enim e ſacerdotibus eligi uſitatum erat [4] .

TABVLA LXXVIII.

DIS PATER
ceterique DEI INFERI , *ab Etruſcis culti , recenſentur & illuſtrantur .*

ANtiquiſſimas Deorum , quos caelo , terrae ac mari veteres Tuſci praeeſſe exiſtimarunt , imagines , maxime omnium ad hoc tempus ineditas , illuſtravimus : ſupereſt , ut de DITE PATRE , deque DIIS INFERIS diſſeramus ; his enim Etruſcos cultum maximum impendiſſe , oſtendunt libri *Acherontici* , quos tradidit Tages & Bacchetis Etruriae populis [5] : quos etiam ita dictos putant , vel quia terrorem his incutiebant , qui eorum reſponſa conſulebant ſcrutabanturque ; vel quia DEORVM INFERORVM ſacra continebant , edicebantve

bantve

(1) Inſcriptionum ant. Cap. VII. pag. 541.
(2) De Iſide & Oſiride.
(3) Lib. II. c. 41.
(4) V. Io. Marsham. Seculo XVII. pag. 538.
(5) Vide Dempſterum de Etr. Reg. Lib. III. Cap. I. pag. 243.

bantve quibus victimis, quo ritu quorumve animalium ſanguine Numina irata placari, ſonteſque homines expiari poſſent. Iidem libri pariter edocebant, qua ratione oſtenta ac prodigia repellenda eſſent, monſtra evocanda atque avertenda, fulmina expianda, cogenda impetrandave: & qua ratione FATA differri poſſent, uti colligimus ex inſignibus locis Ciceronis (1), Plinii (2), Arnobii (3) & Servii (4) aliorumque auctorum, quae a Thoma Dempſtero adferuntur (5).

Inferi regni regem, Saturni ex Rhea ſive Opi filium, Graeci ΠΛΟΥΤΩΝΑ dixerunt, quaſi divitem, quod recidant omnia in terras, & oriantur e terris: Latini DITEM PATREM: Etruſci, ut auguror, SVMMANVM vocarunt, quaſi *Manium Deum*, *Summum Manum*, ideſt *bonum*: ſicuti INFERI DII *Manes* pro *bonis* dicebantur a ſuppliciter eos venerantibus propter metum mortis, ut ex Feſto diſcimus. Hunc Etruſci inter novem Deos numerarunt, a quibus fulmina iaculantur: quos iactus *manubias* dixere (6): ei vero nocturna fulmina adſignarunt, ut Plinius docet (7). Phoenices DITEM PATREM, modo *Mortem*, modo *Plutonem* nominarunt, teſte Sanchoniathone ſcriptore omnium vetuſtiſſimo apud Euſebium (8). Ferunt, eum funerum & ſepulturae ac parentationis ritus oſtendiſſe: eaque de cauſa datam ei poteſtatem, imperium & curam mortuorum commenti ſunt (9). Phyſice autem PLVTO eſt terra interior, rerum omnium parens, maſcula virtute praedita (10), quae ſemina, fruges, fructus, marmora, metalla omnia reſque pretioſiſſimas continet quaſi ſepultas: PROSERPINA vero eſt & ipſa terra ſeminum receptrix, feminea virtute inſtructa (11): quam a PLVTONE raptam fabulantur, & cum eo, propter magnam adſimilis virtutis unionem, connubio iunctam (12). Totum PLVTONIS rapientis PROSERPINAM figmentum, ad exprimendam hiberni Solis virtutem, reducit Porphyrius apud Euſebium, cuius verba non piget adferre (13): Eπεὶ δὲ (inquit) καὶ τῶν εἰς γῆν βαλλομένων σπερμάτων ἦν τὶς δύναμις, ἣν ΗΛΙΟΣ περὶ τὸ κάτω ἡμισφαίριον ἰὼν ἕλκει κατὰ τὰς χειμερινὰς τροπάς. ΚΟΡΗ μὲν ἡ δύναμις ἡ σπερματοῦχος. ΠΛΟΥΤΩΝ δὲ ὁ ὑπὸ γῆν ἰὼν ΗΛΙΟΣ, καὶ τὸν ἀφανῆ περινοστῶν κόσμον, καὶ τας χειμερίους τροπάς· ὃς ἁρπάζειν λέγε-

(1) Lib. II. de Divinat. & in Oratione de Haruſp. reſp.
(2) Hiſtor. Nat. Lib. II. Cap. LII.
(3) Lib. II. contra Gentes.
(4) Ad Virg. Aeneid. Lib. VIII. verſ. 347.
(5) De Etr. Reg. Lib. III. Cap. I. pag. 243. 244.
(6) Vide Feſtum in hac voce.
(7) Lib. II. Cap. LII.
(8) Lib. II. de Praeparat. Evangel.
(9) Ex Diodoro Siculo Lib. V.
(10) Ex Fulgentio Planciade in Mytholog.
(11) Confer Voſſium de orig. & progr. Idolol. Lib. II. Cap. LX.
(12) Vide Phurnutum de Nat. Deorum.
(13) Lib. III. de Praeparat. Evang.

λέγεται τὴν ΚΟΡΗΝ, ἣν ποθεῖ ἡ Δημήτηρ κρυπτομένην ὑπὸ γῆν. *Quoniam vero virtus eſt quaedam proiectorum humi ſeminum, illam ſubtrahit* SOL *ſub hemiſphaerium currens hiemali tempore.* PROSERPINA *quidem virtus illa ſeminum,* PLVTO *vero* SOL *eſt terram ſubiens, atque occultum percurrens orbem, hibernumque ſolſtitium; atque idcirco raptam ab eo* PROSERPINAM *dicunt, quam ſub terra latentem Ceres quaeritat.* PLVTO igitur quadriga vectus, eſt SOL inferus & hibernus, qui inferiore hemiſphaerio, ideſt hiemalibus ſignis, curſum ſuum peragit (1): PROSERPINAM rapuiſſe dicitur PLVTO, quia hibernis menſibus ſemina ſub terris latent, ac ſolari vi foventur, ut ſuo tempore in herbas erumpant.

In hac opinione fuiſſe Etruſcos noſtros, aperte declarat marmoreum anaglyphum, Etruſci ſepulcri emblema, quod exhibeo in Tabula LXXVIII. exſtatque in Villa, ut vulgo dicitur, *Bonaza* Nobiliſſimi Viri Ioſeph Giacominii Tebalduccii, Patricii Florentini, cuius eximiae in me humanitati ſum devinctiſſimus. In curru, quo vehitur PLVTO raptor PROSERPINAE, pro inſigni gryphs ſculptus eſt, ſolaris virtutis imago: ex quo intelligimus, Etruſcos hac fabula SOLIS hiberni vim & poteſtatem praefiguraſſe. Deſunt in marmoreo anaglypho iniuria temporum capita PLVTONIS & PROSERPINAE: quae ſi exſtarent, facile cognoſceremus, an Tuſci (quod facilius crediderim) PLVTONEM imberbem, atque iuvenili aetate florentem, an vero, ut in ſculpturis Graecorum & Latinorum, ſenem expreſſerint. PLVTONEM imberbem PROSERPINAM rapientem in patera Medicei Muſei caelatum indicavit Cl. Bonarrotius (2), quae Dempſtero addita eſt Tabula XCI. At Ludovicus Bourguet Vir Celeberrimus, Peleum rapientem Thetin, a qua ſeparata fugit altera Nympha eius ſocia, metu ac dolore perculſa, referre cenſet (3), colligitque ex ipſa Etruſca inſcriptione, quae ita ſe habet: ЯAVƧAЯP ƧIOΘO ƎVƎT. hoc eſt: *Pele Thethis parſura:* quam ita interpretatur; *Peleus Thetis ſeparata recedit.* Poſtrema haec verba ſignificant, quod rapta Thetide a Peleo, Nympha eius comes fugit; amicam & ſociam a ſe ſeparatam dolens. De nuptiis Pelei & Thetidis dicam alio in loco opportunius: nunc, ſi vacat, conſule Natalem Comitem, qui de his fuſius (4).

Galea, quae humi iacens, in marmore ſculpta cernitur, vel, ut aliqui dicunt, Orci eſt, quam qui geſtat conſpici non poteſt; vel illam indicat, quam PLVTO induit, de qua Ho-

(1) Ex Macrobio Saturn. Lib. I. Cap. XIX.
(2) Vide §. XI. pag. 19.
(3) Vide Diſſert. I. Acad. Corton. pag. 12.
(4) Mythol. Lib. IV. Cap. XII.

Homerus (1): eaque eſt occulti verticis ſymbolum; vel nubes, ac nebulas indigitat, quibus hiemali tempore Solis adſpectus ſubtrahitur. Iuxta PROSERPINAM ſculptus eſt MERCVRIVS, qui eam reluctantem complectitur, atque a Plutonis ſinu avellere nititur; & ipſe habet in capite galeam amictuſque chlamyde & tunica bis ſuccincta, non ſecus ac PLVTO, ſculptus eſt. Mercurius additur quia fecunditatis parens eſt, & ver ſignificat, quo ſegetes germinant & adoleſcunt. Etruſci, ut videmus, aliter ac Graeci & Romani hanc fabulam expreſſerunt: nam apud hos Mercurius & Hercules currum agere & praeire ſolent: hic ſolus Mercurius currum ſequitur: nudo alibi corpore, heic chlamyde & tunica ſuccincta induti Dii exhibentur. FVRIA alata cum veſte ſimiliter ſuccincta praeit, equos deducens, ac viam monſtrans: altera FVRIA in medio, volanti ſimilis cum alis expanſis, accenſam nuptialem facem ſeu lampada adtollit. Graeci & Romani ſculptores addunt comites Parcas & Cupidinem in aëre volantem cum accenſa face, itemque Dianam & Minervam: quae aëris & Lunae virtutem deſignant, ut erudite ad Heliacam Tabulam oſtendit Hieronymus Aleander iunior, quem, ſi otium eſt, quaeſo conſulas. Furiae eaedem ſunt ac Parcae; quae ideo Proſerpinam comitantur, quia fructus in apertum deducunt, quas a pariendo dictas cenſet Varro apud Gellium (2) Hymni auctor ſive Orpheus, ſive Homerus, non ſolum Parcas, verum etiam Gratias ſeu Charites addit Proſerpinae gratiſſimas comites; quae eam, poſtquam ſex menſes apud Plutonem delituit, educunt in lucem, ut apud Cererem matrem ſex reliquis menſibus diverſetur.

Deeſt caput alterius figurae, quae in terram collapſa, equorum pedibus conculcatur. Facile crediderim referre Tellurem aratro ſubactam, ſub qua PROSERPINA, nimirum ſegetum ſemina latent: nam in ſculpturis Graecorum & Romanorum ſub equis ſedens ſculpta eſt mulier, quae copiae cornu tenet, & ipſam Tellurem ſignificat. Quia vero ea figura heic ſcutum tenet, forte defunctum in hoc ſepulcro declarare poteſt, eiuſque animam in Orco iacentem: vel Pirithoum a Cerbero devoratum, qui ad raptum eius cum Theſeo venerat (3). Forte etiam, quia potius feminam referre videtur, Minervam aëris ſymbolum repraeſentat, quia adhuc latentibus ſub terra ſegetum ſeminibus, virtutem ſuam non exercet, ut facit, quum e terra prodierint ac germinarint.

(1) Iliad. Lib. v. & Hyginus in Aſtronom. Poëtic. de Perſeo agens.
(2) Lib. III. Cap. XVII.
(3) Ex Euſebio in Canone Chronico. Vide Voſſium de origine & progr. Idol. Lib. I. Cap. XVIIII. in fine.

TABVLA LXXVIIII. LXXX.

PROSERPINA praecipuo honore ſacriſque myſteriis culta ab Etruſcis.

SImulacra ex aere, quae Deorum os tantum referunt, intus vacua, uti haec e Mediceo Promptuario nunc primum a me edita in Tabula LXXVIIII. & LXXX. ad varios uſus adhibita fuiſſe facile crediderim. Putant aliqui luſtralem aquam, ſacroſve latices praetuliſſe in myſteriis eorum Numinum, quorum imaginem repraeſentant (1). Laurentius Begerus perſimilem his imaginem, iam a Cauſeo editam (2), exhibet (3); cenſetque eſſe Iſidis ſitulam, quia anſatum eiuſdem Deae caput, ſuperne apertum, anguſto cum orificio, repraeſentat. Luſtrali aqua uſos fuiſſe Etruſcos in ſacris Eleuſiniis in honorem Cereris, atque ut hinc lubet colligere, etiam in ſacris PROSERPINAE, quae minora dicebantur, aperte oſtendit pictura Etruſci Vaſis, editi apud Dempſterum in Tabula XLVII. nam quaedam antiſtita dextra amulam, ſiniſtra ardentem facem gerit.

Haec vero parva ſimulacra alium quoque uſum facile habuerunt: credo enim a ſacris viris, vel potius a feminis geſtata fuiſſe collo ſuſpenſa; quae ante pectus e torque, vel corolla dependere ſolebant, ut videmus in imagine Laberiae Feliclae Sacerdotis Maximae Deûm Matris magnae Idaeae, nempe Cybeles, quam nobis oſtendit Iacobus Sponius (4). Nec tantum feminae, verum etiam ſacerdotes Galli in honorem eiuſdem Deae imagines & ſimulacra pectoribus adfixa gerebant, ut auctor eſt Suidas (5). Ad aliud provoco illuſtre exemplum, quod ſuppeditat eximius antiquitatis inveſtigator Franciſcus Ficoronius, apud quem videnda

(1) Vide Cl. V. Rodulph. Venutum in Collect. Rom. antiq. Tab. XXIV. qui Fauni protomam exhibet inſtar ſitulae factam.

(2) In Muſei Rom. Sect. III. Tab. IV. pag. 76.

(3) In Vol. III. Theſauri regii & Elector. Brandemb. pag. 304.

(4) In voce Γάλλοι in Tom. I. pag. 466.

(5) In Miſcellan. erud. Antiquit. Sect. IV. pag. 150. num. I.

Digitized by Google

da eſt aurea bulla (1), e cuius aurea catena pendet icuncula pariter aurea Fortunae Panteae. Neque in pectore ſolum, verum etiam & in capite imagines Deorum coronis inſertas inſculptaſve in pretioſis gemmis praeferre ſolebant ſacerdotes Deorum, ut videre eſt in imagine Ciſtophori Bellonae Pulvinenſis, quam nuper protuli inter Donianas Inſcriptiones (2). Ab Aegyptiis manavit uſus deferendi imagines Deorum collo ſuſpenſas, vel etiam ſcarabaeos, ſacris notis inſculptos (3): de quo uſu alibi diſſeram.

De Etruſco harum imaginum opificio, haud ambigendum eſſe video: nam ipſa ſculpturae indoles, ornamenta quoque, inaures, monilia (4), torques, diadema duplex ſive anadema, quod in medio maiori gemma diſtinguitur; alae, Etruſcorum more, additae capiti, id manifeſte evincunt. Quod vero referant PROSERPINAM, idem vultus huic Deae conveniens, quem veteres artifices, a propriis lineamentis non aberrantes, minime variare conſueverunt; capillorum cultus, in varios elegantes plexus diſpertitorum, qui more virginum nodo collecti religantur (5), eiuſdem Deae imaginem praeferre aperte declarant.

Primum quod profero PROSERPINAE caput, eſt altero longe vetuſtius: ſiquidem ſculptura ipſa, Aegyptiaci opificii indolem aliquantulum imitatur. Calathus ei impoſitus; quia eadem ac Terra eſt, adeoque SOSPITA, SALVTARIS & FRVGIFERA adpellata. Forte etiam haec capita tamquam donaria voti cauſa ſuſpenſa fuere, aqua oppleta, quae terrae accidit gratiſſima; nam fecunda non eſt ſine humore, quo omnia renovantur, germinant & eſſloreſcunt; neque etiam ſine igne vivit (6). In ſacris Compitalibus in honorem Deorum Inferorum, quos *Lares* vocant, ſuſpenſas *pilas* memorat Feſtus; effigies nimirum viriles & muliebres, quae pro ſervis & liberis ponebantur, ut vivis parcerent, eſſentque his pilis & ſimulacris contenti.

Prae omnibus Etruriae atque Vmbriae populis (nam Vmbriam primum ab Etruſcis occupatam fuiſſe diximus) Tudertes (7) & Amiternenſes (8) aris & templis PROSERPINAM maximo honore coluere.

TA-

(1) In Opere cuius titulus eſt: *La Bolla d' oro* &c. pag. 8. editam vide.
(2) Tabula VIII. vide pag. LXVIII. & LXVIIII. ad pag. 135. relat.
(3) Vide Canopi imaginem in Muſei Flor. Tom. I. Tab. LIX. apud Cauſeum Muſei Rom. Tab. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. Sect. II. pag. 54. In Part. I. Inſcr. ant. Etrur. Vrbium Tab. XVII. num. IV. pag. LXXXII.
(4) Huic aliud ſimile vide apud Dempſt. in Tab. II. quod praefert Iuno Regina.
(5) Ex Pauſania in Phocicis Lib. X. Cap. XXV. Horatio Lib. II. Ecl. XI.
(6) Vide Phurnutum de Nat. Deor. de Cerere & Veſta XXVIII. & de Inferno XXXV.
(7) Ex Inſcriptionibus Gudianis pag. LX. 2.
(8) Vide Reineſium Synt. Inſcr. Cl. I. n. 234.

TABVLA LXXXI.

HECATE

Etruſcorum Dea. Imagines TISIPHONES, MERCVRII *&* GENII INFERNI *ex vetuſtiſsimis Tuſcorum monumentis adferuntur.*

HECATEN inferi regni Deam, Etruſci aſpectu non terribilem, neque crinito anguibus capite (1), ſed cum triplici vultu virgineo formoſiſſimo repraeſentarunt, ut oſtendo in Tabula LXXXI. num. 1. ex marmoreo eius ſimulacro, Etruſci plane operis, quod inter mea Cimelia exſtat: utinam integrum eſſet! puto enim inſignis candelabri emblema, atque ornamentum pereximium fuiſſe. Id munus ei perbelle congruit, quae nocturnis ſacrificiis colebatur; quin etiam Φώσφορος, Δαδοῦχος, *Lucifera*, *Daduchos*, ſive *Taedifera* nuncupata (2). Neque, ut arbitror, mirum alicui videbitur, Etruſcos trina facie eam expreſſiſſe: iam enim exploratiſſimum eſt, Tuſcos Ianum repraeſentaſſe non ſolum cum unica facie, verum etiam geminum, vel tricipitem, vel etiam quadriformem; quod eumdem eſſe Solem exiſtimarent, praeter alias ſignificationes, quas adfert Macrobius (3). HECATE vero eadem eſt Diana ac Luna, ideoque trina facie efficta, quod tres Lunae figuras referat, in cornua curvatam, dimidiatam, ac plenam (4); ideoque Τρίμορφον, Τριπρόσωπον & Τρισσοκέφαλον dixere; nec non etiam Τριοδῖτιν, nempe *Triviam*, quod in triviis coleretur, teſte antiquo Ariſtophanis Scholiaſte (5): Τὴν ΕΚΑΤΗΝ ἐν τοῖς τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν; διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Αρτέμιδα, καὶ Εκάτην καλεῖσθαι. *HECATEN antiquitus coluere in triviis; propterea quod eamdem, &* Lunam, *&* Dianam, *&* Hecaten *vocarent*. Eadem triglis placata, & *Domina* appellata, ut docet Chariclida apud Athenaeum (6): Δέσποιν ΕΚΑΤΗ Τριοδῖτις, Τρίμορφε, Τριπρόσωπε, τρίγλαις κηλευμένη: *Domina* HECATE, *Trivia*, *Triformis*, *triplici facie*,

(1) Nat. Comitis Mythol. Lib. III. Cap. XV.
(2) Ex Scholiaſte Theocriti in Idyll. II. verſ. 12. Euripide in Helena.
(3) Saturnal. Lib. 1. Cap. IX.
(4) Vide Voſſium de orig. & progr. Idololatr. Lib. II. Cap. XXVIIII.
(5) In Plutum Act. II. Sc. V.
(6) Deipnoſoph. Lib. VII.

facie, *quae mulceris triglis*. Hinc, ni fallor, ipſa candelabri columella, quae ſupereſt in ſuperiori parte Deae tricipitis, eiuſdem piſcis ſquamas refert.

E capillis, peculiari modo comtis, HECATES Deae, pendent utrimque, tamquam vittae, duplices cincinni ſatis prolixi: triplex etiam capiti additur ornamentum, nimirum torulus ſive corona ex lana intorta, diadema ſive anadema, quod praeterea quinque roſis quadrifoliis (ni tamen malvae flores ſint, Diis inferis (1) ſacrae) tamquam quinque gemmis diſtinguitur. Roſae Diis Inferis ſacrae ſunt, quia ferales & mortis indices: ideoque non ſolum in parentalibus, verum etiam in conviviis adhibitae, quae deciduo flore memoriam properantis fati ſignificabant; ut convivae voluptatibus & genio avidius vehementiuſque indulgerent. Magnum apud Etruſcos fuiſſe roſarum luxum uſumque cum in conviviis, tum in funeribus, inferius ex antiquis huius gentis monumentis oſtendam.

HECATES filiae fuere MEDEA & CIRCE; quarum imagines caelatas in pateris veterum Etruſcorum iam in lucem protuli ex Muſeo Andreinio: eas, ſi lubet, vide in Parte I. Inſcriptionum antiquarum, quae exſtant in Etruriae Vrbibus (2).

Sequitur in eadem Tabula LXXXI. num. II. perrarae paterae iconiſmus, quam primus omnium vulgavit Felix Ciattius (3). In femina ſedente HECATEN agnoſcit: ad cuius iudicium MERCVRIVS Πομπαῖος vel Ψυχάπομπος, *animarum Ductor*, idemque *Nomenclator* & *Quaeſtor* (4), ſiſtit animam defuncti. Cum ſerpertinis pedibus putat eamdem HECATEN expreſſam; nam maeandra quaedam & tortuoſae lineae ex eis producuntur: fides ſit penes eumdem Ciattium. Hodie enim haec patera, multa adhibita diligentia, Peruſiae, ubi effoſſa eſt, non reperitur: ſiquidem archetypam ipſam caelaturam, ut accuratius in lucem rurſus proferrem, obſervare ſummopere avebam. Verum ſi figura ſedens (ita enim inferorum Iudices exhibentur) ſit femina; non HECATE tantum, ſed etiam TISIPHONE eſſe poteſt: ad cuius conſpectum primo defunctorum animas adducit MERCVRIVS, eorumque nomina recenſet ac legit, ut docet Lucianus (5): eaque de re cum volumine ſculptus cernitur idem Mercurius in gemma pereximia Muſei Medicei, edita in Volumine I. Muſei Florentini Tabula

(1) Ex Luciano in Cataplo ſive Tyranno Tom. IV. pag. 56.
(2) Tabula XVI. num. I. & III. pagina LXXVIII. & LXXIX.
(3) Lib. IV. Peruſiae Etruſcae pag. 121.
(4) Ita dictus a Pythagora apud Diogenem Laertium in eius vita; locum ſupra adtulimus pag. 107.
(5) In Cataplo ſive Tyranno Tom. IV. pag. 81.

la LXVIIII. num. IV. (1): quo peracto iudicio, rurſus defunctorum animae ab eo ſtatuuntur coram inexorabilibus iudicibus RHADAMANTHO, vel MINOE vel AEACO; ut ab his, qui Cretenſium reges fuere, ob inſignem magnamque iuſtitiam Iovis filii crediti, ob ſeveritatem vero apud inferos ad iudicandas mortuorum hominum animas deſtinati, iudicentur: & poſteaquam coram teſtibus FVRIIS, ſua peccata, quae occultare non poſſunt, confeſſi fuerint, Tartari tenebras & ſupplicia aeterna ſubire cogantur. Si igitur figura ſedens ſit mas, RHADAMANTHVM, vel aliquem alium ex nominatis iudicibus non male referre poteſt.

Quia vero Mercurius in hoc munere obeundo chlamydatus, quandoque etiam cum capite vel petaſato vel galeato, & cum virga inducitur; at heic ſculptus his caret inſignibus, atque in aëre ſuſpenſus cernitur, & dextera manu caelum oſtendit; forte potius GENIVS, animae defuncti comes & ductor, credendus eſt, quam Mercurius. Hinc colligere facile eſt, veteres ab ipſo hominis ortu, & poſt fata etiam, crediđiſſe, animas numquam a Genio ſuo deſeri, ſed iugiter cum eo manere. Genium cum Diis Manibus confuſum adnotat Fabrettus ex compluribus ſepulcralibus titulis. GENII INFERNI ſit mentio in ſequenti marmore apud eumdem Fabrettum (2): in altero vero penes Gruterum (3), GENII Iovis Stygii, nempe Plutonis: ex quo colligimus, etiam DIIS INFERIS, tamquam famulos & adminiſtros, a fabuloſa antiquitate, GENIOS adſignatos fuiſſe. Ea ſubiicere lubet.

D . M . S .
M . VÉTI . DECEMBRIS
FILI . PIISSIMI . RELIQVIAE . ANNO
RVM . XVIIII . CONSECRATAE . PIE
TATI . ET . GENIO . INFERNO . AB . M . VETIO
TROPHIMO . ET . VÉTIA . LVPVLA
PARENTIBVS

GENIO
IOVI . STYGIO . SANCTO
SACRVM
SEX . POMPEIVS . SEX . FIL
OCRIC . CIVICA
MIL . COH . VIII . PRAET

Illud etiam notandum, quod defuncti umbra; ſtatura ceteris eminentior ſculpta eſt: ea enim fuit veterum opinio, hominum animas poſt mortem auguſtiorem formam acquirere. Inferius producam ahenaeum Dei e numero Larum ſeu Lemurum imaginem, magnitudine praeditam praeter modum ampliore.

Quod

(1) Vide, ſi otium eſt, quae obſervavi ibidem pag. 139. 140. 141.

(2) Inſcript. ant. Cap. II. num. 71. pag. 73.

(3) Pag. XXIII. 6.

Quod adtinet ad cultum huius Deae apud veteres Etruſcos atque Vmbros, Spoletini HECATAE templum cum Conſo Neptuno commune dedicarunt, ut conſtat ex antiqua inſcriptione apud Reineſium [1]: ea puto de cauſa, quia per Oceanum ad Elyſios campos devehi defunctorum animas crediderunt: quod etiam expreſſe docet Homerus [2]. Haec quoque fuit veterum Etruſcorum opinio, quam manifeſte declarant antiqua ſepulcra, iam edita apud Dempſterum [3], ac mox a me adferenda; in quibus marina monſtra per mare vehunt viros & mulieres tibia canentes, vel arma geſtantes. Eam quoque coluerunt Amiternenſes, qui Hierophantas adſignarunt [4]: itemque Formiani [5], qui Sacerdotes eius Numini conſecrarunt; quod & alii Italiae populi, ut conſtat ex vetuſtis aris, fecerunt [6].

TABVLA LXXXII. LXXXIII.

LIBITINA DEA

ſive VENVS, ſive PROSERPINA, ſive HECATE ſit, ab Etruſcis culta.

IN patella aerea omnium vetuſtiſſima, a me nunc primum edita in Tabula LXXXII. num 1. e Muſeo Gaddio, qua, quum res divina fiebat, in Parentalibus ſacris adpoſitas oblataſque epulas Diis Inferis cenſeo; nam plana eſt, ac perparvo labro circumdata: in ipſa Etruſcae artis linearis infantia, caelata eſt Dea gradienti ſimilis, cum alis expanſis, ac praeter modum grandibus: toto ſerme corpore nuda, excepto breviſſimo amiculo, quod ante pectus recidit. Quod eſt notatu dignum, utrumque brachium & manum deorſum extendit; at quum dextra non omnino male ſculpta ſit, ſiniſtra tamen informis eſt, mirumque

(1) Claſſ. I. num. CLIV.
(2) Odyſſ. Lib. IV. verſ. 565.
(3) Ad finem Lib. I. pag. 102. Lib. V. pag. 405. Lib. VII. pag. 498.
(4) Vide eumdem Reineſium Claſſ. I. num. CCXXXIV.
(5) Ex ant. lapide inter Donianas Inſcr. Cl. III. num. 6. & Reineſ. Cl. V. num. XIX.
(6) Inter Gudianas Inſcr. pag. XXIII. 5. XXXI. 3.

in modum diſtorta : quod ab Etruſco artifice non ſine aliquo conſilio & ratione factum, mihi perſuadeo. Deae caput galea tegitur, quae pileum Phrygium imitatur: neque multum diverſa eſt a galea Mercurii & Plutonis, quam in ſuperiore Tab. LXXVIII. obſervavimus.

Non credo ſculptam in hac patera e Furiis unam ; nam in Tuſcorum monumentis numquam hae Deae ornatae galea, totoque fere corpore nudae occurrunt. Ea, ni fallor, eſt vel CLOTHO, Parcarum omnium maxime ſaeva ac terribilis, quae fatali manu vitae ſtamina nulli parcens ſuccidit : vel potius DEA LIBITINA, ſive VENVS, ſive PROSERPINA, ſive etiam HECATE ſit, de qua ipſi Ethnici dubitarunt : cuius virtuti numinique ea, quae ad ortum & finem hominis pertinent, adſcripſere (1).

De hac Dea non eſt quod fuſius diſſeram, quum omnia ſint pervulgata. Praeerat funeribus, omnique funeris adparatui & caerimoniis, atque etiam inſtrumentis ; haec enim in eius aede vendebantur a Libitinariis miniſtris : quos breviſſimae veſtis cultu refert haec Etruſcae Deae imago, uti ex aliis Tuſcorum monumentis compertum mihi eſt. Aerarium ex inſtituto Servii Tullii eius tutelae adſignatum legitur (2) ; in quod, aliquo moriente nummus a propinquis inferebatur, notabanturque in publicis tabulis impenſae funeris, & nomina defunctorum. Delphis erat VENERIS *Epitymbiae*, ſepulcrorum praeſidis, imaguncula, teſte Plutarcho (3), ad quam libantes defunctorum Manes evocabant. In antiquo marmore, a me edito inter Donianas Inſcriptiones, additur etiam VENERI INFERAE, CVPIDO Infernalis comes (4).

Quandoquidem VENERIS INFERAE incidit ſermo, haud erit, ut arbitror, abſurdum, forſitan, ut ſpero, viris doctis gratum, ſi aliud eiuſdem Deae aereum ſimulacrum Etruſcum depromam exhibeamque in Tabula LXXXIII. quod multis de cauſſis eſt inſigne & commendabile. Viginti ferme ab hinc annis, quum Piſis in horto ſuo quamdam ſubſtructionem faceret egregius vir Ioſeph Sanctinius, in quodam ſubterraneo aedificio vetuſtiſſimo hoc ſignum invenit ; iuxtaque illud reperit ampullam fictilem, ut reor, unguentariam, & pondus ſive aſſem aereum Etruſcum, aliaſque priſci aevi reliquias : quae omnia, Philippo Sanctinio filio ſuppeditante, ſingulari cum humanitate mihi oſtendit vir Nobiliſſimus Thomas Albizius, Patricius Piſanus. Igitur ſtatim ac in

ma-

(1) Vide Plutarchum in vita Numae.

(2) Ex Dionyſio Halic. Lib. IV. ex Plutarcho in Cauſſis.

(3) Ibidem.

(4) In Claſſe I. num. 54. in qua legitur: VIRGINI VENERI CVPIDINI INFEROR.

manus meas hoc ſimulacrum venit, diligenrer, ad archetypi exemplum ac magnitudinem, delineandum curavi. Primum cenſui referre aliquod Numen Etruſcorum incognitum: cuius nomen, ne ab hoſtibus evocaretur, Etruſci arcanum occulrumque eſſe voluerunt; nam eius pedibus, qui more Etruſcorum calceis clauſis induti ſunt, annulum additum videmus: qui indicat cum baſi catenatum fuiſſe, ne ſuo loco abiret, aur divelleretur. Quia vero intellexi, aedificium illud, in quo inventum eſt, veteris Hypogei ſpeciem praeruliſſe; in eam veni ſententiam, forſitan referre poſſe Deam defunctis propitiam, adeoque ipſam VENEREM INFERAM; ſive, credenda ſit, ut diximus, PROSERPINA, ſive HECATE, quae volanti ſimilis cum alis expanſis exhibetur, quaſi parara ad iuvandum celeri promroque auxilio. Dextra pateram adrollit, quaſi oſtendat divinis libationibus defunctorum animas ab inferis evocandas eſſe: ideoque etiam gradiens efficta eſt, quaſi ad ſuperas auras evadere, earumdem animarum comes, ſummopere cupiar. Cum ea etiam convenit, quae inventa eſt, ampulla unguentaria, adhibita ungendis defunctorum corporibus; nam apud Homerum eadem VENUS cadaver Hectoris roſaceo oleo, e floribus parato, ungens inducirur (1). In gemma rariſſima Muſei Marchionum Victoriorum Romae, cum Iove Stygio, ſculpta eſt Minerva anre aram, praeferens pareram, qua Diis Manibus inferiae mittuntur (2).

Poſt caput huius Deae, quum aes ſectum ſit in duas partes, facile crediderim, aliquod peculiare diadema ſeu nimbum, pretioſis lapillis diſtinctum, vel ex auro compoſitum, vel etiam polum, quem VENERIS capiti impoſirum fuiſſe teſtatur Pauſanias (3) infertum fuiſſe. Veneri quoque additos compedes, teſtatur idem Pauſanias (4): *Caeleſtem* vero creditam, earum, quae PARCAE adpellantur, natu maximam (5). Romani hanc LIBITINAM dixerunt, vel *Libentinam*, ut aliqui volunt, de qua Varro (6), forſitan ab Etruſcis accepto nomine; nam Graeci aliter vocarunt: quae Romae rempla habuit, aras & vicum, ex ſuo nomine celebrem.

Praeter faces, roſas, corollas, libamina, urnas, aliaque multa huius generis, quae ad funebrem adpararum pertinebanr, fuere etiam perſonae, oſcilla & larvae, quae, tamquam imagines vitae humanae variarumque aetatum ſimulacra, Diis Manibus

A a 2 con-

(1) Iliadis Lib. XXIV. Vide etiam Athenaeum Deipnoſoph. Lib. XV. Cap. XI. pag. mihi 688.
(2) V. in Muſ. Flor. Tom. II. Tab. LXXII.
(3) In Corinthiacis Lib. II. Cap. X.
(4) In Laconicis Lib. III. Cap. XV.
(5) Idem in Atticis Lib. I. Cap. XVIIII.
(6) Lib. V. Linguae Lat.

Digitized by Google

conſecrabantur. Complura exſtant ſigna in lectiſſimis, quae in Etruria vidi, Muſeis, praeſertim in Mediceo Cimeliarchio, cum ex aere, tum etiam ex argilla confecta (1). Horum ſpecimen ſubieci in eadem Tabula. Quod vero iuvenem refert, plaſtico opere Etruſco perfectum, humanum caput magnitudine ſua referens, haud praetermittendum eſſe cenſui. Has enim defunctorum perſonas in uſu fuiſſe apud Etruſcos, manifeſte oſtendit ſepulcrum editum in Dempſteri Opere, in quo columnis eiuſdem ſepulcri impoſitae conſpiciuntur (2).

TABVLA LXXXIIII. LXXXV.

PARCAE. FATA. FVRIAE pro Diis habitae: quo modo ſculptae in monumentis veterum Etruſcorum.

PARCARVM imperio, FATORVMQVE voluntate omnia fieri, dirigi, diſponi, bona malave omnia ineluctabilia mortalibus impertiri, non veteres tantum Graeci & Latini, verum etiam & Etruſci, ut docent pervetuſta eorum monumenta, credidere. Id potiſſimum Poëtae, praeeunte Homero (3), identidem praedicant. PARCARVM ſummam poteſtatem & nomina, ita pervulgavit Natalis Comes ex Heſiodi Theogonia (4):

> ΜΟΙΡΑΣ δ', ἧς πλείστην τιμὴν πόρε μητίετα Ζεὺς,
> ΚΛΩΘΩ τε, ΛΑΧΕΣΙΝ τε, καὶ ΑΤΡΟΠΟΝ, αἵτε διδοῦσι
> Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.

> *PARCAS, queis multum mox Iuppiter addit honoris,*
> *CLOTHOQVE & LACHESIN, ſimul ATROPON: hae bona cunctis,*
> *Hae mala dant; nutuque ſuo res quaeque geruntur.*

FA-

(1) Deſcribuntur in Columbario ſive Monum. Libert. & Servor. Liviae Auguſtae a me edito ad Tab. VIII. pag. 18. 19.

(2) Vide in Tom. I. in fine Praefationis.

(3) Vide quae obſervat doctiſſimus Ben. Averanius in Virgilium Diſſert. VIII. pag. 131. Tom. 2.

(4) Mythologiae Lib. III. Cap. VI.

Fatorvm vero arbitrum parcarvmqve ductorem Iovem, Deorum maximum & potentiſſimum, arbitrati ſunt, quem ex earum nomine Μόριον adpellarunt & Μοριραγέτην: quod etiam cognomen Apollo conſecutus eſt, uti Pauſanias teſtatur (1); ideoque iuxta eorum aras, parcarvm ſimulacra apud Delphos poſita conſpiciebantur. In diademate Iovis parcarvm ſigna ſculpſere; quod eas in poteſtate ſua habeat; ſoluſque, quid ſit quidve non ſit homini fato praeſcriptum, noverit (2).

Etruſci parcas & fata in ſepulcris exhibuere cultu virginum vel matronarum, palla amictas: quandoque aperto capite, ut alibi in hoc opere videbimus: interdum velato, ut cernimus in Etruſca arcula ex lapide tophaceo, relata num. I. in Tabula LXXXIIII. quae nuper inventa eſt Volaterris in praediis Franceſchiniis. Pedeſtri itinere praeeunt Deae, viamque monſtrant iuveni, qui equo inſidet, eumque freno currentem moderatur. Prope pedes equi viſitur vaſculum proiectum: quod, ni fallor, urnam mortis indicem repraeſentat, e qua fatalis ſors exiit; de qua, ut ait Horatius (3), *omne capax movet urna nomen*. Parcae vel fata heic ſculpta, forte defuncti animam ad Elyſios, vel ad Heſperidum hortos, cum his confuſos a Strabone (4), ducere finguntur: cuius itus exempla apud Fabrettum, ex antiquis ſculpturis depromta, occurrunt (5). Ego quidem nomine matrvm ac matronarvm, quibus tot arae dedicatae leguntur in Gruteriano Theſauro (6), atque apud reliquos inſignes antiquorum lapidum interpretes, puto parcas ſeu fata ſignificari: quorum imagines & veſtium cultus, cum his veterum Etruſcorum perbelle congruit; quamvis etiam ſciam, declarato nomine, parcis plures aras dedicatas a Veronenſibus, Nemauſienſibus & Germanis, ocurrere apud Gruterum (7): itemque fatis ſacras, ut apud Hiſpanos: quibus adde Mediolanenſes alioſque Etruſcorum colonos (8). Frequentes ac ſatis prolixae ſunt in antiquis ſepulcrorum titulis querelae de fatis nimis celeriter properantibus: quae etiam iniqua adpellantur, quum immatura morte rapiunt ex hac luce homines. Cum parcis & morte veteres fata confuderunt; at diis manibvs imperium quoque fatorvm tradidere, quaſi penes eos conſiſteret huiuſce lucis fruendae arbitrium: hinc ſcri-

ptum

(1) In Phocicis Lib. x. Cap. xxiv.

(2) Ex eodem Pauſania in Eliacis prior. Lib. v. Cap. xv.

(3) Carm. Lib. III. Ode I. & Carm. Lib. II. Ode III.

(4) Geograph. Lib. III. ubi in ultima Heſperia Elyſium Campum, terrae terminum conſtituit.

(5) Inſcript. ant. Cap. III. p. 161. 162. 163.

(6) Pag. xc. 1. 2. 3. 7. 8. 9. 10. 12. xci. 7. mxvi. 5. 6. 7. 8. mlxxiv. 2. 3. 4.

(7) Pag. xcvii. 9. 10. 11. 12.

(8) Apud eumdem Gruterum pag. xcviii. 1. 2. 3.

ptum in antiquo lapide apud Fabrettum (1) D . M . FATORVM ARBITRIS . In nummis Diocletiani Imperatoris , FATA VICTRICIA adpellantur : ſiniſtra taedas praeferunt , & dextras invicem nectunt. FATA , a Iove ſeparata , differri poſſe , Etruſci ex aruſpicinae libris , & ſacris Acherontiis docuere (2).

Reliquum eſt , ut de FVRIIS , quae PARCARVM FATORVMQVE comites ſunt , quae frequenter ſculptae viſuntur in ſepulcris veterum Etruſcorum , nonnulla poſt Bonarrotium , omnis antiquitatis promum condum , ſubiiciam . Non repetam , quae de FVRIARVM ſive EVMENIDVM ortu & parentibus veteres Mythologi memoriae prodiderunt : de his fuſius Natalis Comes , ad quem lectorem mitto . Plures eſſe FVRIARVM ſpecies , pluresve in claſſes diſtinctas , Etruſci credidiſſe videntur ; nam , ut video , diverſimode repraeſentantur in ſepulcralibus urnis , diverſaque obeunt , iuſſu Iovis Caeleſtis & Inferi , officia. Hinc facile colligimus , Etruſcos homini ſemper praeſentem Deum eſſe credidiſſe : qui adſtat iudex , cognitor , ſcrutator , inſpector , ut terreat : rex ac dominus, ut excitet ac ferat auxilium : pater , ut bonis , bene ſtrenueque ſe gerentibus , immortalem coronam & praemium largiatur . Siquidem praeſentes ab Etruſcis FVRIAE inducuntur rebus omnibus , quae a mortalibus geruntur , ſive bonae ſive malae ſint : bonis adſtant , ut praemia tribuant : malis ut ultionem , vindictam , poenas minentur atque indicant . Pugnantibus viris , ut infra videbimus , nunc palmas offerunt : eorum capiti manus imponunt , impellunt , confirmant , hortantur : ſcelera patrantibus horrifico adſpectu occurrunt , atque in eos faces iaculantur : adſunt ſacrificiis , expiationibus , nuptiis , ludis , denique omnium hominum actionibus , vel vindictam vel praemium inlaturae , adſiſtunt . Inducuntur FVRIAE ab Etruſcis , tamquam voluntatis & irae Iovis miniſtrae , bonae mentis donatrices , ſcelerum metuendae ultrices : atque , ut mala repellant , impios homines agitant , territant , puniunt , inſectantur . Fuit haec quoque Aegyptiorum opinio , eſſe quaedam Numina , quae mortalium conſcientiae praeſunt : quod ego intelligo ex plurimis huius gentis ſimulacris , quae cum ſcutica & flagellis in manibus effi cta video in priſcis monumentis . Aegyptiorum exemplo Etruſci potiſſimum , nec non etiam Graeci , FVRIAS ad ſontes homines plectendos armis inſtruxere . FVRIA ſculpta in Vrna Etruſca Peruſina apud Dempſterum Tabula XXV. virgam dextra manu tenet , minaci geſtu ; ni tamen ſceptrum ſit , quod maximae FVRIARVM reginae recte convenit .

De-

(1) Inſcr. ant. Cap. II. num. XI. pag. 87. (2) Ex Servio in Virgil. Lib. VIII. verſ. 398.

Defunctorum animas ad infera regna FVRIAE vel agunt, vel etiam ad Elyſiorum beatitudinem deducunt: ad Tartarum, ut ſontes homines & impii debitas luant poenas, ſuppliciiſque crucientur aeternis, urgent & inſectantur, ut videre eſt in Tabula LXXXVIII. penes Dempſterum, ex pictura veteris Etruſcorum Cryptae, in qua damnatorum ſupplicia apud Orcum exhibentur. Ibidem notare libet FVRIAM cum ferro oblongo, uncinis pluribus referto, quae ad animam defuncti (qui expreſſus eſt manibus in aëra ſuſpenſis, totoque corpore nudus) cruciandam, ut arbitror, eſt paratiſſima: iuxta eum reum alia etiam adſtat FVRIA, ardentem taedam admovens, ut illum ligatis manibus ſuſpenſum adurat. E brachiis eiuſdem FVRIAE (quod inobſervatum reliquit Bonarrotius) pendent manticae ſive ſacculi: quorum unus vacuus, alter vero plenus conſpicitur. Apud Suidam me legere memini (1), Phoenices ſuos Deos effinxiſſe ferentes ſacculos, quum Graeci exhibuerint (quod etiam Etruſci fecere) σιδηροφοροῦντας, arma geſtantes iaculanteſque; quod homines armis ſubigantur. Forſitan etiam in uno ſacculo bona, in alio mala recondita, eas habuiſſe putarunt. Proverbium illud vetuſtiſſimum: *Non videmus, manticae quod in tergo eſt* (2); hoc eſt, Non videmus noſtra ipſorum vitia, quum aliena curioſis oculis perſpiciamus, ex apologo quodam Aeſopico manavit. Finxit enim Aeſopus, ſingulos mortales binas habere manticas, hoc eſt peras: alteram ante pectus, alteram a ſcapulis tergoque propendentem; ſed in priorem, inquit, aliena vitia immittimus, in poſteriorem noſtra. Perſius (3) in hac rem:

Vt nemo in ſe ſe tentat deſcendere, nemo;
Sed praecedenti ſpectatur mantica tergo.

Ad haec quoque vitia in mantica recondita adludere ſacculi poſſunt: ideoque alterum vacuum, alterum refertum & latiorem videmus. In divina Apocalypſi (4) (venia mihi ſit profana cum ſacris conferenti) Angeli e phialis & vaſis bona iuſtorum Deo offerunt: e phialis etiam mala, Dei iuſſu, in homines effundunt. Conſonat etiam David in Pſalmo LXXVII. verſ. 49. his verbis: *Miſit in eos iram indignationis ſuae, indignationem & iram & tribulationem: immiſſiones per Angelos malos:* Vbi Rabbini, quod ſubiicitur de Angelis malorum, colligunt, *Iram*, *Indignationem*, *Furo-*

(1) Tom. I. in voce Ἑρμῆν pag. 858.
(2) Apud Catullum ad Varum Carm. XIX.
(3) Satyr. IV. verſ. 5.
(4) Cap. XV. 7. XVI. XVII. ſaepe XXI. 9.

Furorem & *Anguſtiam*, eſſe nomina ſpirituum, quibus Deus utitur in malis puniendis (1). Quandoque etiam in ſacris Paginis Angeli Dei ultionum, tenentes gladios flammeos ac verſatiles, armis inſtructi, atque ex equis pugnantes, deſcribuntur: quae nunc delibaſſe ſit ſatis.

Nec tantum lampades, taedas & faces, aliquando duplices, quibus noxios homines urant puniantve, Etruſci FVRIIS tribuere: verum etiam contos, haſtas, ſecures, malleos & gladios, ut videre eſt in adlatis apud Dempſterum monumentis (2). FVRIAM tenentem harpen, ſculptam vides in cineraria Vrnula Etruſca, a me edita in eadem Tabula LXXXIIII num. II. nuptiis adſtantem, quae ante ianuam domus, Etruſcorum more, celebrantur. Haec primum edita eſt apud Dempſterum in Tabula XLIIII. num. I. ſed in multis pictorem erraſſe, conferentibus patet. Hanc rurſus accuratiſſime delineatam ad me miſit V. Cl. Philippus Venutus, Canonicus & Patricius Cortonenſis, Etruſcorum Academiae decus eximium, penes quem hodie exſtat. Bonarrotius (3) in id inclinat animum, ut credat, mulierem ſive puellam alatam in hac fictili Vrna expreſſam, in laeva adſtantem iuxta ſponſam, eſſe poſſe DISCORDIAM, inter infernalia Numina ab Heſiodo enumeratam, quae demiſſum tenet gladium, vagina nudum: iuvenem vero pariter alatum, qui ad dexteram iuxta ſponſum ſculptus eſt, caput habentem ferina pelle contectum, & mallei manubrio innixum, arbitratur eſſe GENIVM, forſitan zelotypiae praeſidem. Hic Deus, uti ſuperius obſervavi (4), facile referre poteſt *Picumnum* vel *Pilumnum*, cum viri, tum uxoris Genium; hos enim Varro, apud Nonium Marcellum, vocat *Deos coniugales*, quibus in aedibus lectus ſternebatur. Iidem etiam Dii vitae praeſides & cuſtodes habiti ſunt: qui, ne Mars Silvanus in domum irreperet, &, ut opinabantur, pueros recenter natos vexaret, ad tutelam domus ante fores ſtatuebantur, erantque tres, ut diximus: quorum primus limen ſecuri, alter pilo feriebat, tertius vero ſcopis everrebat.

Nec ſilentio praetereunda eſt FVRINA Dea, cuius imaginem ſupra dedimus in Tabula XII. & XIII. eam enim FVRIARVM maximam praecipuo honore Tuſci coluere. Eius quoque comitem FVROREM, ſpecie viri barbati, nudo corpore, gladium praeferentem, paratum ad neces & clades, cum capite tutulato expreſſum,

(1) Vide Voſſium de orig. & progr. Idolol. Lib. II. Cap. XVII.

(2) Tab. XXI. num. I. XXV. XLIV. I. 2. I. 2. LII. I. LIII. I. 2. item LXXXIV. I. 5. 6. LXXXVI.

(3) Ad Monum. add. Dempſtero §. XXXIV. pag. 64.

(4) Ad Tab. X. XI. pag. 37.

ſum ; adnotavi ex antiquiſſima Etruſcae urnae ſepulcralis ſculptura, quae apud me exſtat, quamque ſuo loco proferam.

Perpauca nunc de ornamentis cultuque ignotorum Numinum Etruſcorum, quae nos FVRIAS adpellamus, dicenda ſuperſunt. Virgineum vultum, forma pulcherrimum, praeferunt. Capilli, puellarum more, comti & religati: interdum etiam ſoluti & horrentes atque impexi conſpiciuntur. Caput, modo apertum, modo peplo velatum (1), calathoque ſeu columella decorum, more Deorum Aegyptiorum, ſaepenumero alis ornatur: quandoque etiam diademate cinctum obſervabis, ut in Vrna Cluſina mox proferenda. Alatos quoque habent humeros: non raro etiam alis carent, tum in capite, tum in humeris: adſimilique modo nunc utraque manu facem, nunc ſine face & taeda ardente, aliiſque iam deſcriptis armis repraeſentantur; ut videre eſt inferius in Vrna Arretina, quam delineatam ad me miſit vir eximius Laurentius Guazzeſius, Eques ac Patricius Arretinus, eruditione & antiquitatis ſtudio ornatiſſimus. Multiplex ac varia eſt, variiſque coloribus & ornamentis picta FVRIARVM veſtis, quam egregie deſcribit Senator Bonarrotius (2) ex Etruſcis Vrnis, in quibus colores poſt tot ſecula florentiſſimi perennant, quae apud heredem ſervantur. Siquidem virginea palla ſeu tunica, ad talos demiſſa; tum cingulo ad pectus incinctae, tum vittis decuſſatis, bullaque innexis, ſeu ſtrophio, amiciuntur. Frequenter etiam, ut a Tragoedis Graecis & Latinis inducuntur in ſcenam, ornatae ſunt veſte breviore ac ſuccincta, vel tunicula ſine manicis: non raro etiam nudo pectore, ſolis ſubligaculis praecinctae; cum brachiis nudis, vel intectis purpureis brachialibus, iiſque reticulatis, vel e panno rubro perpetuo adſutis; quod genus veſtis numquam eruditis viſum, obſervat idem Cl. Bonarrotius (3). Nudis pedibus interdum adſtant: frequentius tamen ornatae calceis clauſis & cothurnis. Adnotare etiam lubet, his Deabus, quamquam Etruſci omni cultu eas exornarint, numquam tamen dediſſe inaures, monilia, torques, raro armillas; nam praeter vittas decuſſatas, bulla in medio adſtrictas, zonamque virgineam, unionibus diſtinctam, vel Tuſca arte elaboratam, nihil aliud ex mundo muliebri in his obſervavi.

Quod ſpectat ad cultum FVRIARVM, adnotandum cenſeo, eas templa, ſimulacra, aras, ſacerdotes & ſacrificia ſatis frequentia habuiſſe apud Athenienſes (4), qui eas Σέμνας, id eſt *Severas* &

Bb

(1) Vide apud Dempſterum Tab. LXXXIV. num. 7.

(2) Vide Tab. LXXXVI. in Dempſteriano Opere editam.

(3) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXVI. pag. 41. 42.

(4) Confer Ciceronem Lib. III. de Nat. Deorum.

& *Venerandas* vocarunt : quod nullis quidem muneribus , nulliſque donis ab improbis corrumpi poſſe crederent . Apud Sophoclem ita invocantur (1) :

> Καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε Παρθένους
> ΣΕΜΝΑΣ ΕΡΙΝΝΥΣ ταχύποδας.

> *Imploro autem opem ſemper Virginum*
> *VENERANDARVMQVE & velocium* FVRIARVM .

Eas quoque coluerunt Thelpuſii & Arcades (2) , itemque Sicyonii , qui Εὐμενίδας (3) , Meſſenii (4) , qui Μανίας adpellarunt , teſte Pauſania : & Antiocheni , ut vult Petrus Seguinus (5) ; quamvis in eorum nummo , in honorem M. Iulii Philippi Imperatoris percuſſo , non FVRIAS , ſed HECATEN ſive DIANAM *Triformem* ſculptam velit Michaël Angelus Cauſeus : quod mihi quoque veriſimilius videtur (6) . Maxime vero omnium Etruſci omnibus divinis honoribus eas devenerati ſunt , quod liquet ex eorum ſculpturis , in quibus tam frequenter exhibentur : quod etiam Romani fecerunt . Victima in earumdem ſacris fuit nigra agna , ſive aries : idque etiam factum ab Etruſcis in honorem reliquorum Deorum Inferni ; quorum ſacrificium expreſſum cenſeo in Etruſca cineraria Vrna fictili , primum a Petro Sancte Bartoli inter Sepulcra antiqua , rurſumque apud Dempſterum (7) edita : in qua Diis Inferis maioribus maior victima , minor minoribus immolanda ad aram ignitam , corollaque ornatam , adfertur , adſtantibus cum ſacerdote pluribus miniſtris : quorum unus tympanum pulſat : alter tibiis duplicibus canit : alter aerea pulſat crotala : alter vero epulas in lance ſeu ferculo portat : ceteri ſuum peragunt miniſterium . Placatas quoque interdum FVRIAS ab Etruſcis humana victima , (nam , immolata virgine , quod factum Haruſpicum iuſſu a Mithridate , qui earum lucum ſuccendit , tradit Iulius Obſequens (8) , L. Sulla , Q. Pompeio Conſulibus) opportunius infra , adlatis aliis Tuſcorum monumentis , oſtendam . Tanta enim fuit apud omnes gentes , maximeque omnium apud Tuſcos , FVRIARVM reverentia ac timor (9) , ut nedum per eas iurare , ſed ne earum qui-

(1) Vide Suidam Tom. I. pag. 64.
(2) Ex Pauſania in Arcadicis Lib. VIII. Cap. XXV.
(3) Vide ibidem.
(4) Ex eodem Pauſania in Arcadicis Libro VIII. Cap. XXXIV.
(5) In Selecta Numiſm. Imper. pag. 180.
(6) Sect. II. Muſei Rom. Tab. XIII. XIV. XV. pag. 41. 42.
(7) Tab. XXXVI. ad Tom. I. pag. 278.
(8) De Prodigiis.
(9) Vide Suidam Tom. II. pag. 22.

Digitized by Google

quidem nomina quiſquam proferre auderet ; quod ſcelerum graviſſimae ultrices atque inexorabiles haberentur (1) : ea vero , ut Graeci Poëtae perhibent , fuere TISIPHONE , ALECTO , MEGAERA , quarum miniſterio omnem iuſtitiam impleri autumarunt (2) .

Vna ex his FVRIIS (quamquam , complures alias , ut auguror , veteres Etruſci habuere , vel adſeclas vel famulas earumdem principum) ſculpta mihi videtur in fictili patera , relata in Tabula LXXXIII. quam ex inſigni ſuo Muſeo , praeter alia antiquitatis Cimelia , fere ſexcentis lucernis antiquis ditiſſimo , depromſit , delineatamque a ſe diligentiſſime , ad me miſit Vir Praeſtantiſſimus Ioannes Baptiſta Paſſerius I. C. Piſaurenſis. Ea nuper inventa eſt in agro Piſaurenſi : confecta eſt ex argilla coloris lutei ſubnigri , duritie paene ferrea . Caput Deae in medio , itemque foliacea corona , qua late circumdatur , typo formata eſt : itemque litterae non inciſae , ut in aliis iam a me editis , ſed exſtantes excuſae ſunt . Nonnullae ex his iniuria temporis deletae ; reliquae ita ſe habent :: 𐌉𐌉𐌈𐌓𐌉𐌕 :: 𐌈𐌓𐌀 :: quae ita ſupplendae videntur : 𐌀𐌓𐌉𐌈𐌓𐌉𐌕 𐌉𐌈𐌓𐌀𐌋 , ſeu potius 𐌋𐌀𐌓𐌉𐌈𐌓𐌉𐌕 𐌉𐌈𐌓𐌀𐌋 . nimirum , *Larthi Tirthira* , vel *Larthi Tirthiral* ; quaſi haec patera ad libamina , ſive ſanguinem victimarum excipiendum in ſacrificiis Deorum Inferorum (nam admodum cava eſt , & in extima ora excavata , ut facilius digitis admotis adhiberi poſſet , uti ex propoſito ſchemate videmus) dedicata fuerit *Regi Tartari* , nimirum IOVI STYGIO , ſive PLVTONI : quem etiam veteres Etruſci *Manum* , *Summanum* & *Mantum* cognominarunt : quae voces in Lexico Etruſco , quod non ſine magno ſtudio & labore conficio , paullo diligentius expendentur . Erit forſitan aliquis , qui non *Megaerae* , ſive *Alectus* , ſive *Tiſiphones* caput in medio ſculptum exiſtimet ; ſed potius HECATES , alis inſtructum , horrendumque in modum anguibus innexis circumdatum , iiſdemque ſub mento adſtrictum : cum lingua ex ore triſti exſerta ; adeoque , ut epigraphe cum imagine conveniat , exponent *Reginae Tartari* : quibus nollem refragari. Verum cum in ſimulacris Etruſcorum , quae litterata ſunt , *Reginae* nomen inſcriptum ſit , ut vidimus , 𐌋𐌀𐌉𐌈𐌓𐌀𐌋 *Larthial* ; in rem meam facilius credam 𐌉𐌈𐌓𐌀𐌋 ſignificare *Regi Tartari* : ex quo inſigni monumento colligimus , hanc vocem *Tirthira* , ſeu *Tirthiral* , qua *Tartarus* , *Tartarinus* , ſive *Tartareus* deſignatur , Etruſcam eſſe ; a Graecorum quoque antiquiſſimis Homero (qui multa , praeſertim fabulas , ab Etruſcis accepit) & ab Heſiodo , modica litte-

(1) Vide quae notat Natal. Comes Lib. III. Mytholog. Cap. X.

(2) Ex Lactantio in Statium Thebaid. Lib. I. pag. 12.

litterarum varietate uſurpatam (1). Nam Τάρταρον dicunt, frequentius tamen Αΐδην (unde Pluto in antiquis aris ADESIVS & EDEISIVS (2) cognominatus creditur a Latinis) eoque vocabulo intelligunt tremendum inferni locum profundiſſimum, opacis tenebris, tetraque mortis opertum caligine; ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, id eſt *turbare*, aut, quod melius eſt, ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, quod tremore frigidiſſimo exterreat & tremefaciat; quare apud Plutarchum ταρταρίζω, valet *Tartareo frigore tremo atque inhorreſco*. Forſitan Etruſci e Phoenicum lingua, vel ex Hebraeo fonte טרח *Tara* hauſerunt: quae vox ſignificat *vexare*, *adfligere*, *moleſtare*, *infeſtare*. Contrarium nomen *Elyſium*, e Phoenicum lingua deſumtum cenſet magnus Bochartus, quem vide (3). Ennius *Tartarinum* dixit, teſte Feſto, nimirum pro *horrendo* & *terribili*, ut Verrius vult accipi: locumque denotat apud Inferos. Igitur ᛚAꟼIOꟼI+ IOꟼAᛚ, *Larthi Tirthiral*, non male explicari poteſt *Regi Tartareo*, quo cognomine inter ceteros Plutonem Deum *Tartareum* adpellat Ovidius (4). Lego etiam in pervetuſta ara, inter Gudianas edita (5), Plutonem VRAGVM cognominatum: quam vocem Etruſcam eſſe ſuſpicor, receptamque a priſcis Latinis: neſcio, an quod *urgeat* ad Orcum mortales; unde Horatius (6):

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur: ignotique longa
Nocte; carent quia vate ſacro.

Et alibi (7):

Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Vrget? ——————

Vel potius ita dictus eſt Pluto, quod *urat*; quare alibi me legere memini VREGVM, ab *uredine*, *urigine*: quae alii diligentius excutient.

Erunt etiam, ut auguror, qui in eadem patera GORGONIS caput impreſſum cenſeant, quibus adverſari nolo; occurrunt enim non minus quam *Tempeſtatium* Dearum, ut ſupra vidimus (8), capita *Gorgonum* alata, anguibuſque crinita perquamfrequenter ſculpta

in

(1) Ex Heraclide Pontico in Libro de Politiis in Cephaleniis. Vide Dempſterum de Etr. Reg. Lib. I. Cap. III.
(2) Vide inter Gudianas Inſcriptiones pag. LX. 4. 5.
(3) Geograph. ſacrae Lib. I. Cap. XXXIV. pag. 600.
(4) Lib. I. Triſtium Eleg. VIII. verſ. 32.
(5) Pag. LX. 6.
(6) Carm. Lib. IV. Ode IX.
(7) Carm. Lib. I. Ode XXIV.
(8) Ad Tabula LXXVII. pag. 173. 174.

in ſepulcris & in lucernis veterum Etruſcorum, quae malignum *Fatum* connotant, a quo *Mortem* pendere arbitrati ſunt. In ſepulcrali Vrna fictili, idem *Gorgonis* caput, in medio Furiarum conſtitutum, oſtendit Bonarrotius apud Dempſterum (1).

Neque vero in ſepulcris dumtaxat GORGONIS caput Tuſci ſculpſere, verum etiam in bullis vel ianuarum vel ſellarum aliorumque ornamentorum domeſticae vel ſacrae ſupellectilis, quaſi amuletum, ad vitandas violatorum iniurias, manuſve rapaces. Argenteam huiuſmodi bullam ſervat in ſuo Muſeo elegantiſſimo amicus meus, eruditione, ſacrarumque litterarum peritia nobiliſſimus Innocentius Bonamicus, Canonicus Pratenſis; ſub qua etiam Etruſcae litterae ſculptae creduntur: cuius ſchema iam protuli in Parte II. Inſcriptionum antiquarum, quae in Etruriae Vrbibus reperiuntnr (2). Exſtat in Mediceo Cimeliarchio aereus diſcus, Tuſca arte exquiſitiſſima abſolutus, Etruſciſque litteris per gyrum inſcriptus; in averſa parte concavus, octo radiis undique in extima ora adnexis circumornatus: in cuius centro ſive umbilico GORGONIS caput ſculptum eſt, alis inſtructum, & criſtatis anguibus incinctum. Si attendas Etruſcae inſcriptionis interpretationem, quam inferius proferam, auctore Clariſſimo Viro Ludovico Bourguet; adparet in medio velorum, ſeu encarporum e vellere ad ianuae decus ſuſpenſum fuiſſe. Ego vero cenſeo eſſe donarium, ac referre radiatum diadema, capiti forſitan ſimulacri Minervae velatae, confecto peplo e vellere lanae ſubtiliſſimo, imponendum; convenit enim huic Deae caput GORGONIS, tamquam favorabile, ut aiunt, virtutis amuletum: quod alibi accuratius expendam. Huic aliud perſimile diadema, e quo etiam vittae ſeu lemniſci dependent, videre eſt in nummo Tarſenſium in honorem Imperatoris Commodi percuſſum, quod adfert Morellius (3). Inſcriptio inchoanda eſt, ut videtur, ab Etruſcis litteris IVVI. quae vox item in principio occurrit inſcriptionum, quae ſcriptae ſunt in baſi duorum ſimulacrorum Etruſcarum Dearum apud Dempſterum Tabula XLI. & XLII.

MORTEM & FATVM malignum praefigurarunt Etruſci in ſepulcrorum ſculpturis non ſolum GORGONIS capite, verum etiam Leonis rictu, cuius exempla inferius producam; nam apud Dempſterum deſiderantur. Ad haec adde infera monſtra, Dracones, Gryphos, qui viros, licet armis inſtructos & pugnantes, ſternunt ac profligant, ut cernere eſt apud Dempſterum. Adde fabuloſum mon-

(1) In fine Diſſertationis ad Monum. addita Dempſtero pag. 110.

(2) Inter Inſcript. Piſtorii & Prati pag. 129.

(3) Vide inter Numiſmata ſel. pag. 116.

monſtrum, apud Etruſcos terribiliſſimum, quod vocavere *Voltam*, de quo meminit Plinius (1): quod magnus antiquitatis ſcrutator Bonarrotius (2) ſculptum eſſe cenſet hiante rictu in rariſſima Vrna Peruſina, apud Dempſterum edita in Tabula XXV. ad indicandam MORTIS vim ſummamque poteſtatem; quod monſtrum milites perterrefacti ſtrangulare, & gladio interimere, adſtante maxima FVRIARVM Dea, fruſtra conantur. Quia vero *Volta* monſtrum ſub lupi effigie ſculptum eſt, illud in mentem revocat, quod tradit Diodorus de Iſide (3): cui Aegyptii fabulati ſunt, quondam cum Horo filio adverſus Typhonem certamen inituræ, Oſiridem ab inferis ſub lupi forma opitulatorem veniſſe.

His Inferni monſtris adde CERBERVM tricipitem, quem etſi nondum viderim ſepulcris veterum Etruſcorum inſculptum, vidi tamen in pluribus gemmis caelatum, Tuſco plane opificio, nimirum in ſcarabeis; quae ſacra animalia quum ſint perforata, perſpicuum eſt vel e brachiis, vel circa pectus e torque adligata pependiſſe. Inferorum fabulas primi omnium Aegyptii commenti ſunt, ut oſtendit idem Diodorus (4): a quibus Etruſci, reliquis nationibus haud ſecundi, eas accepere, &, ut arbitror, confictis aliis poenis, monſtris ac terroribus, aliiſque locis, *Acheronte* & *Averno*, ſatis auxerunt ampliaruntve.

TABVLA LXXXVI.

AETERNITAS
Deorum comes. GENIVS famulus Diis adſignatus ab Etruſcis. Imago GENII MINERVAE ex inſigni patera caelata adfertur.

SAtis, arbitror, exploratum, Aegyptios AETERNITATEM coluiſſe; quam Solis & Lunae, itemque ſerpentis, ſibi caudam depaſcentis, imagine in ſacris notis expreſſerunt (5). Solem ſiquidem & Lunam, elementa aeterna eſſe crediderunt: quare & in vetuſtis aris Romanorum haec ſidera frequenter AETER-

(1) Hiſtor. Nat. Lib. II. Cap. LIII.
(2) Ad Monum. Dempſt. §. XVIII. p. 24. 40.
(3) Biblioth. Hiſtor. Lib. I. pag. 56.
(4) Ibidem Lib. I. pag. 60. 61.
(5) Ex Hieroglyph. Hori Apollinis num. I. apud Nicolaum Cauſſinum.

Digitized by Google

AETERNA vocantur (1) : eorumque ſimulacra in manu eiuſdem AETERNITATIS dantur, ut paſſim videre eſt in nummis, in honorem divi Veſpaſiani & Hadriani aliorumque Caeſarum Auguſtorum percuſſis. De ſerpente haec Claudianus (2), ubi his verſibus AETERNITATEM deſcribit :

Omnia qui placido conſumit numine ſerpens,
Perpetuumque viret ſquamis, caudamque reducto
Ore vorat : tacito relegens exordia lapſu.

Cuncta complectitur AETERNITAS, cuncta ſimul proſpicit, praeteritum, praeſens, futurum : immenſa eſt, ſine origine, ſine fine, ut ait Cenſorinus (3).

Etruſci quoque AETERNITATEM coluere ; aliter vero eius imaginem expreſſerunt: nimirum ſpecie mulieris pulcherrimae, Nemeſi longe ſimillimae, uti ex geſtu coniicit Bonarrotius (4), omnique cultu elegantiſſimae : cui alas in humeris, capiti duplex diadema gemmis diſtinctum, inaures, torquem, armillas pluribus dependentibus bullis inſignes, calceos quoque ornatiſſimos tribuerunt. Huiuſce Deae imaginem habes in Dempſteriano Opere Tabula II. (5), in inſigni patera caelatam, quae exſtat in Muſeo Comitum e Gherardeſca. Additur etiam, ne errare videar, iuxta eius vultum, Etruſcis litteris inſcriptum nomen ƨIOƎ, id eſt *Ethis :* quo *Tempus* vel *Aevum* vel *Aeternitatem* deſignari opinatur idem Bonarrotius (6). Forſitan Latini hinc vocabulum *aetas* accepere ; alii ab *aevo* deducunt, quaſi *aevitas*. Quod vero ſit imago AETERNITATIS, ex eo clarius patet, quia Herculis comes ſculpta eſt, eum donans apotheoſi aeternoque Deorum conſortio, adſtante Iunone Regina, & Minerva Adiutrice : quarum altera odio, altera dato auxilio immortalem ei gloriam peperit. In Achate, ſcarabei ſpecie inciſo, qui, e Muſeo Bonarrotio depromtus, nuper prodiit in Volumine ſecundo Muſei Florentini Tabula XIV. num. IV. exhibetur Hercules *Fontinalis*, circa quem hae litterae Graecae ſculptae ſunt ΑΙΩΝΑ, pro ΑΙΩΝ, ſive ΑΙΩΝΑ Dorice, quae aevum, ſive AETERNITATEM huic Deo Heroum invictiſſimo, ob eximiam virtutem iure merito debitam, deſignant : quam gemmam ſingularem alibi etiam expendemus. Suidas AETERNITATIS deſcri-

(1) Vide Gruterum pag. XXXII. 9. 10. 11. XXXIII. 5. 6.

(2) Lib. II. de laudibus Stiliconis verſus finem; & vide C. Barthium pag. 272.

(3) Cap. XVI.

(4) Ad Monum. add. Dempſtero §. XIII. ad Tabula II. pag. 20.

(5) Tom. I. pag. 79.

(6) Ad Monum. addita Dempſtero §. XIII. pag. 20. & §. XXXII. pag. 59.

deſcribit ſimulacrum (1), quod Heraiſcus divinus homo agnovit, tam corpore quam animo ad eius arcanam naturam exſultans. Hoc ſiquidem ſimulacrum, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κατεχόμενον, *animatum a Deo*, divinoque adflatu plenum (tam miſere caecutiebant !) coluere Alexandrini, Oſiridis ſimul & Adonidis nomine; uno Numine ex diverſis Diis conflato, myſtica quadam, ut ait idem Suidas, ratione. Nil mirum igitur, ſi Etruſci AETERNITATEM, Aegyptiorum exemplo, ita expreſſerunt, ut geſtu Deam Nemeſin referat, alatis vero humeris Victoriam, omnium Deorum comitem, atque in eorum manibus reponi ſolitam (2), uti ex eius imagine iam indicata adparet.

Cum AETERNITATE coniungendus eſt GENIVS, quem Etruſci quoque Superis Diis famulum & adminiſtrum adſignarunt. Id perſpicue docet eadem Etruſca inſignis patera, numquam ſatis celebrata atque illuſtrata; quae, ut dixi, exſtat in Muſeo Comitum e Gherardeſca, iam in Dempſteriano Opere edita Tabula II. Cernitur in ea GENIVS ſublatis manibus, quaſi aliquid ſuſtinens, expanſiſque alis quaſi volitans, qui in caelum vehit, adtollit deducitque Herculem, in Deorum numerum iam receptum; adſtantibus Iunone Regina, Minerva Adiutrice, atque, ut diximus, AETERNITATE. Non raro in nummis & in gemmis eodem modo ſculptus eſt GENIVS, qui Deos ad caelum portat & extollit: vel etiam ſupra capita Deorum in aëre ſuſpenſi plures GENII coronas imponunt: quae omnia imitati ſunt noſtri recentiores pictores, dum Sanctorum in caelum receptorum imagines exhibuere. Memorat Dionyſius Halicarnaſſenſis (3), Iulium quemdam, ab Aſcanio oriundum, narraſſe populo Romano, ſe Quirinum vidiſſe Romulum, qui id nuntiari iuſſit ſuis verbis, ſe in Deorum coetum ductum fuiſſe a ſuo GENIO, qui ſibi naſcenti contigerat.

Neque vero unicum tantummodo GENIVM veteres Diis adſignarunt, verum etiam plures, ut iam ſuperius oſtendi, adlato Bacchi GENIO, quem Etruſci coluere (4). Hi etiam adpellati eodem nomine ac Dii quibus famulantur. GENII, Iovi miniſtrantes ac ſubſervientes, *Ioviales* dicti: Saturno, *Saturnii*: Mercurio, *Mercuriales*: Marti, *Martii* ac *Martiales* (5): ac ſic de ceteris.

GENIVM quoque datum Minervae ab Etruſcis, atque ex eius

(1) Tom. I. in voce Διαγνώμων pag. 550. & in Tom. II. in voce Ἡραΐσκος pag. 67.

(2) Vide Obſervationes ad Gemmas Muſei Florent. Tom. II. pag. 35. 110.

(3) Antiquit. Roman. Lib. II. pag. 124.

(4) Vide ad Tab. LV. pag. 136. 137.

(5) Multa in hanc rem Doctiſſ. Averanius Diſſert. XVII. in Livium & in Virgilium Diſſert. XXXVI. num. 6. Vide etiam Obſervat. ad Gemm. Tom. II. Muſ. Flor. pag. 124.

eius nomine ЯƧЯ⅃ *Laſa* vocatum , oſtendo ex aerea perrara patera , relata in hoc opere Tabula LXXXVI. quam cum aliis Etruſcorum monumentis , ut , ex inſigni ſuo Muſeo accuratiſſime delineatam , ad me mitteret Nobiliſſimus Marchio Alexander Gregorius Capponius , Palatii Apoſtolici Forerius maior , antiquorum operum admirator & conquiſitor eximius , ſingulari prorſus in me humanitate , curavit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Praeſul D. Ioannes Franciſcus Stoppanivs , Corinthi Archiepiſcopus , ad Magnum Etruriae Ducem Pontificis Maximi Legatus : quem , ad augendam Apoſtolicae Sedis gloriam , cum ipſa virtute feliciter natum , unanimi conſenſu omnes fatentur . Haec igitur patera , quae nunc primum in lucem prodit , praeter imagines a Tuſco artifice ſatis perito eleganter expreſſas , Etruſcis pariter litteris inſcripta eſt . Vtinam complura his ſimilia monumenta in lucem in poſterum prodeant , latentiaque humi eruantur , quae tantam lucem conferunt priſcae Etruſcorum eruditioni , & ad inveſtigandam Linguae Etruſcae originem , exornandamque Etruſcorum priſcam Hiſtoriam ac Myrhologiam tanta ac talia momenta conferunt feliciſſima atque evidentiſſima ! Cernitur , (quod obſervatu rariſſimum eſt , nec ſine aliqua ratione factum ab Tuſco artifice videtur) minerva ſedens , non in ſcopulo , ut alicui videri poſſet , ſed in nubibus ; nam hae adſurgunt , atque uſque ad caput eiuſdem Deae ſe ſe adtollunt : quae delineatio haud convenire poteſt ſcopulo , ſi is expreſſus eſſet . Quod ſit minerva , patet tum ex habitu cultuque , tum etiam ex adſcripto eius nomine Etruſcis litteris in hunc modum a Latinis uſitatum , nempe a laeva ad ſiniſtram , ſola ulrima littera Я variante , quae ſcripta eſt non recta , ſed inverſo capite , И in hunc modum MEИDKИ *Menrva* , id eſt *Minerva* . Haſtam , quod etiam notandum , ſiniſtra tenet ; nam frequentius dextra eam praefert vel intorquet , ut videre eſt apud Dempſterum in tribus pateris editis in Tabula I. & II. & V. Caput criſtata galea admodum inſigne adparet atque ornatiſſimum : ſolutos crines habet : inaures ex auriculis dependent : brachia nuda ſunt , armillis & dextrariolis ornata : collum torque , pectus aegide , cum Gorgoneo capite in medio adfixo , erumpentibus in extima ora anguibus , armatur : tunica exterior brevis eſt & praecincta ; interior talaris , florida , ſcutulis ſeu gemmis , quaſi floribus undique diſtincta (quam veſtem vel huic ſimilem Graeci dicunt πεποικιλμένεν , quaſi *variatam* & *picturatam* , uti etiam Minervae peplus fuit) pedes induti ſandaliis : quae omnia non ſine voluptate obſervantur .

Coram MINERVA ſedente (multa notat Strabo (1) MINERVAE ſimulacta καθήμενα , uti etiam illud , quod Homerus deſcribit) atque , ſicuti ex geſtu videtur , loquente ; adſtat, throno ſive ſuggeſtui inſiſtens , eius GENIVS famulus & miniſter , alis praegrandibus inſtructus : duplici tunica , altera breviore , altera paullo prolixiore ſuccinctus : nudis cum brachiis , quorum laevum duplici armilla decoratur : nudo utroque genu , cruribus ornatis periſcelidibus , pedibuſque Tyrrhenis calceis indutis . Ramuſculum dextra gerit : paullo infra (etſi id non ita facile videatur) quam herbam deſignare poſſit , inveſtigabo . Pendent ex auriculis inaures , quae quum ſolis feminis conveniant , probe intelligimus GENIVM Minervae datum , feminam eſſe : adeoque hinc colligimus , Tuſcos , habita ſexus ratione , Diis maribus mares , feminis vero feminas GENIOS adſignaſſe : quod neſcio an alii obſervaverint . Dicet forſitan aliquis , cum Minerva ſculptam eſſe poſſe SPEM , quae cum flore in dextera manu exhibetur in nummis Caeſarum Romanorum : aſt Etruſcae litterae , circa eius caput inſcriptae , id non oſtendunt ; quin potius arguunt , eum eiuſdem MINERVAE eſſe GENIVM , nam ita ſe habent 𐌉𐌊𐌄𐌅 : 𐌀𐌔𐌀𐌋 . id eſt *Laſa : Feki* . Vtramque vocem pro ingenii mei tenuitate interpretari atque illuſtrare conabor , meliora forſitan in poſterum ab aliis accepturus . Interim , donec meliora inquirenti diligentius ſuccurrant , hoc nomen 𐌀𐌔𐌀𐌋 *Laſa* , quod ab Etruſcis datur GENIO Minervae , deſumtum mihi videtur ex Graeco eiuſdem Minervae cognomento ΛΑΟΣΟΟΣ , quod ita illuſtrat antiquus Theocriti interpres (2) ; etſi in nonnullis hallucinetur . Lubet eius verba adfetre ; nam hoc Minervae cognomen apud Graecos , cum Etruſco 𐌀𐌔𐌀𐌋 *Laſa* melius congruit . ΛΑΟΣΟΟΣ γαρ ἡ ΑΘΗΝΑ , ἢ λαὸν διώκουσα , ἢ σώζουσα . δύσσοον γαρ οἱ μὲν τὸν Κακοδαίμονα , οἱ δὲ τὸν δυσχερῶς σωζόμενον , παρὰ τὸ σόος . καὶ Ομηρὸς · Οππως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοιντο Αχαιοί . *MINERVA enim dicitur* ΛΑΟΣΟΟΣ , *ſcilicet aut populum perſequens , aut ſervans* . δύσσοον *enim quidam dicunt malum Genium : quidam difficulter ſervatum , a* σόος : *& Homerus : Quomodo apud naves Achivi pugnent incolumes* . Non eſt hoc loci ſingula ad trutinam revocare : neſcio tamen unde Theocriti Scholiaſtes acceperit , quod Minerva ΛΑΟΣΟΟΣ poſſit interpretari non ſolum *populum ſervans* , verum etiam *perſequens* : recte vero , & ad rem noſtram facit , quod *populum ſervans* dicatur : quae etiam in vetuſtis aris vocatur SERVATRIX & PACIFERA . CONSERVATRIX ATRI . . .

PO-

(1) Geograph. Lib. XIII. pag. 601. Vide Muſei Flor. Tom. II. Tab. LXXII. I.

(2) In Idyllium IV. verſ. 24. pag. mihi 67. edit. ex Officina Commeliniana MDCI.

POPVL. forſitan ATRI*enſium*, Atriae ſive Adriae populorum (1); nam proprie ΛΑΣΟΟΣ eſt a σόος; quoniam σῶς & σόος redditur *ſalvus*, *incolumis*, *ſervatus*; a σώζω, *ſervo*, *conſervo ſalvum*, *incolumem*. Apud eumdem Theocritum δύσσοος valet *perditus*, *miſer*, *improbus*: qua voce bis utitur in Idyllio III. & IV. quibus in locis, id quod dixi, ſignificat: in tertio *perditus* aut *miſer*: in quarto potius *improbus*. Sed de his accuratius videbit amicus meus Iacobus Philippus D' Orville, vir exquiſiti iudicii ſummaeque doctrinae, Hiſtoriarum, Eloquentiae, & Linguae Graecae in illuſtri Amſtelaedamenſium Athenaeo Profeſſor: a quo omnium abſolutiſſimam Theocriti recenſionem, atque alia inſignia ingenii monimenta cupide expectamus. Apud Heſychium & apud Phurnutum (2) eadem Minerva ΛΑΟΣΣΟΟΣ, *populorum Servatrix*, vocatur: cuius rationem ita reddit idem Phurnutus: ΛΑΟΣΣΟΟΝ δ' αὐτὴν ἐπονομάζουσι, *διὰ τὸ σόειν ἐν ταῖς μάχαις τὸν λαόν*. *Eam vero* ΛΑΟΣΣΟΟΝ *cognominant*, *quia populum in bello ſervet incolumem*.

Igitur ex uno alterove Minervae cognomine Graeco ΛΑΟΣΟΟΣ, ſive ΛΑΟΣΣΟΟΣ, originem habere auguror AᛚA⅃ *Laſa*, Etruſcum cognomentum, datum GENIO famulo & miniſtro eiuſdem Minervae. Iam enim, auſpice viro Praeſtantiſſimo Ludovico Bourguet, viris doctis perſpectum eſſe arbitror, complura Etruſcorum vocabula a Graecis pendere, atque a radicibus Graecorum nominum facile deduci poſſe. In inſigni monumento P. Attii Haruſpicis Fulguriatoris, quod Piſauri exſtat, Etruſcis ac Latinis litteris inſcriptum, poſtremam vocem ϽAϮИ8ᑫ8, interpretatur, *Brontas* vir Celeberrimus Ioannes Lamius, in Florentino Lyceo Eccleſiaſticae Hiſtoriae Profeſſor, & ipſe de antiquitate optime meritus: de qua paucis ab hinc diebus in domeſtico colloquio mecum diſſerebat. Nemo eſt, qui non videat, eam vocem Etruſcam ϽAϮИ8ᑫ8 *Brontas* (Bourguet (3) primam litteram 8 reducit ad Φ Graecorum) facile derivare a βροντάω, βροντῶ, id eſt *tono*: unde Iuppiter Βρονταῖος, ſive Βροντῶν, ἀπὸ τοῦ βροντεῖν, id eſt *tonare*, dictus *Tonans*, Etruſcis AИIϮ, & AIИIϮ, *Tina*, *Tinia*, hoc eſt *Tonans* (4). Supereſt & hodie apud nos eiuſdem vocis veſtigium in verbo vernaculo *brontolare*, quod nos Tuſci dicimus de aliqua re cum murmure ſecum vel cum aliis conqueri, muſſitare, voce perſtrepere, tonare. Eadem voce Graeca Βρονταῖος, Βροντῶν, uſi ſunt etiam priſci Latini; nam apud Romanos leguntur inſcriptae arae IOVI SANCTO

(1) Vide inter Gudianas pag. LII. num. 1. 2. 3. 4. 5.

(2) De Natura Deorum num. XX.

(3) Diſſert. 1. in Alphabetum Etruſcum pag. 14. in libro inſcripto: *Saggi di Diſſertazioni Accademiche lette nell' Accademia Etruſca di Cortona*.

(4) Vide ſuperius ad Tab. XXII. pag. 79.

BRONTONTI (1), vel N praetermiſſa ad vitandam κακοφονίαν, BONO DEO BROTONTI (2), qui in aliis aris FVLGVRATOR & FVLGERATOR adpellatur (3).

Supereſt, ut exponam alteram, quae ſequitur, Etruſcam vocem ΙϽƎꟻ, hoc eſt *Veki*, vel potius *Feki*; nam *V* conſonans loco *F* ab Etruſcis adhibitum notat idem Cl. Bourguet (4). Hanc vero vocem ΙϽƎꟻ *Feki*, uti & alteram ΑƧΑ⅃ *Laſa*, non integras, ſed per compendiarias notas ſcriptas eſſe arbitror, utpote Etruſcis ſatis cognitas, perinde ac ſi integrae ſcriptae eſſent: quod etiam a priſcis Graecis & a Latinis adſimili notarum uſu factum ſcimus. Non eſt, ut opinor, obſcurum, dictuque difficile, quid ea vox ΙϽƎꟻ *Feki* ſignificet. Ego FECIALIS interpretor: adeo ut tota epigraphe Etruſca ΙϽƎꟻ : ΑƧΑ⅃. *Laſa Feki*, Latine reddita id ſignificet: SERVATRICIS POPVLI (intellige MINERVAE) FECIALIS: quae explicatio tum Genio eiuſdem Minervae, tum etiam eius muneri atque officio convenit. De Fecialium auctoritate & dignitate, quae tanta fuit, ut ne Regi quidem fas eſſet bellum gerere, niſi prius id Feciales decreviſſent, erit alius dicendi locus opportunior: nunc vero obiter diſſerendum de eorum origine, quam habuiſſe ab Etruſcis non dubito; quamquam Dionyſius Halicarnaſſenſis (5), Etruſcorum gloriae infenſus, hanc gloriam tribuat Pelaſgis ante Romam conditam: qua invidiae ſuſpicione non caret etiam Livius (6), qui Numam ab Aequicolis ius Fecialium accepiſſe adfirmat: Dionyſius vero an ab his, an ab Ardeatibus acceperit dubitat. Igitur Fecialium inſtitutionem & ius Numam primum inſtitutorem didiciſſe ab Etruſcis, utpote aetati ſuae proximis, rationi magis eſt conſentaneum. Id etiam perſpicue declarat nomen, quod integrum fuiſſe puto ⅃ΑΙϽƎꟻ *Fekial*, a quo Romani *Fecialem* dixerunt. Dionyſius hos adpellat Σπονδοφόρους. a Graecis vero Εἰρηνοδίκας vocatos tradit (7). Varro (8): FECIALES (inquit) *quod fidei publicae inter populos praeerant; nam per hos fiebat, ut iuſtum conciperetur bellum*. De his lege cautum apud Ciceronem: *Foederum, pacis, belli, induciarum, Oratores*, FECIALES, *iudices ſunto: bella diſceptanto*. Quum bellum hoſtibus indicerent, telum ſive haſtam in agrum eorum iaciebant. Id puto factum, Etruſcorum exemplo, a Fecialibus Romanis ad aedem

Bello-

(1) In Gruteri Theſauro pag. XVII. & XXXIII. XXXIV.

(2) Vide Phil. a Turre de Diis Aquileienſibus pag. 291. 292.

(3) Apud eumdem Gruterum pag. XXI. 2. 6. & MIX. 6. Vide etiam Donianas Inſcriptiones a me editas Cl. I. num. I.

(4) In eadem Diſſertat. I. Academicorum Etruſcorum Cortonen. pag. 9.

(5) Antiquit. Roman. Lib. II.

(6) Lib. I. Vide etiam Auctorem de Viris illuſtribus Cap. IV.

(7) Antiquit. Roman. Lib. I. & II.

(8) Lib. IV. de Lingua Latina.

Bellonae ; ante quam fuit columella , quae bellica dicebatur , ſuper quam haſtam ieciebant bellum indicturi , ut docet Feſtus.

Quod vero in hac perinſigni patera , Minervae Servatricis populorum GENIVS ab Etruſcis vocatus fuerit FECIALIS , ex alia Etruſca inſcriptione probari poteſt : nimirum ex ahenea ſtatua admirandi operis , quae exſtat in Muſeo Mediceo (1), quaeque, ut obſervat & interpretatur Celeberrimus Bourguet , FECIALEM Sacerdotem , & quidem omnium Sacerdotum (plures enim fuere ac demum numero viginti in collegium cooptati ex familiis maxime omnium nobiliſſimis) primum , quem *Patrempatratum* dixere , repraeſentat : non vero , ut credideram , Augurem ſive Haruſpicem Tuſcum . In limbo eius togae inter cetera haec ſcripta ſunt : [Etruscan characters] . [Etruscan characters] . [Etruscan characters] : hoc eſt ; *Feſial Kienmiken Suprem :* Latine ; *Fecialis Sacerdotum* (vel *Sacerdos*) *ſupremus* . Ex qua etiam intelligimus FECIALIS & SVPREMVS Etruſcas eſſe voces , quas ab Etruſcis Latini accepere . Iidem , variata tertia littera , dixere [Etruscan characters] & [Etruscan characters] . *Feki* , & *Feſial* : quod etiam fecere Romani , qui dixerunt ſcripſeruntve FECIALIS & FETIALIS , ut conſtat auctoritate & fide marmorum antiquorum penes Gruterum (2) .

Eſt etiam & aliud in hac patera obſervatu maxime dignum . Minervae GENIVS FECIALIS inſigne quoddam praefert manu dextra , nimirum ramuſculum , forſitan in gremio eiuſdem Deae deponendum : cuius figura diligenter obſervata , non male congruit cum verbena communi recta , quam etiam Botanices periti herbam ſacram adpellant (3) : haec enim inter herbas praecipua , omnes ſacratas frondes ſignificabat : ea everrebant ſacras menſas , manibus geſtabant in ſacrificiis , eademque caput ſuum & aras coronabant , atque ea incenſa ſuffitus in honorem Deorum faciebant (4) . FECIALIVM quidem inſigne fuit maxime proprium atque honorandum verbena , quam Etruſci omnium primi , ut eſt veriſimillimum , geſtare conſueverunt , atque , ut reor , inſtituerunt , hac patera faciente nobis fidem . De ſacra verbena haec docet Servius ad Virgilium (5) . Verbena *proprie eſt herba ſacra* , ros marinus , *ut multi volunt* , *id eſt* λιβανωτὶς ; *ſumta de loco ſacro Capitolii* , *qua coronabantur* FECIALES & PATERPATRATVS *foedera facturi vel bella indicturi* . *Abuſive tamen* verbenas *iam vocamus*

(1) Hanc vide apud Dempſterum Tab. XL. Tom. I. pag. 28. & in Tom. III. Muſei Florentini Tab. LXXXI.

(2) Vide pag. CCCLX. 3. CCCCLVII. 2. MCVII. 4.

(3) Vide Petri Pena Adverſar. & Mathiae Lobel , Londini MDCV. & Guillelmum Turnerium Anglum in Plantarum Hiſtoria.

(4) Haec ex Horatio Carm. Lib. IV. Ode XI. verſ. 6. Virgilium Aeneid. Libro XII. verſ. 117. ex Ammiano Lib. XXIX. 1. Arnobio adverſ. Gentes Lib. V. Vide etiam Saubertum de Sacrificiis vet. Cap. XXIV.

(5) Aeneid. Lib. XII. verſ. 120.

camus omnes frondes ſacratas , ut eſt laurus , oliva vel myrtus . In rem meam facit etiam Plinius , qui de uſu verbenae haec adſert (1) : *Siquidem auctores imperii Romani conditoreſque immenſum quiddam & hinc ſumſere* (hoc eſt , ex herbis) *quoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere , & in ſacris legationibuſque verbenae . Certe utroque nomine idem ſignificatur , hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra evulſum : ac ſemper & Legati* (qui idem munus geſſere , ac antiqui Feciales & Oratores) *quum ad hoſtes* clarigatumque *mitterentur , id eſt* , res raptas clare repetitum , *unus utique* Verbenarius *vocabatur* . Alibi etiam plura de verbena adſert , atque haec inter cetera (2) : *Nulla tamen Romanae nobilitatis plus habet , quam* hierabotane , *Aliqui* periſtereon , *multi* verbenacam *vocant . Haec eſt , quam Legatos ferre ad hoſtes indicavimus . Hac Iovis menſa verritur , domus purgantur luſtranturque . Genera eius duo ſunt : foliacea , quam feminam putant : mas rarioribus foliis . Ramuſculi utriuſque plures , tenues , cubitales , anguloſi . Folia minora quam quercus , anguſtioraque diviſuris maioribus : flos glaucus , radix longa , tenuis .* Quae quum ita ſint , ipſam quoque pateram per gyrum ornatam arbitror duplicibus verbenae ſeu verbenacae ramuſculis invicem plexis , qui e ſubiecto vaſe anſato prodeuntes , in capite eiuſdem paterae coëunt , & in patulum florem deſinunt ; namque folia minora ſunt quam quercus . Sacra vero fuit verbena Minervae , & a Fecialibus adhibita , quia maiorem eius copiam in muris & in arcibus , ubi Minervae ſimulacra & templa ad urbium tutelam ſtatuebantur , Tuſci veteres innaſci obſervarunt .

Ad haec obſervare lubet pedes GENII FECIALIS Minervae Servatricis populorum , Tyrrhenis calceis ornatos eſſe , his , qui Mercurio dantur , Deorum interpreti , longe ſimillimis , propter rationem itinerum , quae Feciales , Legati & Oratores conficiunt , ut civium conſulant ſaluti : cui etiam GENIO , tamquam Deo , honoris cauſa , nubes poſt eum , uti etiam poſt Minervam , licet minores , ſculptae viſuntur . Veriſimile eſt , hanc pateram adhibitam fuiſſe a FECIALIBVS Tuſcis in ſacrificiis , quae in honorem Minervae atque eius Genii peragebantur , antequam muneri ſuo facerent ſatis . Huius paterae pondus eſt unciarum Romanarum ſeptemdecim : color vero ab antiquitate aeri inductus , ſmaragdo perſimilis .

TA-

(1) Hiſtor. Lib. XXII. Cap. II.

(2) Lib. XXV. Cap. VIII.

TABVLA LXXXVII.

GENIVS PVBLICVS
Praeſtes Deus veterum Etruſcorum.

NOn meo tantum, qui plurima veterum Etruſcorum opera diligentiſſime obſervavi, verum etiam hominum peritiſſimorum iudicio & conſenſu, en admirandum illud fuſoriae atque ſculptoriae Etruſcorum artis miraculum, elegantiarum omnium compendium, aheneum GENII ſive DEI PRAESTITIS ſimulacrum, ad menſuram iuſti iuvenis expreſſum, altitudine pedum Romanorum V. unciarum fere IV. quod in regio Magni Ducis Etruriae Cimeliarchio omnes, qui obſervant, haud ſatis admirari, ſatiſve laudare ſe poſſe fatentur. Non eſt animus, nec vacat, ea heic repetere, quae adnotavi in Volumine Tertio Muſei Florentini ad Tabulas XLV. & XLVI. in quibus duplici ſchemate, non ſatis diligenter delineatum atque aeri inciſum, hoc ipſum ſignum adfertur, atque a me illuſtratur. Id invitus fateri cogor, quia eius ectypum gypſeum, omnium primum, quae e prototypo formata fuerunt, apud me exſtat, curante pereximio Sculptore & Architecto Florentino Ioſepho Piamontinio: quodque ante oculos meos in meo Muſeo ſtatuendum curavi, ut artem cum natura ipſa certantem, in hoc inſigniſſimo opere adſidue contemplarer. Ea eſt noſtrorum tum ſculptorum tum pictorum opinio (falſa quidem) e vivo iuvenis corpore forma facta, aere fuſo ductum fuiſſe: quia cenſent abſolutiſſimum artis exemplar, accuratiſſima omnium membrorum ſymmetria, eximia pulcritudine, veritate & dignitate mirandum. Quod igitur eo loci notandum fuerat, quum praetermiſerim, illud in hoc opere fatendum eſt, hoc nempe politiſſimum ſimulacrum, ab Etruſco opifice confectum eſſe: nec minoris aeſtimandum eſſe, quam ſignum illud marmoreum, toto orbe famoſum, Veneris, Phidiae vel Praxitelis opus, ut creditur, cognomento Mediceae.

Quod vero ab Etruſco ſculptore omnium praeſtantiſſimo ſit perfectum, indicio ſunt inter cetera capilli, qui ita expreſſi obſervantur, quaſi piſcis ſquamas flexuris denſis referant, non ea mollitudine fluxi ac diſpertiti, quae fulget in ſimulacris praecellentiſſimo-

tiſſimorum artificum Graecorum, verum nonnihil rigentes, aliud opificium, Tuſcorum proprium, ut notat Quinctilianus (1), praeferre videntur. Rigida etiam aliquantulum ſunt brachia & manus; verum tam bene cum veritate conveniunt, ut totum naturae magiſterium ars ipſa vel aequet vel vincat.

E geſtu ipſo dextri brachii ac manus, probe intelligimus, pateram antiquitus geſtaſſe, forſitan auream, quae intercidit. Praeſentes Deos, ut in epiphaniis adparere ſolebant, eo geſtu veteres expreſſere, quo clarius cultores intelligerent, propitium eſſe eorum numen & votis obſequens: paratumque ad accipiendas ab hominibus libationes ac dona, quae offerebantur, eaque redonanda. Siniſtrum brachium & manum femori admovet. Iam oſtendi, neque Bacchum neque Apollinem referre poſſe: facilius credam PVBLICVM GENIVM DEVM, quem celebri in loco conventuque omnes Etruriae populi coluere: vel Deum Salutarem & Servatorem ex eorum numero, quos Graeci Επιστάτους, Romani vero Deos *Praeſtites* & *Praeſides* adpellarunt: & ad tutelam non modo hominum, verum etiam regionum, regnorum atque urbium vigilare ac ſemper adeſſe crediderunt: quam religionem ab Etruſcis facile acceperunt.

Illud etiam adnotandum, quod huius Dei oculi inanes & vacui pupilla ſunt: quorum loco gemmas inſertas fuiſſe veriſimile eſt. In hoc artificii genere maiorisque elegantiae lenocinio ſuſpicari libet, Etruſcos Graecis Latiniſque praeiviſſe, qui hunc morem ſecuti, ſtatuis oculos ex auro, argento vel ex lapillis pretioſiſſimis repoſuerunt. Apud Romanos, qui oculos ſtatuis reponebant, *Fabri ocularii* dicuntur (2). De his meminit Caecilius Balbus apud Ioannem Saresberienſem (3): *Quis enim Deorum ei parcat, a quo ſe deceptum intelligit? Quis enim irruat in eum, qui aureos Iovis oculos eruit, aut argento gemmiſque ſublatis veſtem nititur excaecare? Quis de Martis capite adamantinum lumen temerariis effodit unguibus?* Gemmeos oculos Sanctorum ſimulacris, veteres quoque Chriſtianos repoſuiſſe, alibi oſtendi. Exſtabat olim hoc ſignum in Muſeo Franciſci Mariae Ducis Vrbini: inde tranſlatum in Mediceum Cimeliarchium cum ahenea baſi, quam fama eſt, Laurentium Ghibertium, egregium Pictorem & Sculptorem Florentinum, adhuc iuvenem conieciſſe: quam baſim ita inſcripſit Petrus Bembus, Apollinem expreſſum credens: VT POTVI HVC VENI. DELPHIS ET FRATRE RELICTO.

TA-

(1) Inſtit. Orat. Lib. XII. Cap. X.

(2) Apud Reineſium Cl. XI. num. 66. qui male eorum artem exponere videtur.

(3) In Polycratico.

TABVLA LXXXVIII.

GENIVS DOMESTICVS
Lar Praeſtes veterum Etruſcorum.

Hominum cuſtodiae ab ortu, rebuſque familiae regundis promovendiſque, complures GENIOS praeſidere, Aegyptii omnium primi docuerunt (1). Ab his omnem, quae ad GENIOS ſpectat, diſciplinam & cultum veteres Tuſci accepere. Nil enim in Vaſorum Etruſcorum picturis frequentius occurrit, quam GENIORVM theophania: qui tum viris tum hominibus placidi ac propitii adparent: munuſcula, coronas vel arculas donis plenas ferunt offeruntque, ut infra, adlatis compluribus exemplis, videbimus. Homines ſacra myſteria peragentes, hymnos in honorem Deorum canentes, nuptias natalemve diem celebrantes, ad bellum euntes, vel adepta victoria hilares redeuntes coronant, ac familiari dignantur colloquio. Illud etiam obſervatu dignum, quod GENII, tum mares tum feminae, in iiſdem picturis conſpiciuntur: qua ſpecie habituque alias nationes haud repraeſentaſſe GENIOS video.

GENIVM familiae praeſidem, domeſticum Deum, veteres Tuſci, atque eorum exemplo Romani exhibuere operto capite canina pelle, dextra lanceam ſive breve telum eiaculantem, quaſi violatores malignoſque homines avertat, atque ad eos perdendos celeri vindicta ſit paratus. In hunc modum inſignis eſt GENII FAMILIARIS & DOMESTICI deſcriptio, quam adfert Plutarchus (2): Διὰ τί τῶν ΛΑΡΗΤΩΝ οὓς ἰδίως ΠΡΑΙΣΤΙΤΑΣ καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται· ἢ ΠΡΑΙΣΤΙΤΗΣ μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας, οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις, (ὥσπερ ὁ κύων ἐστὶν) ἠπίους δὲ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν; ἢ μᾶλλον, ὃ λέγουσιν ἔνιοι Ῥωμαίων, ἀληθές ἐστι; καὶ, καθάπερ οἱ περὶ Χρύσιππον οἴονται Φιλόσοφοι φαῦλα Δαιμόνια περινοστεῖν, οἷς οἱ Θεοὶ δημίοις χρῶνται κολασταῖς ἐπὶ τοὺς ἀνοσίους καὶ ἀδίκους ἀνθρώπους· οὕτως οἱ ΛΑΡΗΤΕΣ Ἐριννυώδεις τινές εἰσι καὶ ποίνιμοι Δαίμονες, ἐπίσκοποι βίων καὶ οἴκων· διὸ καὶ κυνῶν δέρμασιν ἀμπέ-

 χονται,

(1) Vide Macrobium Sat. Lib. I. Cap. XIX. Voſſium de orig. Idolol. Lib. I. Cap. V.

(2) In Quaeſtionibus Romanis Tom. II. pag. 276. 277.

χονται, καὶ κύων πάρεδρός ἐστιν, ὡς δεινοῖς οὖσιν ἐξιχνεῦσαι καὶ μετελθεῖν τοὺς πονηρούς. *Cur* LARIBVS, *quos proprie* PRAESTITES *vocant, canis ſiſtitur ; ipſi autem caninis pellibus amiciuntur ? An* PRAESTITES *ſunt, qui praeſunt ; ideoque cuſtodes domus eſſe convenit, exteriſque terribiles ; domeſticis mites blandoſque, qualis eſt canum natura ? An id verius eſt, quod nonnulli Romanorum dicunt, quemadmodum & Chryſippi ſectatores, oberrare quoſdam malos* GENIOS, *quibus loco carnificum Dii utantur in puniendis flagitioſis & impiis hominibus : ita* LARES *eſſe quoſdam, Furiarum ſimiles, malorum vindices Daemones, qui in vitas & familias hominum inſpiciant : itaque canum exuviis veſtiri, & canem eis adſidere, ut acribus & ſagacibus, ad perſcrutanda & ulciſcenda malorum facinora*. In Vrna fictili in ſuperiore Tabula LXXXIII. num. II. a me adlata, ad dexteram iuxta ſponſum, cum ſponſa in manu convenientem, GENII caput cernimus adſimili canis exuvio & rictu amictum ; cui pro armis malleum dedere veteres Tuſci : qui GENIVM DOMESTICVM, & familiae praeſidem, referre poteſt ; quamquam non negem etiam Pilumnum vel Picumnum Coniugalium Deos, de quibus dixi ad Tabulam X. & XI. (1) In nuptiis ſacra facta GENIO ſive LARI familiari, qui idem eſt, ſupplicatumque thure & mero ; ad haec foco corollis redimito, docet Euclio Plautinus (2) :

> *Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas :*
> *Hae imponentur in foco noſtro* LARI ;
> *Vt fortunatas faciat gnatae nuptias.*

Quia vero LARIBVS ac Deis, quos *Patellarios* vocant, vel, ut Plautus, *Medioxumos*, ſacrae erant paterae, quibus adponebantur epulae, quum res divina Penatibus Laribuſque fiebat ; ideo earum manubria in caput canis ſaepenumero deſinunt ; quia hoc animal, domus cuſtos fideliſſimus, in Deorum LARVM tutela eſſe creditus, cuius ſpoliis iidem Dii amiciuntur. Complures editae ſunt ab antiquariis arae GENIO ſacrae, qui *Dominus* (3) & *Patronus* & *Conſervator Familiarum* vocatur (4) : cui etiam omnis ſupellex & theſauri domus ſacri erant, eiuſque tutelae commendati : quod liquet ex alia vetuſtae arae inſcriptione apud Fabrettum (5).

TA-

(1) Vide pag. 35. 36. 37.
(2) In Aulular. Act. II. Sc. VIII. verſ. 15.
(3) Confer Donianas Inſcriptiones Cl. I. num. 140.
(4) Vide apud Fabrettum Inſcript. antiq. Cap. II. pag. 75. num. VII. num. 78. 83. item apud Gruterum pag. CVI. 13.
(5) Ibidem pag. 77. num. 88.

TABVLA LXXXVIIII.

GENII DVO

BONVS & MALVS, ſingulis hominibus viventibus adſignati: uti opinati ſunt veteres Tuſci.

QVod in hac aerea patera, Etruſco opere inſigni, quae exſtat in Muſeo Nobiliſſimorum Comitum e Gherardeſca, non Penates, qui iuvenes haſtati ac ſedentes fingebantur, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi (1); ſed GENIOS duos, BONVM & MALVM, ſingulorum hominum ab ipſo ortu praeſides, ut opinati ſunt veteres Tuſci, caelatos eſſe cenſeam, illud potiſſimum in cauſa eſt, quod alter ab altero differt (nam ſimiles inter ſe eſſe deberent, ſi Penates referrent) vultu, geſtu, habituque & armis, quae eis tribuuntur. GENIVS ad laevam ſculptus, haſtae & clypeo innixus, toto corpore inclinatus, cum altero ex adverſo ſedente contendere videtur, Vlyſſi ſimilis, qui cum Diomede litigat ob raptum Palladium (2). Alter vero GENIVS, qui a dextris cernitur, alatus eſt, ac praeter clypeum, alia non habet arma: ad pedes, qui, Etruſco more (etſi toto quidem corpore nudi) calceis puris induti ſunt, iacet amphora proiecta. Quamquam non ita facile ſit dignoſcere, uter horum ſit GENIVS BONVS, uter MALVS; tamen, ſi coniecturis id adſequor non infeliciter, credo, GENIVM MALVM illum eſſe a dextris ſculptum, qui idcirco amphoram pedibus proiicit & calcat; nam malos GENIOS veteres crediderunt, hauſta Stygis aqua, atque in terris ſparſa, omnes calamitates & morbos hominibus importare (3). Plutarchus, de antiquiſſima opinione duorum principiorum diſſerens (4), uno omnis boni, altero omnis mali, ac duorum doliorum opinionem exponens, e quibus hominibus, tamquam liquores, res miſcentur ac diſtribuuntur, haec ſubdit: Νομίζουσι γὰρ οἱ μὲν Θεοὺς εἶναι δύο, καθάπερ ἀντιτέχνους· τὸν μὲν γὰρ ἀγαθῶν, τὸν δὲ φαύλων δημιουργόν. οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείνονα, Θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον, Δαίμονα καλοῦσιν. *Exiſtimant enim alii, duos eſſe Deos, quaſi contrariis deditos arti-*

(1) Lib. 1. Antiquit. Roman. pag. 55.

(2) Vide Gemmam relatam in Tom. II. Muſei Flor. Tab. XXVIII. num. 1.

(3) Vide Nic. Leonicum de varia Hiſtoria Lib. III. Cap. CI. P. Crinitum de honeſt. Diſc. Lib. IX. Cap. V. Lib. XII. Cap. XIII.

(4) De Iſide & Oſiride. Vide etiam Gyrald. Hiſtor. Deor. Synt. XV. qui de eo fuſius.

artibus ; ut bona alter , alter mala opera conficiat : alii , eum , qui eſt melior , Deum ; qui deterior , Daemonem dicunt . Fuit antiquus convivarum mos , adpoſitis menſis , & in extremo , antequam eaedem menſae tollerentur , ipſique ſurgerent , primum ac noviſſimum poculum , mero plenum , deguſtare in honorem GENII BONI , veluti ſe ipſos admonentes , ut inquit Theophraſtus & Philocorus , qualis & quanta eiuſdem Dei vis , & erga humanum genus benignitas exiſteret (1) . Manavit & haec opinio ab Aegyptiis ad Etruſcos , atque ab his ad Romanos ; nam Aegyptii Malis Geniis Occidentem , Bonis Orientem tribuerunt : iidemque tradiderunt Oſirin , Bonum eſſe Genium , Typhonem vero Malum . Qui de his plura cupit , adeat doctiſſimum Ioannem Marshamum (2) . GENIVM eſſe cuiuſcumque hominis animum rationalem , alii docuere : atque ita vocatum , quod vel cum homine gignatur , vel vim obtineat rerum omnium gerendarum (3) . Duplicis Genii poteſtatem ita exponit Servius (4) : *Eſt & aliud verius ; nam quum naſcimur , duos* GENIOS *ſortimur : unus eſt , qui hortatur ad bona : alter , qui depravat ad mala : quibus adſiſtentibus , poſt mortem aut adſerimur in meliorem vitam , aut condemnamur in deteriorem* . Mulierum GENIVS fuit IVNO : quod quum ſit exploratiſſimum , plura addere ſupervacaneum cenſeo .

A GENIO MALO impios ac ſceleratos homines ad Tartarum , ad inexorabile iudicium , & ad poenas ſubeundas : a BONO vero iuſtos ac probos ad Elyſiorum beatitudinem deduci crediderunt (5). MALIS GENIIS ſacra facta novimus , ne nocerent : BONIS ſummos honores ac divinum cultum conlatum , ut conſilio hortatuque ſuo faverent ac propitii eſſent : de quibus mox redibit ſermo .

Paterae manubrium conficit ſinuoſo flexu ſerpens , egregio opificio expreſſus , qui cum ſculptis in patera GENIORVM imaginibus optime quadrat ; conſtat enim , ſerpentis imagine cultum GENIVM (6) : cuius etiam ſignum ſupra in Tabula VIIII. num. II. propoſuimus (7) . Patera undique hederaceo ſerto coronatur . Recte haec planta , Bacchо ſacra (quia ut ille ſemper iuvenis , haec ſemper viret , minuitque capitis , vini potu gravati , dolorem , ſi ea coronetur) eiuſque adſeclis , ut ſupra vidimus ,

GE-

(1) Vide Suidam Tom. I. pag. 9. Leonicum de varia Hiſt. Lib. I. Cap. LXXII.
(2) Vide in Canone Chronico Seculo IX. pag. 205. 206.
(3) Confer Cenſorinum de die natali Cap. I. Feſtum , Apuleium de Deo Socratis . D. Auguſtinum de Civitate Dei Lib. VII. Cap. XIII. Plutarchum de ceſſat. Orac. & de Fato . Fabrettum Inſcriptionum ant. Cap. II. pag. 72.
(4) Ad Aeneid. Lib. VI. verſ. 717.
(5) Vide Platonem in Axiocho .
(6) Vide pag. 47.
(7) Confer Virgil. Aeneid. Lib. V. verſ. 95. Iſidorum in XII. Origin. IV. Ammianum Marcellinum Lib. XXI. 28.

GENIO convenit ; quia ei mero , thure , ac floribus ſacra quotannis natali die celebrabantur . Tibullus (1) :

Ipſe ſuos GENIVS adſit viſurus honores ,
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas .
Illius e puro diſtillent tempora nardo ;
Atque ſatur libo ſit , madeatque mero .

TABVLA XC. XCI.

NEMESES DVAE altera BONA , altera MALA , ſingulis hominibus ab Etruſcis adſignatae .

ID ut probem atque aperte evincam , non utar coniecturis , ſed monumentis indubitatae fidei veterum Etruſcorum ; quorum alterum nunc primum a me adlatum in Tabula XC. exſtat in regio Mediceo Larario , ſculptoris Tuſci opus ex aere eximium : alterum vero , aerea nimirum patera Etruſca , eaque ad hoc tempus inedita , Peruſiae adſervatur in Muſeo Nobiliſſimi Comitis Philippi Anſidaei .

Herois , in ipſo aetatis flore , non occiſi in bello (nam nulla tranſverſo in corpore vulnera viſuntur) ſed immaturo fato mortui , cadaver e terra ſublatum ulnis efferunt ad ſepulcrum , atque adtollunt duae NEMESES : non ſecus ac illud Patroclis apud Homerum (2) , in caſtra referunt pietatis & honoris cauſa Menelaus & Meriones . Hae Deae virginea palla indutae ſunt , e collo pendente ſtrophio , alis inſtructae , nudis tantum pedibus exhibentur . Ea , quae ſtat a ſiniſtris , ſubmiſſis brachiis , Herois caput & corpus ſuſtinens , NEMESIS BONA , benefica , immortalitatis praemium fortibus viris donans & gloriam , mihi videtur expreſſa , quapropter altera etiam NEMESI ornatior efficta eſt , breviori capillo comtoque , revincta diademate , maioribus cum alis ; ad haec extincti Herois nobiliorem corporis partem effert atque extollit : altera vero NEMESIS ad dexteram locata , quod nimiae Heroum felicitati & gloriae adverſetur , paſſis incomptiſque capil-

(1) Lib. II. Eleg. II. verſ. 5. (2) Iliad. Lib. P. verſ. 280.

capillis, nullo cum ornamento, minoribus cum alis repraeſentatur: ideoque inferiora corporis & pedes Herois ſuſtinet, eoſque, ut videmus, inſtitis ſive laqueis iam revinxit, ut adverſam vim ſuam ac poteſtatem deſignet. Lubet ex Ammiano Marcellino (1), qui NEMESIN ſive ADRASTEAM graphice deſcribit, pauca haec in rem meam delibare: *Eadem* (inquit) *neceſſitatis inſolubili retinaculo, mortalitatis vinciens faſtus, tumentes incaſſum, & incrementorum detrimentorumque momenta verſans; nunc erectas mentium cervices opprimit; nunc bonos ab imo ſuſcitans, ad bene vivendum extollit*. Huc etiam facit antiquum epitaphium, poſitum Glauco, natione Mutinenſi, Retiario ſui temporis celebri, victorique pugnarum ſeptem, in quo haec leguntur (2): HVIVS PLANETAM SVVM PROCVRARE VOS MONEO. IN NEMESE NE FIDEM HABEATIS SIC SVM DECEPTVS. Meminit Suidas (3), ex Demoſthenis oratione contra Spudiam, inferiarum, quae defunctis ſolvebantur, quas Νεμεσία dixere: feſtum nempe diem in defunctorum honorem celebrari ſolitum; quare nil mirum ſi funeris Heroum curam NEMESIBVS DEABVS Etruſci demandatam eſſe credidere. Vota etiam pro ſalute & incolumitate Imperatorum nuncupata NEMESI DEAE CAMPESTRI, habes apud Gruterum (4).

NEMESIS eadem ac FORTVNA habita eſt. Votiva ara in Gruteri Theſauro ſacrata legitur (5) DEAE NEMESI SIVE FORTVNAE. Plures NEMESES, pluresque FORTVNAS Graecorum quoque vetuſtiſſimi coluere. Smyrnenſes *Deas Magnas* NEMESES vocabant: & in magnifico fano praecipuo honore colebant, tamquam urbis conditrices & tutelaria Numina: quod conſtat ex Pauſania (6), & ex antiquis Inſcriptionibus inter marmora Oxonienſia (7). FORTVNAS Geminas Antiates ad duas NEMESES refert ampliſſimus Senator Philippus Bonarrotius (8): quarum altera credita bonorum remuneratrix, altera malorum vindex, Adraſtea adpellata, hoc eſt inevitabilis ultionis divinae neceſſitas. Earumdem Dearum imagines exhibent nummi familiae Ruſtiae (9), quae, ut in hac inſigni patera Etruſca cernimus, caput habent mitella ſive anademate cinctum. In antiquo marmore SYNDEAE ANTIATES vocantur (10); quod ſimul uno eodemque templo & ara,

(1) Hiſtoriar. Lib. XIV. Cap. XI.
(2) Adfert Fabrettus Inſcr. ant. Cap. X. num. 307.
(3) Tom. III. pag. 606.
(4) Pag. LXXX. 2.
(5) Ibidem pag. LXXX. 1.
(6) In Achaicis Lib. VII. Cap. V.
(7) Vide pag. 94. 95. & 148. 149.
(8) In Obſervation. ad Numiſ. max. mod. pag. 223.
(9) Apud Ful. Vrſinum in fam. Ruſtia pag. 442. Oiſelium in Numm. ſel. Tabula LIV. num. 1. Phil. a Turre ad Inſcriptionem M. Aquilii Cap. 1. pag. 6.
(10) Vide Inſcript. Donianas Tab. VII. pag. LVI. LVII. ubi etiam illuſtrantur.

ara, parique numinis poteſtate praeditae colerentur. Credibile etiam eſt, alteram ex his FORTVNIS Antiatibus cultam fuiſſe, tamquam bonorum auctricem: alteram vero malorum, ut notat Fabrettus (1), qui apud Antiates exſcripſit aram. FORTVNAE FELICI dedicatam, ſcilicet Deae tantum beneficae. Heſychius BONAM FORTVNAM, hoc eſt ΑΓΑΘΗΝ ΤΥΧΗΝ, *Nemeſin* interpretatur & THEMIN, id eſt *Legem*; nam eadem pro Lege divina ſumitur, quae unicuique bona diſtribuit: ideoque aliqui ferunt ſculptam eius imaginem cum malo in dextera manu. Cuique etiam amanti, uti *Erotem* & *Anterotem*, ita etiam geminas NEMESES antiqui Theologi adſignarunt (2): quarum imagines in gemmis anularibus ſculptas alibi obſervavimus (3).

Fortunarum ſive Nemeſium, tum Bonarum, tum Malarum, cultum, in Italiam invexiſſe arbitror Etruſcos: quod ex his celeberrimis eiuſdem gentis monumentis perſpicuum eſſe arbitror. Adde, quod Faleriis, Etruſcorum urbe, fuere FORTVNARVM oracula & ſortes, quarum meminit Plutarchus in Fabio; non ſecus ac apud Antiates.

Ad haec NEMESES, quaſi Deae maiorum gentium, ornantur diademate, inauribus, baccato monili, torquibus & bullis: alae etiam maiores humeris additae conſpiciuntur. Veſtes praeterea omni cultus elegantia ſunt ornatiſſimae, clavis, limbo opere reticulato duplici & gemmis diſtinctae. Iam video, eorum curioſitati ſatis eſſe faciendum, qui ſcire cupiunt, quae nam ex his, NEMESIS BONA, quae MALA cenſenda ſit. NEMESIN BONAM eam eſſe arbitror, quae a dextris ſculpta eſt; his praeſertim fretus rationibus, quia maiori cultu cum veſtium, tum muliebris mundi, ſculpta eſt. Circa eam additi etiam, honoris cauſa, flores patuli & maiores. Pendet ex eius collo ante pectus bulla, triangulari ſpecie confecta; quum alteri NEMESI tres bullae & quidem perparvae adſignentur: in cuius fronte eminet gemma, quae anguſtiorem inverſi, ſive contrario modo poſiti, diadematis partem adſtringit. Xenocrates adfirmat, triangulum aequilaterum convenire divinae naturae: mortali vero, figuram aequalibus lateribus contentam (4); nam, quia aequalitatem & inaequalitatem habet, Geniorum natura huic reſpondet, affectiones humanas in ſe habens, iuxtaque vim divinam. NEMESIS MALA, ſtatura habituque corporis, minor eſt: altera vero BONA grandior; atque, ut auguſtior adpa-

(1) Inſcriptionum ant. Cap. IX. pag. 632.
(2) Vide Servium in Virgilium Aeneid. Lib. IV. verſ. 120.
(3) In Vol. I. Muſei Flor. Tab. LXXVI. pag. 156. Plura de Nemeſi Cl. Bonarrotius in Obſervat. ad Numiſm. max. mod. pag. 221. 222. 223. &c.
(4) Vide apud Plutarchum de ceſſat. Orac.

adpareat multoque venerabilior, ſocci maiores, atque his, qui hodie mulierum crepidis in uſu ſunt, longe videntur ſimillimi. Hymenaeum, nuptiarum praeſidem Deum, ita calceatum ornatumque, ſic invocat Catullus (1):

Huc veni niveo gerens
Luteum pede ſoccum.
Excituſque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnulâ,
Pelle humum pedibus.

Igitur ſocci muliebres, grandioris formae (qui ut erat feminarum luxus, gemmis & margaritis ornari, auro integi (2), aurique ſolidi bracteis veſtiri ſolebant) NEMESI BONAE tributi, arguunt eam hominibus fauſta ac laeta omnia adferre; quare prae altera ornatior elegantiorque adparet. Ea etiam (quod eſt notatu dignum) ſubiectum FATI ſive NECESSITATIS dirum caput pedibus calcat: adeoque probabile eſt, ipſam eſſe NEMESIN ſive FORTVNAM BONAM, quam veteres MELIOREM (3) & RESPICIENTEM dixere.

TABVLA XCII. XCIII. XCIIII.

GRATIAE VENERIS COMITES ab Etruſcis cultae: e vetuſtiſſimis monumentis proferuntur & illuſtrantur.

CHARITES, Deas εὐεργετικάς, beneficas, Iovis filias, ne ſilentio in hoc opere praeteream, ante conſpectum venit patera, Etruſco opere antiquiſſimo caelata, quae olim in Andreinio, nunc in Mediceo Muſeo adſervatur. Quod ab Etruſco opifice ſit confecta, dubitari non poteſt: id prae-

(1) Carm. LX. verſ. 9.
(2) Vide quae de his notat B. Balduinus de Calceo Cap. XVI. & Petiſchum in Lexico.
(3) Vide Inſcr. Donianas Cl. II. num. 140.

praeſertim declarat ſculpturae genus, Etruſcis familiare: calcei Deae, in medio nudae, tributi: quae, quia ab aliis differt, eſſe etiam poteſt VENVS, & ipſa una e GRATIARVM numero credita; circa quam aliae Deae GRATIAE ludunt ſaltantque. Declarant etiam Etruſcam artem & ingenium mitellae ſive galericuli, quibus earum capita perbelle ornantur: qui eadem quoque ſpecie in aliis Etruſcorum monumentis obſervantur. Manibus gerunt aliquod inſtrumentum, quod, ni fallor, referre poteſt guttum, quo unguentis & oleo Veneris corpus ungere & ornare ſolent; ni marſupium mavis, quo divitiis & theſauris, aliorum beneficio erogandis, praeeſſe ſignificetur (1): potius tamen mihi videntur crotala ſive muſica quaedam inſtrumenta, in choraeis adhibita ab Etruſcis: quae etiam hodie nobis Tuſcis in uſu ſunt, & vulgo *naccbere* vocantur: e duobus in eam formam ſectis & intus concavis lignis confecta, quae adhibentur in familiaribus plebeculae Tuſcae ſaltatiunculis, praeſertim a ruſticis: quorum repetito ictu, motus & ſaltationis leges tempuſque indicatur: quod magis convenit rei veritati; nam duae CHARITES, demiſſis elatiſque brachiis, hilari vultu ac geſtu, defluentibus, ut in ſaltando ſolet, veſtibus, geſtire ac tripudiare videntur. De GRATIIS, quia nonnulla adnotavi ad Monumentum ſive Columbarium Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae (2), & ad Tabulam LXXXII. Muſei Florentini, haec pauca in praeſenti ſufficere poſſunt.

Sequitur in eadem Tabula XCII. num. II. aerea lamella rotunda, e Muſeo Clariſſimi Franciſci Ficoronii depromta: quae, quum ſit ſuperne perforata, pro bulla geſtatam eam fuiſſe ſuſpicor. GRATIARVM numerus haud conſtans eſt; nam aliqui duas, alii tres, vel etiam quatuor fuiſſe tradiderunt. Quatuor ſculptae ſunt in hac bulla elegantiſſima, quae etiam inaurata fuiſſe videtur. GRATIAE anteriorem nudi corporis partem oſtendentes (nam nulla, ut in monumentis Graecorum cernimus, averſo corpore exhibetur) mutuis brachiorum nexibus ſe ſe complectuntur: quarum duae externae, parvam bullam, e loro pendentem, manibus oſtentant praeferuntque, forte donandam Veneri: ni tamen ſit ceſtus, quem manibus tenent eaedem Deae, uti ſculptae ſunt in elegantiſſimo ſarcophago Monumenti ſive Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae (3).

Etruſcae Antiquitatis Genius me nunc admonet, cogitque hoc in loco, etſi non proprio, haud tamen inopportuno, ne

(1) Ex Phurnuto de Gratiis num. XV.
(2) Ad Tab. VI. pag. 10. 11. 12. 13.
(3) Tab. VI. Vide etiam Tom. I. Inſcript. ant. Etrur. Vrb. Tab. XVI. num. II.

praetercam duo perinſignia VENERIS ſimulacra ahenea, altitudinis unciarum fere decem, quae, paullo ante quam haec ſciberem, in manus meas venere: quaeque ſtatim pretio, quanto venditor voluit, emta, inter mea Cimelia laetitia geſtiens recondidi. Ea igitur ab Ioſepho Menabonio Florentino, meo Pictore egregio, ut ſolet, accuratiſſime delineata, cum GRATIIS coniungenda eſſe cenſui, quae vides in Tabula XCIII. & XCIIII.

VENVS, quae priore in loco adfertur, virginea palla ſtolaque amicta cernitur. Capilli, elegantiſſimo artificio comti, regali faſcia ſive diademate quam belle vinciuntur! Obſervare etiam lubet cingulum ſeu ceſtum, qui omnes continet amoris illecebras, quemque ſervant Gratiae: quae ſolae, omnis pulchritudinis & elegantiae Deam, ornare conſueverunt (1). Dextera manu, ſacrificantium more, tenet pateram: quam rariſſime, vel, ut ingenue fatear, numquam in eius manibus obſervavi. Ea, ut dixi, Diis ſervatoribus ac maxime ſalutaribus tribui ſolet. Siniſtra praefert delicium ſuum, pulcherrimam columbam, quam multis de cauſis, ob oſcula nimirum frequentiſſima, maximamque generandi virtutem, fabuloſa vetuſtas ei conſecravit (2). Brachia ſola nuda ſunt: quorum laevum armilla condecoratur. Pedes calceis ornati, quid peregrinum & minime obvium praeferunt; nam ſoleae tantum tranſverſim lunatae viſuntur. Hoc elegantiſſimum ſimulacrum, Tuſcanico opere admodum ſingulare, forſitan VENEREM cognomento ΝΥΜΦΑΝ ſeu SPONSAM deſignat: ideoque more virginum collectis capillis & veſtibus, quae puellis conveniunt, amictam videmus: monetque nuptias & coniugia, non niſi antea propitiato ſuo numine ſacris libationibus, praeviiſque ſacrificiis, felicem eventum bonumque omen habere poſſe: cuiuſmodi ſimulacrum fuit apud Hermionenſes: quorum, teſte Pauſania (3), ea fuit religio, ut virgines, quin & viduae, quae in manum viri conventurae erant, rem ei divinam ante nuptias facerent.

Alterum, quod ſequitur VENERIS ſigillum, in Tabula XCIIII. productum, eximio opere a Tuſco artifice confectum proculdubio eſt; nam Graeci, qui hoc modo VENEREM, ſuperiore corporis parte nudam, inferiore velatam exhibent, in multis ab hac ſculptura recedunt: ſiquidem capillos ſimul collectos, multiſque plexibus & tricis coronatos conficiunt; non, ut in hoc meo, partim circa humeros & pectus eleganter ſparſos, & in orbem collectos. Perbelle Claudianus, natione Etruſcus, & ut aliqui volunt, Floren-

(1) Ex Homero Odyſſ. Lib. VIII. verſ. 360.
(2) Plura Goropius Saxon. Lib. VI. pag. 593.
(3) In Corinthiacis Lib. II. Cap. XXXII. & XXXIV.

Florentinus ; qui aliquod perſimile Veneris ſignum Tuſcum ante oculos habuit , pingit Deae comam , a Nymphis partim comtam in hunc modum , partimque neglectam (1) :

Caeſariem tunc forte VENVS *ſubnixa coruſco*
Fingebat ſolio : dextra laevaque ſorores
Stabant Idaliae : largos haec nectaris imbres
Irrigat : haec morſu numeroſi dentis eburno ,
Multifidum diſcrimen arat ; ſed tertia retro
Dat varios nexus , & iuſto dividit orbes
Ordine , neglectam partem ſtudioſa relinquens :
Plus error decuit . ———

Neque etiam Graeci opifices altiorem mitellam ita ei conſtruunt , multoque minus radiis diſtinctam : etſi aliqua in parte ſint radii admodum detriti : ad haec ornant eius pedes ſandaliis , vel nudos faciunt : non vero induunt calceis puris , ut Tuſci faciunt . Quo in ſimulacro , ſi nuda membra reſpicias , vel pallae defluentis concinnitatem eximiumque artificium , neſcio , an aliud elegantius pulchriuſve excogitari poſſit . Addam & aliud huius ſigni decus , ab Etruſcis artificibus , ut vidimus , honoris cauſa factitatum ; nam eius oculi argentei ſunt , inſertis ex argento globulis ; pupillae vero deſiderantur : quarum loco parva foramina adhuc viſuntur , in quibus pupillas e pretioſiſſimis lapillis inſertas fuiſſe manifeſte adparet .

VENVS hoc modo expreſſa , ſuperne nuda , infra veſtita , quae alteram manum levat ; altera reducta , purum & corporum cupiditate vacantem amorem ſignificans (2) , contegit pudenda , VRANIA ſive CAELESTIS eſſe creditur (3) : quam , quum conſtet mortalium vetuſtiſſimos Aegyptios , Aſſyrios , Arabas , Scythas alioſque plures ſumma religione coluiſſe (4) , admodum veriſimile eſt , Etruſcos quoque divinis honoribus adfeciſſe , ariſque & templis deveneratos eſſe . Superſunt in hoc ſimulacro etiamnum aliquae aurearum bractearum reliquiae , quae indicant totum hoc elegantiſſimum ſimulacrum inauratum fuiſſe .

(1) Nupt. Honor. & Mariae verſ. 99.
(2) V. Pauſaniam Boeot. Lib. IX. Cap. XVI.
(3) Vide marmoreum Veneris *Caeleſtis* ſimulacrum in Vol. III. Muſei Florent. Tab. XXX. & , ſi lubet , quae adnotavi pag. 37.
(4) Id ex antiquis ſcriptoribus oſtendit L. Gyraldus Hiſtor. Deor. Synt. XIII.

TABVLA XCV.

HYMENAEVS
cum IVNONE *& VENERE pictus in Vaſe Etruſco, quod exſtat in Bibliotheca Vaticana.*

DEabus, quae nuptiis & connubiis praeſunt, IVNONI PRONVBAE, & VENERI SPONSAE, pro donario dicatum, vel pro apophoretis, in nuptialibus conviviis, donatum fuiſſe hoc Vaſculum, haud eſt improbabile. Cernitur HYMENAEVS πάρεδρος, alis magnis atque auguſtioris formae inſtructus, ſandaliis calceatus, in medio adſidens IVNONI, quae ſiniſtra donum oſtentat, quod ei vel offert, vel ab eodem cum ipſa conloquente dono accepit. Ex adverſo una ſedet VENVS in ſcopulo, quia e mari orta fingitur, quae dextra ſpeculum Venereum oſtentat, ad quod vultum ſuum, comas, omnemque muliebrem mundum ſolet componere: eoque etiam a Gratiis & Nymphis ornatam deſcribit Philoſtratus (1). Iunonis & Veneris caput mitra revinctum cernitur, velatis inferioribus partibus corporis, ſupernis nudatis. Quod igitur, honoris cauſa, cum magnis Diis adſideat, conſiliorum ſecretorumque particeps HYMENAEVS, ſatis abunde intelligo veteres Etruſcos declaraviſſe ſummam eius potentiam, divinamque eiuſdem numinis praeſentiam: quo favente laetas & fauſtas eſſe nuptias putarunt; quare invocatum exoratumque ut adeſſet cum flammeo, atque cum ardente face, croceis indutum ſoccis, floribus redimitum, pſallentem & laeta carmina concinentem, deducentemque ſponſam ad ſponſi domum, & in conſpectu ſuo, ſoluta zona, geniali in lecto eam conlocantem, iam novimus ex nuptiali carmine elegantiſſimo, quod canendum exhibuit Tibullus (2).

Eodem modo ſedens cum Venere pictus eſt HYMENAEVS in operculo perinſignis Vaſis, Etruſci operis, quod exſtat in Mediceo Theſauro, iam editi apud Dempſterum (3): qui dextera tenet permagnum craterem, ſiniſtra ramuſculum, ut opinor, verbenae, quae nuptiis convenit; ea enim nova nupta, ut auctor eſt Fe-

(1) Iconum Lib. II.
(2) Carm. LX. & LXI.
(3) Tab. XXXV. vide etiam Tab. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV.

Feſtus (1), coronari ſolebat, utpote herba iuxta domum nata: quae etiam ſignificabat, domiſedam futuram eſſe coniugem, domeſticiſque curis intentam (2). E regione eiuſdem Vaſis, accedit ad Venerem Cupido, ſolutas corollas eidem offerens, aliudque muliebre ornamentum: quibus picturis nil elegantius, feſtivius nihil cerni poteſt. De Diis Πάρεδροις, ſive Adſeſſoribus & coniunctis, nuper egregium Commentarium elucubravit ediditque vir Celeberrimus Georgius D' Arnaud, quem ad me dono miſit amicus meus Praeſtantiſſimus Philippus D' Orville.

Quod vero hoc Vas eximii operis ſit ab Etruſco artifice pictum, nemini dubium eſſe arbitror: fidem etiam Tuſcae artis faciunt pro parergis picta maiora folia & bulbi, & circumquaque aſtragali & echini, quibus ad ornatum Tuſci maxime uſi ſunt.

TABVLA XCVI.

GANYMEDIS ET ATYS
vetuſtiſſima ſigilla ex aere, Etruſci operis, proponuntur & illuſtrantur.

Vidi in compluribus Muſeis pulcherrimas aheneas icunculas, Etruſci operis antiquiſſimi, quas alibi depromam, quae Servos de triclinio referunt, eoſque Pocillatores, vel etiam ſacrorum Miniſtros, qui altera manu pateram, altera poculum gerunt (3): verum haec inter, unam prorſus ſingularem & eximiam obſervavi in Muſeo Gaddio, nunc primum a me productam in Tabula XCVI. num. 1. quae etſi his perſimilis ſit, in multis tamen differt; nam quum ex his Miniſtris aliqui egregie comti & calamiſtrati ſint: aliqui coronam lauream vel myrteam capite gerant; haec a me adlata coronam praefert radiatam; quam, ut diximus, Etruſci omnium primi invenere. Ad haec, ſiniſtra non pateram, ſed urceolum ad liquores miſcendos; dextera vero elata poculum, Etruſco more, in os leonis deſinens, oſtentat; quare, ſi meae opinioni calculum ferant viri docti, facile credam, referre poſſe GANYMEDEM, quem Iuppi-

(1) In voce *Corolla*.
(2) Adi Ph. Bonarrotium ad Vaſa vitrea Coemet. Tab. XXVIII. Fig. II. pag. 200.
(3) Vide Pignorium de Servis pag. 68. 69.

Digitized by Google

Iuppiter, propter egregium formae decus, aquilae miniſterio in caelum raptum, ſibi ceteriſque Diis ambroſiam miniſtrare iuſſit, unaque uti conſuetudine, ac beatum aevum tranſigere, ſicuti canit magnus Homerus (1). Regiam coronam radiatam video ei perbelle poſſe convenire, quam ab Iove dono accepit, immortali donatus Deorum conſortio. Indutus eſt veſte ſuccincta, quo ſit expeditior ad miniſteria pocillatoris Deorum obeunda: qui etiam inſignibus calceamentis ſive cothurnis decoratur, ſaltanti ſimilis; quaſi adcumbentes Deos, non forma tantum pulcherrima, ſed muſica quoque ſaltatione recreet atque oblectet.

Sequitur in eadem Tabula XCVI. num. II. Etruſco opere ſculptus ATYS, Phrygius puer, Cybeles magnae Deûm matris amaſius, & ipſe praeſtantiſſima forma & corpore praeditus. Plura non lubet adiicere, quum ea, quae a Mythologis narrantur, ſint vulgatiſſima. Inſiſtit leonis pedi; nam leones ſacri ſunt eidem Deae. E foliis arboris latiſſimis eius caput, Phrygia tiara amictum, exſurgit, quia eviratus in ſilvis degere conſtituit. Aliqui, ut Soſtratus, ATYN faciunt fratrem Thyrreni, natos ex Hercule & Iole (2). Pro fulcro vaſis Etruſci operis inſerviit haec elegantiſſima imaguncula, quae apud me exſtat.

T A B V L A XCVII.

DII DEAEQVE
felicitatem & bonum eventum rebus donantes, ab Etruſcis cultae.

PVlcherrimum, inter cetera, ſervatur aheneum ſigillum Peruſiae, in Muſeo Montemellinio, a me relatum num. I. in Tabula XCVII. quod, ut auguror, Deum repraeſentat, felicitati hominum praeſidem: quem Romani, aperto capite, (non ut Tuſci velatum togatumque) itemque nudum, vel chlamyde ſuper nudo amictum exprimentes, pateram & copiae cornu, vel ſpicas frumenti in eius manibus dantes, BONVM EVENTVM vocarunt. Nec videbitur, ut opinor, male coniicere, qui credet, Romanos, Etruſcorum exemplo, BONVM EVEN-

(1) Iliad. Lib. Y.

(2) V. N. Comitis Mythol. Lib. IX. Cap. V.

Digitized by Google

EVENTVM habitu ſacrificantis ita effinxiſſe; nam oblatis Deo muneribus, quae cornu copia deſignat, ſacriſque libationibus, quas patera indigitat, omnia bona homines conſequi feliciter poſſe putarunt. Quod vero hoc rariſſimum ſignum ſit Etruſcum, inde elucet, etſi non conſideres ſculpturae indolem, quod pedes habet Tyrrhenis calceis indutos. Cernimus adſimili modo expreſſum ſimulacrum Cereris vel Telluris, vel etiam Fortunae, quod ſuperius in Tabula XLVIIII. num II. propoſuimus.

Alterum Deae, Victoriae ſimillimum, ſignum ex aere, quod ſequitur num. II. apud me exſtat. Dea alata, volanti ſimilis, globo inſiſtit: dextra corollam Etruſco more contextam, laeva truncum triplici ſurculo intortum tenet, e quo tria poma punica exſurgunt. Huius pomi ratio myſtica eſt apud veteres: qui in manu Iovis Caſii (1), Iunonis (2) & Victoriae Minervae (3) repoſuerunt. Punica mala pro praemio Victoribus, dum Paeana caneretur, data memorantur: quae ideo felicitatis atque immortalitatis ſymbola habita ſunt. Poteſt igitur haec imaguncula referre non VICTORIAM tantum, verum etiam FELICITATEM & BONAM FORTVNAM, quae frequenter in antiquis ſculpturis Deos & Heroas victores coronat, & copiae cornu praefert.

Eamdem FORTVNAM hominibus faventem ac propitiam, quam Graeci ΑΓΑΘΗΝ ΤΥΧΗΝ dicunt, forſitan repraeſentat alterum ſimulacrum e Tiburtino lapide, altum pedes duos Romanos, in eadem Tabula XCVII. expreſſum num. III. quod obſervavi Volaterris in exteriore pariete domus cuiuſdem villici Monialium S. Lini. Eadem Dea, virginea ſe involvens palla, ſiniſtra torquem Etruſcum tenet, e quo tres bullae dependent. Baſi inſiſtit, eiuſque capiti Etruſcum capitulum impoſitum eſt: quod Tuſci honoris maieſtatiſque gratia ei dederunt, Aegyptiorum exemplo, qui columellas impoſuere Iſidis & Serapidis capiti (4).

Additum eſt num. IV. aheneum Deae caput, intus vacuum, cuius aerea caſſis abſque buculis, apertas aures relinquens, ſub mento religata loro cernitur. Perſimili caſſide videmus protectum aurigarum caput in Circenſibus ludis. Forte refert imaginem Deae EPONAE vel CAMPES, quam ita ſuſpicor dictam, Graece Κάμπην, a *flexu*, ſive a *flectendo*: cuius ſit mentio in antiquo lapide apud Gruterum (5). Vtramque aurigae coluere: quod altera

equis

(1) De eo Achilles Tatius Lib. III. Vide Edm. Dickinſonum de Pythionic. pag. 62. & 63.

(2) Pauſanias in Corinth. Lib. II. Cap. XVII.

(3) Vide Gyraldum Hiſt. Deor. Synt. XI. de Victoria Minerva Athenis culta.

(4) Muſei Flor. Tom. I. Tab. LIII. LIV.

(5) Pag. LXXXVII. 5. Vide quae adnotavi ad Inſcriptiones Donianas Claſſ. I. num. 102. pag. 38.

Digitized by Google

equis & ſtabulis : altera equis bene feliciterque flectendis , & a dextra verſus laevam circumagendis in ludis Circenſibus , praeſenti numine , ut credebant , opportunum auxilium conferret . Exſtat haec imaguncula , huiuſce magnitudinis , Florentiae inter Cimelia Nobilis viri Nicolai Panciatichi .

TABVLA XCVIII. XCVIIII.

DII IGNOTI ab Etruſcis culti : coniecturis , qui ſint , explicantur & illuſtrantur .

OBſervatu dignum cenſeo aheneum parvum ſignum DEI IGNOTI , in Muſeo elegantiſſimo Academiae Etruſcorum Cortonae reconditum , quod profero duplici ſchemate delineatum in Tabula XCVIII. num. I. & II. Indutus eſt hic Deaſter tunica arctiore , demiſſa uſque ad pedes , quos lunatis calceis ornatos cernimus . Caput eius capucio , cucullo valde ſimili , opertum eſt : quod ſub mento revinctum , inde in duas partes diviſum , ad umbilicum uſque demiſſum pendet : poſt humeros quaſi ſcapulare prolixius recidit , integrum quidem nec diſpertitum . Hoc genus veſtis quum a Servis adhibitum videam , qui expreſſi ſunt in Vrnis cinerariis veterum Etruſcorum , quique ſponſas in pilentis ſive carpentis deducunt & comitantur , quas Vrnas inferius proferam ; hac non levi fretus coniectura , arbitror , hoc ſignum referre Deum , in cuius tutela Servi familiarum erant . Neque etiam adverſabor , ſi quis cenſeat repraeſentare aliquod Numen ruſticorum proprium ; nam eo modo cucullati ruſtici exhibentur in antiquis ſculpturis , dum ruris opera exercent , ad arcendas pluviae , aëris , frigoris & caloris iniurias (1) .

Servas feminas in tutela fuiſſe Iunonis Feroniae (2) , cuius templum Tarracinae fuit , colligi poteſt ex verbis Livii (3) , quae Fa-

(1) Vide Sponium in Miſcell. erud. ant. Sect. IX. pag. 308. num. X. XI.

(2) Ex Servio ad Lib. VIII. Aeneid. verſ. 564.

(3) Lib. XX. Cap. I.

Digitized by Google

Fabrettus exponit (1). Huius Deae aeream imagunculam, nuper inventam in agro Cortonenſi, vidi in Muſeo Corazio: quam etiam exhibeo in eadem Tabula XCVIII. num. III. & IV. Ancillarum more, quae in iiſdem Vrnis Etruſcorum ita exhibentur, palliolo, quod totum caput & corpus operit, amicta conſpicitur. Hos alioſque adſimiles Deos, ſervilibus veſtibus indutos, eos eſſe arbitror, quos antiqui ANCVLOS & ANCVLAS vocarunt, quaſi dicas *miniſtros*; nam, ut auctor eſt Feſtus, antiqui *anculare* dicebant pro *miniſtrare*: ex quo Dii Genii ſervorum, & Iunones ancillarum, *Anculi* & *Anculae* a priſcis Latinis adpellatae, cenſentur: deſumto forſitan ex Etruſcorum lingua hoc vocabulo, quod alibi diligentius expendam. Hinc etiam, eodem Feſto docente, *anclabrem* menſam, miniſteriis divinis aptam: vaſa quoque ahenea, quibus ſacerdotes utebantur, *anclabria* dixere. Eodem Etruſcorum exemplo, Vernae Romani peculiarem Deum coluere VERNANVM, ſuoque etiam nomine donarunt; cui aedituum, feſtumque diem, quotannis ſolemnibus ſacrificiis celebrandum XVII. Kalendas Novembres, adſignarunt. Eiuſdem DEI VERNANI mentio habetur in inſigni lapide apud Antium eruto, qui e Muſeo Albano tranſlatus, nunc in Capitolio ſervatur (2).

Cubitorio pallio velatum cernimus praepinguem puerum iacentem in lecto, duobus pulvinaribus innixum, relatum num. V. in eadem Tabula XCVIII. Haec ahenea icuncula adſervatur in eodem Corazio Larario, nuper inventa in agro Cortonenſi, loco vulgo *Sepoltaglia* dicto. Mea ſententia refert Deum infantium vel puerorum praeſidem; neſcio an eum, quem poſtea Romani *Statinum*, vel potius *Lallum*, vel *Fabulinum* dixere: cui, quum pueri primum fari incipiebant, vota & ſacra parentes facere ſolebant (3).

E regione num. VI. in eadem Tabula XCVIII. vides elegantiſſimum Deae cubantis ſigillum ex aere, quod apud me exſtat. Pallio caput habet obnuptum: dextra credes tenere anguem; ego potius cingulum agnoſco: quae forſitan imago referre poteſt IVNONEM cognomento CINXIAM, cuius nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugii ſolutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta, ut auctor eſt Feſtus. Arnobius, inquit: *Cingulorum replicationi* Cinxia *ſupereſt*. Cingulum circumplicatum evidentius adparet; nam ſi anguis eſſet, in extremo caput eius non tam exile, ſed multo craſſius confectum eſſet.

(1) Inſcript. ant. Cap. IV. pag. 454. 455.
(2) Edidit Cl. Fr. Blanchinius ad Tom. II. Anaſtaſii pag. CCXXI.
(3) Varro apud Nonium de Propr. Serm. Cap. XII. Vide Th. Bartholinum de Puerperio veterum pag. 72. 116. 121.

His breviter expoſitis, ad explicanda tria ſigna ex aere, adlata in Tabula XCVIIII. gradum facio. Primum, quod in medio cernitur, nudam Nympham, ſaxi fragmentum utraque manu in capite ſublatum tenentem, forte ECHO repraeſentat. Pani Deo fuit amica. Eius enim beneficio exercitus Bacchi, eidem Pani creditus, edito ingenti clamore, quem repercuſſum petrae concavique ſaltus multo maiorem reddiderunt, ab hoſtium irruentium periculo liberatus eſt; nam hi, fragore vocum decepti, putarunt innumerabiles eſſe Bacchi copias, quae trans concavum ſaltum caſtra poſuerant (1). Philoſtratus memorat, Dodone in templo Iovis fuiſſe cultam ECHO, cuius ſimulacrum aheneum, ori manum adponens, expreſſum erat. Aliter Etruſcis viſum, & quidem ad vocem e petris repercuſſam oſtendendam, multo convenientius. Exſtat hoc Etruſcum aheneum ſignum in regio Mediceo Cimeliarchio.

Alterum, Deae, ut opinor, IVNONIS ſeu VENERIS, ſigillum, quod ſequitur num. II. in eadem Tabula XCVIIII. omni cultu ornatuque pulcherrimum, in Muſeo Nob. Viri Nicolai Panciatichi adſervatur. Duplex diadema eius caput exornat: alterum ex unionum linea confectum: alterum e ſacra vitta ſive aurea corona concinnatum. Ea inter dona hoſpitalia, quae Didoni mittit Aeneas (2), enumeratur maximae natarum Priami monile baccatum, & corona regia duplex (qualis haec data VENERI ſive IVNONI ab Etruſcis conſpicitur) aurea ſimul & gemmea: cuius, ſcilicet, duplex erat contextus, unus aureus, alter gemmeus; ſed uterque ita mixtus & compactus, ut unus eſſet: quae coronae Chryſoſtomo λιθοκόλλητοι σλέφχνοι dicuntur. Peculiaris formae ſunt inaures rotundae cum gemma vel aureo globulo in medio perforato: capillorum cultus, ſtroppus, calcei lunati, tunica tenuiſſima, e qua latentia membra tranſparent, omnem continent elegantiam: e quibus ſimulacris, quantum fuerit Tuſcorum artificum ingenium, exquiſitumque in ornandis Deorum ſimulacris ſtudium, perſpicue liquet.

Altera, quae ſupereſt, imaguncula, haud facile dixerim, an IVNONEM referre poſſit. Hanc lubenter profero e Muſeo Corazio, ut Deam cernuo corpore effictam, atque Etruſco auguſtiori diademate coronatam, conſideremus. Inventum eſt hoc perparvum ſignum in Villa Spectatiſſimi Viri Orſelli in agro Cortonenſi, quae vulgo *il Campaccio* vocatur.

TA-

(1) Ex Polyaeno in Statagem Lib. 1. Cap. 1I. (2) Virgilius Aeneid. Lib. 1. verſ. 655.

TABVLA C. CI. CII. CIII.

PENATES. LARES PVBLICI AC PRIVATI
e compluribus ſignis veterum Etruſcorum declarantur.

OMnium antiquiſſima Deorum ſigna, quae in Muſeis, per totam Etruriam a me luſtratis, vidi, quaeque hac tempeſtate his in locis effodiuntur, cum vetuſtiſſimis Aegyptiorum Deorum ſimulacris maxime conveniunt; nam, quae primam referunt Idololatriae aetatem, ſculpta ſunt capite ornato mitra in ſpeciem coni faſtigiata, ſive tutulo praealto: arctiſſima tunica cinguntur, ſub qua manus latent, vel, ſi exſertae ſint, eae ut plurimum lateri coniunctae adhaerent: pedes ſimul iuncti, non divaricati viſuntur, neque etiam nudi, ſed calceis repandis ſive lunatis decorantur. Dii antiquiores oculis clauſis effícti ſunt (1), apertis paullo poſteriores, quando ars infantiam exuit. In effingendis manibus & pedibus adeo peccarunt primi opifices, ut pro manibus indiſtinctis, tubum expreſſerint, ſi quid Deos geſtare vellent: ſi vero manibus apertis quaſi orantes eos fecere, digitos immaniter longos exhibuerunt.

Nulla etiam ſymbola manibus praeferre ſolent, quae primae aetatis cenſentur veterum Etruſcorum ſimulacra: quae vero ſecundae, dextra pomum vel pateram gerunt, vel arma iaculantur. His dantur veſtes ſcutulatae & ſegmentatae: duplicia monilia radiata & bullis ornata, capilli maiori cultu concinnati: deinde creſcente luxu, & artificum ſimul ſtudio atque ingenio, frequentius ſigna Deorum operoſiora efficta viſuntur.

His praenotatis, haud erit, ut arbitror, difficile inveſtigare, qui ſint DII PENATES AC DII LARES & INDIGETES, quos Etruſci, ante Aeneae adventum, in Italiam venientes, invexerunt, colendoſque primis harum regionum incolis propoſuerunt. Hos Cicero non uno in loco adpellat Deos PATRIOS (2), eoſque ita com-

(1) Vide Iunii Catal. Pictor. in Daedalo. (2) Orat. pro Sextio c. xx.

compellat (1): *Vos* DII PATRII *ac* PENATES, *qui huic urbi atque huic imperio praeſidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem populumque Romanum, qui haec tecta atque templa veſtro numine auxilioque ſervaſtis.* Immo eos urbis ac reipublicae praeſides vocat (2), ut inde ſatis pateat, eoſdem eſſe Deos PENATES ac DEOS PATRIOS; quare & Virgilius (3) eos vocat *patrios Penates*: & Dionyſius Halicarnaſſenſis eos a Graecis dictos ait πατρώους, γενεθλίους, etiam μεγάλους, ut notat Struvius (4). Inde Virgilius (5) PENATES & DEOS MAGNOS coniungit: ad quos ſpectat inſcriptio apud Gruterum (6):

DIIS DEABVS
PENATIBVS
FAMILIARIBVS
ET IOVI CETERIS
VE DIIBVS

Nigidius, ut refert Arnobius (7), diſciplinas Etruſcas ſequens, genera eſſe PENATIVM quatuor: & eſſe Iovis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, dixit. Verum in his haud diutius immorandum, quum nec ipſi antiqui ſcriptores de DIIS PENATIBVS quid certi & explorati reliquerint: immo haeſitantes ambiguas diſcrepanteſque ſententias opinionum mille varietatibus depromſerint: quod Arnobium legentibus perſpicuum ſatis ſuperque eſt (8). Horum imagines ſe vidiſſe teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis in templo Romae in foro, cum inſcriptione DENAS, quae *Penates* eſſe ſignificabat; putat enim, priſcos ante inventum P uſurpaſſe pro eo D litteram: eoſque fuiſſe haſtatos duos iuvenes habitu ſedentium, operis admodum antiqui, atque, ut ego ſuſpicor, forſitan Etruſci; nam, ut vidimus, huius gentis mos fuit, Deorum imaginibus adponere eorum nomina. Hos exhibet, ut exiſtimat Michaël Angelus Cauſeus (9), patera Etruſca adlata in Tabula C. num. I. Simulacrum loco manubrii adiunctum, quod pateram ſuſtinet, non Bacchum, ut vult idem Cauſeus, ſed GENIVM, in cuius tutela res erat familiaris, referre arbitror, & quidem cum capite floribus redimito; nam

(1) Pro Sulla c. XXXI.
(2) Pro domo ſua c. LVII.
(3) Aeneid. Lib. II. verſ. 718.
(4) De Diis Romanor. Cap. I. pag. 175.
(5) Aeneid. Lib. III. verſ. 12.
(6) Pag. II. 9.
(7) Lib. III. adverſus Gentes.
(8) Ibidem verſus finem Lib. III.
(9) Romani Muſei Sect. III. Tab. XXII. pag. 85. qui primus eam edidit.

Digitized by Google

nam ei corollae in ſacris offerebantur. Frequentius DII PENATES veterum Etruſcorum ſtantes atque arma gerentes exhibentur, ut patet ex adlatis in eadem Tabula, atque ex ſequentibus mox adferendis, vetuſtiſſimis ſignis.

Sequuntur in Tabula CI. CII. & CIII. DII LARES tum publici, qui viis & compitis, tum privati, qui domibus & rei familiari praeſidebant. Horum nomen ex Etruſca lingua depromtum, nemo eſt qui non videat. Bullatas LARVM imagines cernimus; nam egreſſi pueritiam LARIBVS bullam (1) & tonſos capillos donabant dedicabantque. Eorum ſigna legimus unguentis delibuta (2), thure minuto aut farre, vino & coronis vel floreis vel ſpiceis culta atque exornata (3): iiſdem primitiae & dona de menſa oblata, epulae adpoſitae in patellis vel fictilibus, quae antiquiores fuere, vel aereis, in quibus eorum imagines non raro caelatae obſervantur. Vides etiam LARES Deos dona mortalibus offerre, vel ab iiſdem accepta, blando geſtu declarare ſibi grata atque auſpicata, ſi offerantur, ſemper fore. Sed de LARVM cultu ac de donariis, quum aliorum ſcrinia ſint antiquae eruditionis divitiis refertiſſima, ea compilare nefas eſſe cenſeo.

A TABVLA CIIII. AD TAB. CXVIIII.

DII INDIGETES AVERRVNCI. HEROES divinis honoribus conſecrati & culti ab Etruſcis.

DEos INDIGETES & HEROAS ab Etruſcis conſecratos fuiſſe diviniſque honoribus cultos, perſpicue oſtendunt complura ſigna ex aere operis antiquiſſimi, quae quum in Muſeis, quae in Etruria ſunt, obſervaverim, ex his habito delectu, inſigniora in hiſce Tabulis incidenda curavi. INDIGETES Deos & HEROAS eos eſſe aliqui cenſent, qui ex homi-

(1) Propertius Lib. IV. Eleg. I. verſ. 131. Perſius Sat. V. verſ. 31.

(2) Prudentius in Symmachum I. verſ. 204.

(3) Tibullus Lib. I. Eleg. XI. verſ. 22.

minibus Dii factis, ac propter eximia merita, divinitatem ſunt conſecuti (1). Hos urbium, familiarum domorumque cuſtodes, ſemper faventes ac propitios eſſe crediderunt. Etruſci armatos eos exhibent, haſtam vel telum iaculantes, ut perdant impios homines & hoſtes, malaque omnia propulſent atque avertant: qua de re etiam AVERRVNCOS adpellavere.

Horum numerum primus init HEROS expreſſus in Tabula CIIII. num. I. & II. qui quaſi a bello revertatur, more militum iter facientium, poſt humeros ſuſpenſum gerit clypeum, e cuius loro ante pectus bulla dependet: ſiniſtra tenet parazonium, dextra clavam, ſeu potius auxiliatorium baculum. Ocreas habet, quas lora, circa tibiam religata, duplici ordine ſubnectunt. Illud etiam notatu dignum, quod galeam praealtis utrimque cornibus inſtructam gerit; ea vero bubula pelle contecta videtur: non diſſimilis galeae, quam Meriones apud Homerum (2), capiti Vlyſſis imponit; ea tamen fulmineis apri dentibus armata erat, quam praeferunt milites Etruſci, caelati in inſigni vaſe argenteo inaurato, litteris quoque Tuſcis inſcripto, iam edito apud Dempſterum (3), quod nunc exſtat in Mediceo Theſauro. Iisdem apri dentibus forte ſtipata galea Veneris armatae, cuius ſimulacrum ſuperius editum eſt in Tabula XLII.

Prodit e Muſeo Bonarrotio curioſum aeneum ſignum, altum pedes duos, in eadem Tabula CIIII. num. III. expoſitum, quod nuper Volaterris erutum eſt. LAREM domeſticum, humana ſpecie maiorem auguſtioremve, referre poteſt: vel e numero LEMVRVM unum, quem Genii mali adminiſtrum credidere: vel etiam eumdem GENIVM MALVM, quem ex Plutarcho compertum eſt (4), humana ſpecie eminentiorem adparuiſſe Bruto, quum fatalis illi dies immineret.

Prolixa ac rudis caeſaries, primaevae Tuſcorum aetati ab omni luxu remotae conveniens, ſatis aperte indicat, quam ſit antiquum Dei INDIGETIS AVERRVNCI ſignum aheneum, quod adfertur in ſequenti Tabula CV. Exſtat Florentiae in aedibus Domni Abbatis Monaſterii Monachorum Camalduleniſum S. Mariae Angelorum. Lignea baſis huic ſimulacro ſubiecta, recenti manu inſcripta, declarat ipſum repertum fuiſſe in Alpibus Abbatiae Montis Cornari, Camalduleniſis Ordinis, anno CIƆ.IƆ.CLV. quod ut ibi perpetuo exſtaret, Domnus Maurus Curſius Epiſcopus,

ex

(1) Vide L. Gyraldum Syntagm. Deor. I. Hiſtor. Deorum.

(2) Iliad. Lib. X. verſ. 256. Vide Fabrettum de Column. Traian. Cap. VII. pag. 222.

(3) Vide Tabula LXXVIII.

(4) Lib. de animi tranquillitate.

ex eodem Ordine, eo loci poſuit. Aliqui cenſent, veterum Etruſcorum eſſe IOVEM INDIGETEM: ego localem & patrium Deum, forte earumdem Alpium praeſidem, eſſe arbitror; quem poſtea PENINVM dixere, cuius meminit Livius (1): cultumque ſolemnibus ſacrificiis fuiſſe, oſtendit ara a Sponio edita (2), in qua, perinde ac Iuppiter, *Deus optimus maximus* adpellatur. *Pen*, a quo Dei PENINI & montium Apeninorum nomen, Celtica lingua, rei cuiuſque ſummitatem & caput ſignificat, ut idem Sponius obſervat.

Sequuntur in ceteris Tabulis, e compluribus Muſeis delectae, HEROVM imagines. Ex his HEROES, qui efficti ſunt nudo corpore, capite vel aperto, vel, ad terrorem hoſtibus incutiendum, intecto ferarum pellibus, quas domuere; vel etiam leonis, vel tauri exuviis incincti pro ſubligaculis, omnium ſunt antiquiſſimi: reliqui vero proximioris aetatis opera habentur, quum arma in uſu eſſe coeperunt. Singula diligentius non deſcribo, atque obſervationibus illuſtro; quia de armis veterum Etruſcorum loco magis idoneo atque opportuno diſſerendum eſſe cenſeo. Signum HEROIS, quod proponitur in Tabula CVI. quodque antiquitus inauratum fuit, IOLAVM facile referre poteſt, quem cum Hercule coluerunt Sardi montani, & ipſi Etruſcorum coloni (3). Alterum ſignum aereum, quod ſequitur in Tabula CVII. valde eſt inſigne, exſtatque Piſauri in Muſeo Nobiliſſimi Clariſſimique Viri Annibalis de Abatibus Oliverii, amici mei optimi. Facile referre poteſt TYRRHENVM Herculis filium, quo duce Tyrrheni, ſive Etruſci, has in Italia regiones occuparunt (4).

Perinſigne eſt, quod exhibeo in Tabula CVIII. aheneum ſimulacrum HEROIS, galea, thorace & ocreis armati, iaculantis habitu, quod olim erutum Ravennae, nunc exſtat Cortonae in Muſeo Corazio, tum propter magnitudinem (altum eſt enim pedem unum antiquum Romanum, & circiter uncias tres) tum etiam propter Etruſcam inſcriptionem βουστροφηδὸν, in dextro latere inſculptam, quae eius nomen facile declarat. Galea altiori tutulo ſeu capulo ornata eſt. Sub thorace fimbriato pendet ſubligaculum quadratum, quo pudenda velantur. Illud notandum, quod nudipedes hi HEROES ſculpti ſunt, praeter quam ille ſculptus in Tabula CXI. Etruſcorum HEROES, maxime omnium celebres, HALESVS fuere, qui ſacra Iunonis ex Graecia in Etruriam intulit (5), quique Faliſcos & Alſium civitates condidit, quem forte exprimit hoc ſignum:

(1) Decad. 1. Lib. 1.
(2) In Miſcell. erudit. antiq. Sect. III. num. XXX. pag. 85.
(3) Vide quae de eo notat Voſſius Idolol. Lib. 1. Cap. XL. pag. 107.
(4) Confer Theod. Ryckium Diſſertat. de primis Italiae Colonis Cap. VI. pag. 422.
(5) V. Dempſt. Etr. Reg. Lib. III. Cap. VIII.

Digitized by Google

ſignum : HALESVS Rex Veientum, Neptuni filius, Saliorum carmine laudatus, qui Faleriam condidit : FONTVS Iani filius : AVNVS, MALAEOTVS, RHAETVS: qui, propter inſignem in gerendis bellis virtutem atque praeclara geſta, Etruſcorum imperium amplificarunt, ſummaque prudentia tenuere, divinis honoribus poſt mortem culti & conſecrati : quos reliqua ſigna, quae ſubiicio, facile referre poſſunt. Tabula CXI. HEROS ETRVSCVS galeam gerit, quae totum caput & vultum, quaſi oſcillum admovendum vel removendum, obtegit. Pro temporum varietate, vario modo galeas ab Etruſcis fabricatas cernimus, quas alibi luculentius expendemus. In Tabula CXIII. notandus eſt duplex HEROIS thorax, quo etiam, ut ita dicam, collari ad tuendos humeros & pectus ſuperinduitur : cui innexum cernitur ſalutare ſignum tauticum (quod Dii Aegyptiorum manibus geſtare ſolent) quaſi anſata crux. In Tabula CXV. HEROS in bello vulneratus, ab alio pietatis cauſa in caſtra deducitur : alius in Tabula CXVI. ad ſepulcrum iam fato functus a duobus militibus effertur.



MV-



MVSEI ETRVSCI

CLASSIS II.

FABVLAS EX ANTIQVIS TVSCORVM MONVMENTIS EXHIBENS.

DISSERTATIO II.

DE MYTHOLOGIA VETERVM ETRVSCORVM.

Omnium PHILOSOPHIA optimarum artium parens, una cum Dei cultu & religione orta eſt: cuius praecepta, quum gentium fere omnium ſapientiſſimi homines, inprimis vero, qui cultiores habiti ſunt, Graeci & Etruſci, ab Aegyptiis, praecipuis verſanae ſuperſtitionis auctoribus, permagno ſtudio didiciſſent, in patriam regreſſi, vel exteras quaerere ſedes compulſi, quod maxime Tuſcis contigit, occultarunt involveruntque FABVLARVM figmentis, ne ſtatim ac ea docuiſſent, ab imperito vulgo, ſacris myſteriis haud initiato, iudicando diſceptandoque, ut ſolet, contemnerentur, ſeu temerario

iudicio perturbarentur. Primum, unus omnium Deus fuit, ſummus univerſae naturae creator & moderator, pura religione caſtiſque caerimoniis cultus: poſtmodum ingeniis ſtudiiſque ſuis perverſe utentes homines, obſervatò caelo ſtellis exornato, Sole & Luna, eorumque proprietatibus: inſpectis perſcrutatiſque naturae & elementorum occultis viribus, effectibus & poteſtate (1); quum Deum multiplicaſſent, atque in rebus omnibus divinum quid eſſe credidiſſent, aucto in immenſum Deorum numero, FABVLAS quoque varias ac multiplices in infinitum prope modum invexerunt. Has mortalium primi ex ſacris noſtris Libris, veritatis & religionis puriſſimis fontibus, diſtraxere, ut oſtendit magnus vir Daniel Huetius (2): veteres quoque Aſtronomi ac Philoſophi auxerunt atque amplificarunt: Poëtae imaginum elegantia & varietate exornarunt, carminumque muſicis modulationibus, ac blanda harmonia magis magiſque pervulgarunt, & rudi plebi credibiliores reddidere: rem quoque ſuam addidere Deorum ſacerdotes, qui initiationes & occulta myſteria invexerunt, infandas quidem diabolicae pravitatis & fallaciae praeſtigias: opem ſuam civiles magiſtratus, parentes ac nutrices in puerorum inſtitutione (3), itemque Pictores & Sculptores in publicis ac privatis monumentis contulerunt: qui omnes, Aegyptiorum exemplo, ne apud poſteros interiret priſcae Theologiae memoria, FABVLAS aeri ac marmori ſculpendas, atque in templorum parietibus pingendas eſſe cenſuerunt.

In ſculpturis Aegyptiorum, Graecorum & Etruſcorum, quae dumtaxat ad noſtram aetatem, poſt tot ſecula totque rerum viciſſitudines, pervenere, omnis Hiſtoria ſacra & civilis, ut videbimus, continetur: FABVLAE expreſſae ſunt, quae ſecreta naturae continent: dogmata & exempla ex abdito penitioris Philoſophiae ſacrario ſuppeditant: quibus priſci mortales ad Deorum cultum & mirandorum naturae operum contemplationem, ad omnem prudentiam & humanitatem, ad ferendos forti animo inconſtantis fortunae caſus inſtituerentur efformarenturque. Igitur ex FABVLIS eruditionem, ſapientiam, omnem denique utilitatem ſpectatores haurire poſſe, veteres autumarunt (4).

FABVLAE omnes in complures claſſes, ut video, ordinari poſſunt: aliae enim ſunt Genealogicae, quae ad Theogoniam ſive ad originem Deorum oſtendendam pertinent: aliae Aſtronomicae, quae

(1) Vide Platonem in Cratylo, & Heraclidem Ponticum ad Allegorias Homeri.
(2) Demonſtrationis Evangelicae Prop. IV. Cap. VIII.
(3) Ex Platone Lib. II. de Republica.
(4) De Fabularum utilitate vide Dionyſium Halicarnaſſ. Lib. I. Antiq. Herodotum in Euterpe.

quae ſignorum caeleſtium hiſtorias complectuntur : aliae Phyſiologicae , quae elementorum totiuſque naturae rerum productricis arcanas operationes exprimunt : aliae Hiſtoricae , quae Heroum geſta , bella , victorias praeferunt ; quaeque ſecundos vel adverſos , tragicos & ferales rerum eventus tradunt : aliae Philoſophicae , aliae Poëticae & Aenigmaticae : Morales & Politicae aliae : aliae Monſtroſae , & , ut ita dicam , Prodigiales , quae monſtrorum ortum , & hominum in belluas aut in aliam rem transformatorum caſus exhibent : quae omnia ex antiqua traditione figmenta , viri ſapientes , ut ab omni ſcelere homines averterent , in adverſis ſolatio adiuvarent , atque ut ad ſolam virtutem capeſſendam excitarent inſtituerentque , ſagaci conſilio excogitarunt & in antiquiſſimis monumentis perennare voluerunt . Alia profecto plurima , quae ad Etruſcos pertinent , ſciremus , ſi exſtarent Etruſcorum ſcripta de his volumina ; quare pro libris atque antiquis tabulis , haec , quae adferimus , monumenta , magno in precio habenda ſunt.

Nationes omnes , praeter FABVLAS cum aliis gentibus communes , proprias quoque & peculiares habuere . Aegyptii multa apud alios populos minime pervulgata figmenta , de Iſide , Oſiride , Horo , Typhone , Harpocrate ceteriſque Deis : item de quibuſdam animalibus fabulati ſunt . Graeci multa de Minervae contentione cum Neptuno , uter obtinere deberet Atticam : de Deucalione & Pyrrha , de Cadmo , de Cecrope , ceteriſque mortalium antiquiſſimis commenti ſunt . Per ſingulas nationes ire non lubet ; nota enim haec ſunt iis , qui ſaltem Herodotum , Pauſaniam & Diodorum Siculum legerunt .

Ad ETRVSCOS , quos unice reſpicit a me inſtitutus ſermo , ut deſcendam , praeter FABVLAS , quas cum Graecis communes habuere , ipſi quoque ſingulares , & quidem ſatis reconditas , Italis populis propoſuere . Primum ea memoranda eſt , quae Iani in Italiam adventum , exceptumque ab eo hoſpitio extorrem Saturnum tradit : dein altera , quae ſpectat ad novem Deos Etruſcorum Conſentes , quos fulmina (& quidem undecim generum , unicuique ſua ac propria) iaculare docuerunt , ut auctor eſt Plinius (1) . Adde alteram de Baccho peculiarem fabulam , toto orbe celebrem , atque a Graecis quoque in feſtis Bacchi decantari ſolitam in hymno , cuius aliqui Orpheum , aliqui Homerum auctorem faciunt . Ea fabula declaratur , antiquos Tyrrhenos , quum Bacchum in navi perducerent , tentarentque eum captivum facere , omnes in delphines eſſe converſos (2) ; quare in ſepulcris Etruſcorum ,

(1) Natural. Hiſt. Lib. II. Cap. LII.

(2) Vide Ariſtidem in orat. in Bacchum.

Digitized by Google

ſcorum, ut infra videbimus, non raro, ad Mortem Fatumque indicandum, ſculpti occurrunt delphines; quod & Romani fecerunt.

Aliae etiam ex Etruſcis innotuere peculiares fabulae: de Iove, qui omnem Etruriae regionem ſuo vindicavit imperio (mortuo, ut arbitror, Saturno) conſtituitque metiri campos, & ſignari agros, uti ſupra adnotavimus: de Baccho puero, quem ferunt, crepundiis deceptum, dilaniatum, membraque eius elixata in lebete, & aſſata igne fuiſſe (1). De puero Tagete, eiuſque prodigioſa e Tarquinienſi agro eruptione, oratione, doctrina, inſtitutione, inventis, oraculis, conſcriptiſque libris de haruſpicina: de Etruſca Nympha Bygöe, rerum caeleſtium arcanorumque naturae effectuum ſcientiſſima; cuius imaginem paullo ſuperius expoſuimus (2). Nihil dico de fabulis, quae circa Deos verſantur, quos Tuſci patrios & peculiares his regionum populis publico honore colendos propoſuerunt.

Huc ſpectant pervulgata ab Homero in Vlyſſis peregrinatione, praeſertim in Tyrrheno mari, pericula & errores: fabula Sirenum, Scyllae, Circes, Calypſus, Ciclopum, Iaſonis & Medeae; quae ſummus ille Poëta, vel ex vetuſtiſſimis Tuſcorum traditionibus & commentis, vel ex hiſce maxime omnium antiquis monumentis & ſculpturis, quas nunc primum in lucem edimus, percepit & diligenter collegit. His vero adhibitis figmentis, quum Vlyſſis vitam deſcriberet, atque immortali carmine adornaret, nil aliud ſignificare voluit, quam animo fortem, prudentem, ſapientemque & tenacem propoſiti virum, qui vitia turpiſſima, quibus hominum vita corrumpitur, tamquam immania monſtra horrendaque pericula oderit atque evitarit (3). Veniſſe Homerum in in Etruriam, & has fabulas ab Etruſcis didiciſſe, quibus Vlyſſis vitam illuſtravit, iam conſtat Strabonis (4) & Heraclidis Pontici teſtimonio (5). Perluſtrata Etruria, multa etiam a magnis Philoſophis intellexit, de Averno, de Acheronte, de animarum immortalitate, de umbris & idolis mortuorum apud inferos, de damnatorum ſuppliciis, de bonorum hominum beatitudine apud Elyſios: quae quidem apud Etruſcos erant omnium maxime pervulgata. Quum igitur haec, quae Homerus probavit deſcripſitque, in pateris & in ſepulcralibus urnis veterum Etruſcorum, ut videbimus, ſculpta reperiantur; facile credi poteſt, ex his quoque monumentis divinum Poëtam eas fabulas decerpſiſſe.

Id

(1) Ex Clem. Alex. in Protr. & Euſebio de Praepar. Evang. Lib. 11. Cap. vi.

(2) Tab. xv. pag. 49. 50. 51. 52. 53.

(3) Ex Heraclide Pont. in Allegor. Homeri.

(4) Geograph. Lib. v. 224.

(5) Lib. de Politiis in Cephaleniis.

Id quod probare contendo, ut ſit perſpicuum, & ne quid in hoc opere praetermittam, quod ad illuſtrandam antiquam Etruſcorum MYTHOLOGIAM maxime conducit, lubet breviter recenſere FABVLAS omnes, quae in Tuſcanicis monumentis, aeri vel marmori inciſis, depictiſve in elegantibus Vaſculis in Dempſterianis voluminibus exhibentur; a quibus ut me expedivero, FABVLAS, quae in hoc opere nunc primum in lucem prodeunt, illuſtratis ſingulis Tabulis, in hac Claſſe contentis, exponam. Primum ex peculiaribus fabulis Volta monſtrum, quod milites interficere conantur, ſculptum habes in Tabula XXV. Tages puer in Tabula XLV. exhibetur: in Tabula I. apud Dempſterum occurrit Minerva e capite Iovis oriens: in Tabula II. Herculis Apotheoſis: in Tabula III. tria Numina, erga homines maxime benefica & ſalutaria, repraeſentantur, Apollo, Bacchus & Mercurius; quos veteres Mythologi Solem, eiuſque virtutem referre adfirmarunt: in Tabula IV. & XXXVIII. Paridis iudicium: in Tabula V. Perſeus, adiuvante Minerva, Gorgonem obtruncans; in Tabula VI. Hercules, Minerva praeſente, Hydram interficiens: in Tabula VIIII. Apollo Marſyam ad arborem revinciens: in Tabula XX. Circe poculum Vlyſſi offerens: qui inde diſceſſurus, calceos induere videtur: in Tabula XXI. pugna Centaurorum: in Tabula XXII. Chimaera a Bellerophonte interfecta: in Tabula XXX. & XXXI. ad deſignandam caeleſtis ignis & elementaris naturam, Apollo & Vulcanus ſtantes iuxta Iovem in throno ſedentem. Tabula LXVIII. Amazonum pugnam pro Troianis adverſus Graecos exhibet: Tabula LXX. Deorum pugnam cum Gigantibus: Tabula LXXI. num. I. & II. Heroum certamina fabuloſa: Tabula LXXX. num. II. Scyllam homines vel occidentem vel cum eis pugnantem: Tabula LXXXVIII. damnatorum ſupplicia apud inferos, ad quos animas Charon vel Hercules deducit: Tabula XCI. proponit Peleum Thetin Nympham rapientem. Bonarrotius cenſet eſſe Plutonem, qui Proſerpinam rapit; ſed priorem potius fabulam Etruſca inſcriptio indigitat, ut paullo ſupra obſervavimus.

His adde fabuloſam Bacchi adverſus Indos hoſtes expeditionem, victoriam, reditum, laetitiam, toto exultante eius famulitio & turba, quae paſſim in Etruſcis vaſculis, apud eumdem Dempſterum relatis, picta obſervantur. Adde Iovis pugnam adverſus Typhonem: contra quem bellaturus, alatos equos ad currum iunxit, & immaniſſimum hoſtem ad Tartara detruſit: quae fabula, ni fallor, exhibetur in marmorea Vrna Cluſina ſepulcrali apud Dempſterum Tabula LXXI. num. II. In ea etiam cernitur

mu-

mulier alata, cum pedibus ſerpentinis, quae Diſcordia, inferum Numen, eſſe poteſt. In Etruſco Vaſe apud eumdem Dempſterum Tabula LXX. cum Neptuno, quadrigam agitante, picta eſt Minerva Coreſia, quam forſitan Etruſci crediderunt, quadrigam Neptuno confeciſſe, eiuſque regendi modum docuiſſe. In ſepulcrali Vrna Peruſina, ut in Tabula LXVII. vir navis gubernaculum tenens, facile eſſe poteſt Palaemon, Neptuni comes: qui interfecto fratre Learcho ab Athamante patre ſuo, Furiis agitato, quum idem & Melicertam alterum fratrem perſequeretur, e ſcopulo ſe cum matre Ino in mare praecipitavit, qui Numinum voluntate in Deos verſi ſunt: quorum imagines forte exhibet Tabula XVII. ſuperius a me edita. Hunc Latini Portunum, matrem Iuturnam ſive Matutam, Graeci vero Leucotheam dixere.

Neque etiam ſilentio praetereundae ſunt Furiae, quae tam frequenter repraeſentantur in monumentis veterum Etruſcorum; iis tamen ſculpturis exceptis, in quibus ſacra myſteria ab initiatis hominibus rite ſancteque peraguntur: quod notatu dignum mihi videtur. Quamvis vero Furias rerum humanarum ſpeculatrices, ſcelerumque vindices crediderint Graeci aliaeque nationes; tamen multa de his, aliis gentibus incognita, opinatos eſſe Tuſcos, non inanibus coniecturis ſuſpicari poſſumus: de quibus ſatis abunde ſupra me iam dicere memini.

Caſtorum fabulam, Etruſcis notam fuiſſe, ne quis ambigat, docet apud Dempſterum edita inſignis patera Tabula VII. & pondera ſive aſſes, ad uſum monetarum, in quibus manus ceſto armatae viſuntur. In Vrna Cluſina in Tabula LXXI. magnus vir Bonarrotius Herculem, ſtrenue pugnantem adverſus hoſtes, facibus armatos, agnoſcit: quo in bello pugnat etiam leo, alii e curribus bellatores praecipites ruunt. Forte Herculis Liguſticum bellum repraeſentat: cuius imperio parere nolens Ligurum gens, magna & bellicoſa, in tranſitu Alpium ſita, eum armis arcere ab ingreſſu Italiae conata eſt: quo in bello fama celeberrimo, quod deſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis (1), inter eos, qui domiti ſunt ab Hercule, Cacus ille, Romanis fabulis celebris, memoratur. Evander rex, immortalem futurum eſſe Herculem a Carmenta matre ſua diſcens, primus omnium Herculem divinis honoribus proſecutus eſt: expulſiſque immanibus viris e Ligurum agris, eoſdem agros regibus donavit, qui ad ſacra Herculis celebranda, quae idem inſtituit, convenerant (2): cuius belli memoria forſitan exhibetur in Vrna relata in Tabula XXI. num. 1. De his haec ſatis.

TA-

(1) Antiq. Rom. Lib. 1. pag. 33. 34.

(2) Ibidem Lib. 1. pag. 32.

TABVLA CXX.

MINERVAE NATIVITAS quomodo ab Etruſcis expreſſa, ex inſigni patera oſtenditur.

PRimi Pictores & Graphicae artis magiſtri, eorum, quos pingerent, nomina adſcribere inſtituerunt (1): id & ab Etruſcis opificibus factum oſtendunt complures paterae, tum aheneae tum fictiles, quas produximus, atque haec omnium maxime inſignis, quae MINERVAE NATIVITATEM, curioſo ac peculiari typo a Tuſcis expreſſam, nobis oſtendit. Ea exſtat Bononiae in Muſeo Coſpiano, non vero Florentiae in Mediceo, ut falſo notat Fabrettus (2). Nonnullae me cauſſae impulere, ut iterum eam in lucem producerem: quarum ea non minima eſt, quod inter Monumenta Dempſteriano Operi addita, perperam & minus accurate aeri inciſam videmus; nam Chalcographi incuria & oſcitantia omnes figurae perverſo ordine exhibentur: quodque in dextra caelatum eſt in archetypo, in apographo ſiniſtram occupat, & e contrario, longe a prototypi fide. Miror, haec Bonarrotium, ceteroquin oculatiſſimum, non animadvertiſſe. Lubet etiam adnotare, (quod etiam ſilentio praetermiſſum eſt) hanc pateram prope Arretium olim inventam fuiſſe, quae Vrnam fictilem, cinerum plenam, operiebat: quae penes Nobilem Virum Franciſcum Mariam Atium fuit: inde poſt mortem viri, antiquitatum inveſtigatoris eximii, in Coſpianum Muſeum tranſlata: quod quidem conſtat, non ſolum Felicis Ciattii (3), verum etiam Ioannis Baptiſtae Donii, Patricii Florentini, teſtimonio, qui in ſuis Collectaneis, a me nuper editis, ſe apud Atium vidiſſe adfirmavit, eamque peraccurate delineatam exhibuit. Ne minima in re ab archetypa caelatura aberrarem, uſus ſum antigrapho impreſſo calcatoque in eadem patera, quod mecum, ut ſolet, ſingulari humanitate communicavit Vir, omnis eruditionis & antiquitatis aeſtimator laudatiſſimus, Antonius Franciſcus Marmius, Eques Sacri Ordinis D. Stephani, regiae Bibliothecae Mediceae Palatinae Prae-

(1) Plinio Lib. XXXV. Cap. III.
(2) Inſcr. ant. Cap. VII. num. 387. pag. 538.
(3) In Monum. annal. Peruſiae Etruſcae Vol. I. Lib. II. pag. 66.

Praefectus, Etruſcaeque Linguae in Florentina Academia Profeſſor; quare multo fidelius accuratiuſque quam antea expreſſam eſſe, nemo eſt qui non videat.

Hanc fabulam longe aliter, quam Graeci deſcribant, ut video, Etruſci expreſſerunt; nam, licet Vulcanum memorent Iovis puerperum caput bipenni ſive ſecuri aperuiſſe; non tamen obſtetrices Deas nobis exhibuere, ut in hac videmus. Cernitur Iuppiter, uti etiam a Graecis fingitur, ſuperiore corporis parte nudus, inferiore tecta pallio, qui non in ſcopulo, ſed potius in nube radiata, ut in throno ſedet: dextra fulmen peculiaris formae, ſatis quidem frequens in Tuſcorum ſculpturis; ſiniſtra ſceptrum, nam lato capite, quaſi umbella, ſuperne ornatur, imperii ſui inſigne, gerens. Ex eius capite, diademate haud revincto (quod ab artifice ingenioſe & ſapienter factum puto, ut eo ſoluto, partum facilius edendum indicaret) prodit in lucem MINERVA, ſapientiae omniumque artium praeſes Dea: & quidem εὐπήληκος, bene galeata, armiſque inſtructa, cum ſcuto & haſta duplici mucrone armata: profiitque quaſi ſaltans, & furore quodam bellico ad pugnandum parata, uti graphice a Luciano deſcribitur (1). Eam quoque nubes, quod notatu dignum, utrimque involvunt. Quod adtinet at cultum veſtium, induta eſt tunica & chlamyde, quam fibula in dextro humero ſubnectit. Obſervandum etiam, quod in pectore non geſtat Gorgonis caput, quia nondum ſua virtute & praeſidio a Perſeo obtruncatum.

Iovi, divinam e capite prolem Sapientiam edenti in lucem, admirabilique eius puerperio, duae Deae omni cura & ſtudio obſtetricantur. Ea, quae manus adtollit, quaſi partum ſuſceptura, reiecta in humeros regia chlamyde, reliquo corpore nuda, IVNO cenſetur: quae eadem eſt ac Lucina ſeu Diana, a puerperis ter invocari ſolita, ut praeeſſet & opem ferret. Eadem etiam Dea Levana adpellata a Latinis. Quod vero ea Iuno ſit, Iovis ſoror & coniux, Dearum omnium maxima, perſpicue declarat diadema auguſtius latiuſque, quo eius caput cingitur, quod etiam in medio ſupra frontem gemma maiore diſtinguitur. Accedunt inaures, & manuum ornamenta, armillae; quibus altera Dea caret. Ad pedes eiuſdem Deae ſculptus eſt elegantis plantae, ſive herbae ramuſculus: quam vero plantam deſignet incertum. Perſaepe Poëtae fingunt violas, roſas, amaranthos alioſque flores & odoriferas herbas enaſci iis in locis, ubi Dii ambulantes, pedum veſtigia poſuerunt, ut ita etiam eorum divinitatem declarent.

Alte-

(1) In Dial. Iovis & Vulcani Tom. 1. p. 196. Vide etiam Heſiodum in Theogonia.

Altera Iovis obſtetrix Dea, velatis inferioribus corporis partibus, ſupernis vero, ad Iovis exemplum, nudatis, minus lato diademate coronata, quae praeter inaures, monile ex unionibus compoſitum habet, quo Iuno caret, ſandaliiſque calceata, eſt VENUS, cuius virtute omnia generari & oriri teſtatur Lucretius (1):

Quae quoniam rerum naturam ſola gubernas:
Nec ſine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque ſit laetum neque amabile quidquam.

Eadem Dea Iovis pectus brachiis complectitur, confirmat tenetque, quo facilius divinum partum enitatur. Quod haec Dea ſit Venus, ne dubitandi ſit locus, teſtis adeſt columba, arbori mali punici inſiſtens, quae ſublatis alis, fauſto volatu, Iovi feliciſſimum partum auſpicatur. Haec avis, propagandae ſobolis, adeoque generationis ſtudioſiſſima, ut neminem latet, in tutela Veneris eſt. Huic perſimilem aheneam columbam, argenteis oculis condecoratam, ab Etruſco artifice confectam, nuper obſervavi inter Cimelia Ampliſſimi Viri Andreae a Verrazzano, Equitis & Patricii Florentini, quem in patriis antiquitatibus, & familiarum inſignibus colligendis illuſtrandiſque, alterum T. Pomponium Atticum voco: quam columbam pro donario in templo Veneris dedicatam fuiſſe exiſtimo.

Quincta figura, quae in hac inſigniſſima patera ſculpta obſervatur, eſt VVLCANVS, non vero, ut Cl. Bonarrotius adfirmat, Mercurius, qui pedibus caligatis, chlamyde, quae retro recidit, contectis pudendis, adſtat admirabundus, miraculum indicans geſtu ipſo, ſublato nimirum ſupra caput dextro brachio: manu laeva tenens bipennem, qua Iovis caput aperuit. Bulla minor e loro pendet circa eius pectus, ni tamen ſit chlamydis vinculum. Quia vero Vulcanum perhibent veteres Mythologi claudum fuiſſe, quod ignis ſublunaris natura imperfecta ſit; ea, ut opinor, de cauſa Etruſcus artifex ſagaciſſimus, ita eum ſculpſit, ut altero infirmo pede impoſito altiori ſcopulo, quod claudi facere ſolent, conſiſtat, & vitio corporis ſui ita conſulat. Mercurium in hoc Iovis partu nihil opis contuliſſe video: conſtat tamen Iovi obſtetricatum eſſe in Bacchi partu, ut deſcribit Lucianus (2), qui natum puerum in Nyſam delatum, Nymphis nutriendum tradidit.

Neque etiam inconſulto artificem Tuſcum iuxta Iovem puerperum ſculpſiſſe arbitror punicam arborem, Diis gratiſſimam, cuius poma radiatam coronam, ſupremae poteſtatis ſymbolum, praefe-

(1) Lib. 1. de Rerum natura verſ. 22. (2) Tom. II. in Dial. Neptuni & Mercurii.

runt. Conſtat enim, mulieres iuxta arbores partum edere conſueviſſe, ut iiſdem apprehenſis facilius eniterentur (1). Sic ferunt, Latonam inter duas arbores, vel palmam, vel oleam, peperiſſe Apollinem & Dianam: plures vero ſunt auctores, qui pro olea, non vero pro palma contendunt (2).

Augent pretium ac raritatem huius inſignis paterae, quae circa ſingulas figuras inſculptae ſunt, litterae Etruſcae: quae proculdubio cognomina Deorum, qui exhibentur, ſignificant: illudque notandum, Etruſcos frequentius conſueviſſe adpellare Deos potius cognomine, quam proprio nomine, quod eorum virtutem & proprietates perſpicue deſignet. Igitur circa Iovis caput ſcriptum ΑΝΙΤ *Tina*, quod *Tonans* ſignificare creditur. Sola Minerva nomen haud ſortita eſt in hac patera inciſum: quod ſolerti conſilio ab artifice factum opinor; quaſi nomen, non in ipſo ortu, ſed poſtea ab ipſo Iove conſecuta ſit, Deorum adprobante concilio. Iuxta faciem Iunonis notatum eſt eius cognomen, dignitatis & honoris cauſa ei tributum, & antonomaſtice expreſſum: in quo, paterae vitio, tertia littera extrita paene fugit; ſed facile ex inſcriptionibus (3) ita ſuppleri poteſt, ut dicat ΑΝΑΘ *Thana:* quo vocabulo admodum ſimile Graeco Θέαινα, *Dia*, *Diva*, *Dea* denotatur. Cl. Bourguet putabat, legendum eſſe ΡΑΘ *Thar:* hoc eſt *Audax*, *Magnanima*; ſed ſuppleta Ν, veritati propius credo ſcriptum, ut dixi, ΑΝΑΘ *Thana:* cuius litterae, quae deeſt, nonnulla ſuperſunt veſtigia, & capax eſt relictum ſpatium, antiquitatis iniuria ſemeſum vel detritum. Circa crura Veneris in extima area legitur ΑΝΛΑΘ *Thalna:* quod cognomen Celeb. Bourguet interpretatur *Refocillatrix*. Iuxta dextrum cubitum Vulcani ſcriptum eſt ΜΝΑΛΘΕΣ *Sethlanm*; qua forſitan adpellatione *Ignis Deus*, praeſes, arbiter & moderator deſignatur. Perperam expreſſit Fabrettus, &, ni fallor, infeliciter etiam explicare hoc cognomen conatus eſt, ut ſupra monui (4). Artium inventionem plurimi, ut notat Phurnutus (5), Minervae & Vulcano adſcribunt: Minervae, quia prudentia ipſa & ſagacitas eſſe videatur: Vulcano, quoniam plurimae artes ignis praeſidio ſua opera abſolvunt. Nam Iuppiter eſt Aether, pellucidusque & purus ignis. Ignis autem, quo nos utimur, qui aëri commixtus eſt, dicitur Ηφαιστος, id eſt *Vulcanus*, ἀπὸ τοῦ ἧφθαι, hoc eſt *ab accendendo* ſic nominatur. Minerva Iovis eſt intellectus,

(1) V. Ezech. Spanhemii Obſerv. in Hymn. Callimachi in Delum verſ. 210. pag. 452.

(2) Ibidem. Apollonius Lib. I. verſ. 1131. Euripides in Ione verſ. 920. Catullus Carm. XXXIV. verſ. 5. Ovidius Metamorph. Lib. VI. & in Epiſt. Cydippes.

(3) Has ſupra illuſtravi ad Tabula XLI. XLII. XLIII. pag. 114. 115.

(4) Vide pag. 176. Cl. I.

(5) De Natura Deorum num. XIX. & XX.

lectus, qui idem eſſe fertur cum providentia. Minervam e cerebro Iovis prognatam veteres quoque Tuſci finxerunt; quia ſicuti Aether ſumma mundi pars exiſtit: ita in capite animae ſedem, & corporis regimen eſſe crediderunt. Hac patera, foliis maioribus & floribus eleganter circumornata, quum Minervae ortum auſpicatiſſimum repraeſentet, veteres Tuſci forſitan uſi ſunt in ſacris faciendis libationibus epulíſve offerendis Diis & Genio natali die, qui magna cum celebritate & laetitia peragi ſolebat.

TABVLA CXXI.

MVSAE
Iovis & Mnemoſynes filiae, cum Minerva ſculptae in patera Etruſca.

MVSAS Iove antiquiores, una cum Saturno e Caelo natas, Muſaeus & alii complures antiquiores commenti ſunt: plurimum vero obtinuit fabula, eas ex Iove & Mnemoſyne, hoc eſt *Memoria* ortas eſſe. Tres tantum MVSAS Aloëi filii ſanxerunt ſumma religione coli oportere (1), MELETEN, MNEMEN, AOEDEN: quod etiam ab Etruſcis factum oſtendit perrara haec patera, quamquam rudi artificio caelata, quae exſtat Romae in locupletiſſimo Muſeo Capponio. Muſarum poſtea auctus eſt numerus, ſingulíſque ſphaeris adtributa Muſa tamquam anima: acceſſitque Calliope, quaſi orbium caeleſtium exprimens optimum concentum. Cum Minerva Muſas in hac patera ſculpendas eſſe Tuſci iuſſerunt; quia tres eſſe artes, per quas ad cognitionem ſapientiae, quam Minerva in medio earum poſita deſignat, perveniri poſſe arbitrati ſunt: curam videlicet ſive exercitationem, memoriam, & harmoniam ſive muſicam vim; quum animi, immoderatis perturbationibus vacui, moreſque adeo compoſiti ſunt, ut omnia muſice a nobis agantur.

Muſae, ad Minervae exemplum, eodem fere cultu veſtium, more virginum, ornatae ſunt: duae ex his nudum caput, altera tiara Phrygia exornatum habet. Minerva Gorgonis caput non in pectore, ſed in clypeo inſculptum gerit.

(1) V. Pauſan. in Boeot. Lib. IX. Cap. XXIX. & Nat. Comitis Mythol. Lib. VII. Cap. XV.

TABVLA CXXII.

ACTAEONIS NEX
& ACHELOI PVGNA cum Hercule, e ſepulcralibus Vrnis veterum Etruſcorum expoſita.

FErales fabulas, e vetuſtiſſimis Hiſtoriae monumentis depromtas, pro emblematis praeferunt perquamfrequenter veterum Tuſcorum ſepulcra: quibus non ad miſerationem ſolum, verum etiam ad morum ſanctitatem debitamque Diis reverentiam exhibendam ſpectatores excitari poſſe putarunt. Arcana Deorum opera & conſilia, curioſius haud perveſtiganda eſſe, docet ACTAEONIS fabula, expreſſa in Vrna marmorea, Volaterris eruta in praediis Franceſchiniis, quam exhibeo in hac Tabula CXXII. num. I. in qua miſerrimum hominem a propriis canibus dilaniatum cernimus, Dianae immiti odio atque ira; quod eam in fonte Parthenio ſe lavantem, e proximo ſaxo, venandi ſtudio feſſus, adſpicere auſus eſſet. Actaeon utroque genu in terram prolapſus cernitur: vel victus rabioſorum canum morſibus & dolore, vel quaſi Dianae miſericordiam ſupplex imploraturus; quandoquidem non valet venatoriae clavae verberibus ſaevos canes a ſe repellere. Fruſtra etiam eoſdem canes fracto haſtili conatur impedire venator Actaeonis comes. Fugit ab eo Ariſtaeus pater, vel potius vates, qui ei aliquod adſimile fatum praedixerat. Hanc Etruſcam Vrnam, paullo poſt quam eruta eſt Volaterris, vidi, multo certe ingenio & artificio ſculptam: arborum folia viridi colore picta obſervavi, & aſtragalos & denticulos auro intectos.

Sequitur in eadem Tabula CXXII. num. II. ACHELOI fatum, perraro emblemate ſculptum in Etruſca Vrna e lapide tophaceo, quam, in ſuis praediis Volaterranis nuper erutam, ſervat vir, humanitate in me ſingulari, & antiquitatum ſtudio Praeclariſſimus, Ioannes Damianius. E ſpecu ſuo, cum vi atque impetu pugnaturus cum Hercule pro Deianira, Oenei Aetolorum regis filia, in matrimonium ſibi promiſſa, quae, ut arbitror, ad eius pedes genu flexo opem imploratura procumbit, adlato ad ſe protegendam clypeo, prodit Achelous in taurum converſus: cuius

dex-

dextrum cornu Hercules laeva apprehendens, dextra nodoſae clavae ictibus occidere conatur. Ferunt, Herculem cornu illud detractum, Nymphis Naiadibus donaſſe: quae quum bonis omnibus repleviſſent, Copiae Deae ſive Fortunae donarunt (1). Adſtat Furia alata, dextra gladium tenens, ſiniſtram habens ſuſpenſam, ac laqueo coarctatam, quaſi indicet, ſe impediri a ſupremo fatorum arbitro Iove, ut tanto in diſcrimine Acheloum ope ſua tueatur. Signa Megarenſium deſcribens Pauſanias (2), in quodam anaglypho e cedro, quod auro fuerat ſuperinductum, notat ſe vidiſſe Herculis pugnam cum Acheloo, cui praeſens adſiſtebat Iuppiter cum Deianira: Mars Acheloo opem ferebat, Minerva Herculi. Egregie hanc quoque pugnam pingit Philoſtratus Iunior (3).

Qui ex fabulis verum colligunt, aiunt, Herculem, Heroëm maxime beneficum, Oenei ſoceri in gratiam, aggeribus & aquae ductibus Acheloum fluvium compeſcuiſſe vitioſe fluentem, magnamque Paracheloitis partem exſiccaſſe, & fecundos campos reddidiſſe: id eſſe Amaltheae cornu; quare Deianiram in matrimonium ab eodem Oeneo obtinuit, cuius nuptias Achelous triformi adſpectu efflagitaverat; nimirum forma tauri, draconis, & hominis cum taurino capite, quae Tuſcis magis placuit. Hae vero formae eidem Acheloo, ut & aliis fluminibus, tribuuntur; quod ſtrepitu & flexu alveorum, tauri mugitum, cornua, & draconis longitudinem & obliquitatem imitentur (4).

TABVLA CXXIII.

ANDROMEDA
ceto expoſita, a Perſeo liberata.

ANDROMEDAM, virginem formoſiſſimam, Cepheus pater, Aethiopum rex, in matrimonium deſpondere coactus eſt cuidam principi, re piratica nobili, ſi mare civibus ſuis liberum praeſtitiſſet. Hinc fabula conficta, eam a patre ſcopulo adligatam, & ceto expoſitam fuiſſe: ſiquidem navis

qua

(1) Ex Apollod. Hygino, Fulgentio, & aliis.
(2) In Eliacis poſter. Lib. VI. Cap. XIX.
(3) In Iconibus pag. 843. 844.
(4) Vide Strabonem Geograph. Lib. X. pag. 458. 459. & eius Enarratores. Fabrettum de Column. Traiani Cap. VI. pag. 177. 178. Voſſium de Phyſiolog. & Theol. gent. Lib. IX. Cap. XXXV.

Digitized by Google

qua clam adſportanda erat, tamquam inſcio patre (Tullius (1) *Neptuniam priſtin* vocat) a ſigno ceti nomen ſortita fuerat: eaque ſignificabatur piraticae princeps; hi enim cetis ceteriſque marinis monſtris ſolent comparari (2). Perſeus obtruncato Gorgonis capite, quum ad liberandam Andromedam convolaſſet, eius fatum miſeratus, ſe eam a vinculis vindicaturum parentibus promiſit, ſi in coniugem ſibi daretur: quam, ut obtinuit, in ſaxum immutato ceto & pirata, quem alii Agenorem nominant, alii Phineum Cephei fratrem, alii Phoenicem quemdam, e procis unum, qui Andromedae nuptias ambiebant (3), uxorem optatiſſimam accepit, ſecumque in Graeciam navigio vexit, & Argos Acriſium viſurus properavit. Philoſtratus (4) inſignem huius facti picturam deſcribens, expreſſum in ea memorat Cupidinem, qui Andromedam a vinculis ſolvit; aitque Perſeum, priuſquam opus adgrederetur, Cupidini preces fudiſſe ut adeſſet, & adverſus feram convolaret: quam quum interfeciſſet, mare ex eius ſanguine rubrum effectum eſt. Illud notatu maxime dignum cenſeo, quod ceti caput cornu armatum a Tuſco ſculptore effictum eſt; non longe, ut opinor, a naturae veritate: cuius Etruſci in omni animalium genere ſcientiſſimi fuerunt (5). Idem Tuſcus artifex in hac Vrna marmorea elegantiſſima, quae Volaterris nuper effoſſa eſt in praediis Franceſchiniis, quam etiam vidi fulgenti auro variis in locis contectam, non ſine magna voluptate; non Cupidinem, ſed Furiam Andromedae opitulantem ſculpſit, expanſis alis, quaſi & ipſa modo ad eam ſolandam advolarit; quae dextera tenet ipſum ſcopulum, in modum cavernae efformatum, ferale infelicis puellae patibulum: ſiniſtra praefert facem inverſam, quae in funeribus, ita in cinerem collapſa, inverti ſolebat.

Cepheus ANDROMEDAE pater, prope littus in ſaxo ſedet, ingenti metu ac dolore perculſus; ſummum enim animi angorem moeroremque oſtendit eo geſtu, dextra manu capiti ſuo ſuppoſita, ut dolore tabeſcentes ſolent.

Manilius prae ceteris tam egregie pingit Andromedam, ferreis vinculis ſcopulo adfixam (6), ut eius imaginem nulli pictores ſculptoreſve aequare poſſe videantur: quem, ſi otium eſt, adeat lector. Perſeus chlamydatus adſtat, libertatis lectiſſimae ſponſae ſuae adſertor, dextera obtruncatum gerens horrificum Gorgonis ca-

(1) In Arataeis.
(2) Vide Cononis Narrat. XL. Voſſium de orig. & progr. Idolol. Lib. I. Cap. XXIII. & Cap. XXX.
(3) Ex Apollodoro Biblioth. Lib. II. Hygino Fab. LXIV. Lactantio Placido Narrat. Fab. I. pag. 220.
(4) Iconum Lib. I. pag. mihi 775.
(5) Diodor. Lib. V. Plin. Lib. X. Cap. XV.
(6) Aſtronom. Lib. V. a verſu 538. ad 630.

caput, ſiniſtra adamantinam harpen, quam cum talaribus, & Orci galea a Nymphis dono accepit. Gorgonem a Minerva occiſam haſta, caput vero a Perſeo abſciſſum harpe, & reconditum in pera ſeu ſporta militari (1), de qua Suidas (quam etiam inviɑiſſimam Heroinam Iudith adhibuiſſe (2) in caede Holophernis memorat divinum Volumen) veteres Tuſci fabulati ſunt. Perſei inſigne facinus ſculptum praefert aerea patera, iam edita apud Dempſterum Tabula V. quae exſtat in regio Muſeo Magni Ducis Etruriae. In ea circa Minervam ſculptae ſunt litterae ᴙɘ◁ɘᴎɘM *Menerva:* iuxta vero Perſei caput galea tectum, ƎM◁Ǝφ: id eſt *Cherme:* quod cognomentum, eidem Heroi ſtrenuiſſimo datum ab Etruſcis, ſignificat *Bellicoſus*, ut interpretatur doctiſſimus Ludovicus Bourguet.

TABVLA CXXIIII.

NEPTVNVS
fraudulentum LAOMEDONTEM *inſequitur, immiſſo ceto in exitium Troiae.*

HOc ipſo die, nimirum III. Nonas Septembres, anni CIↃ.IↃ.CC.XXXVI. dum hoc Etruſcum emblema, eximium, ut videtur, vaſis ſeu candelabri Neptuno ſacri ornamentum, his obſervationibus illuſtrarem, Vir Ampliſſimus Alexander Gregorius Capponius Marchio, qui paucis ante diebus delineatum ad me miſerat, archetypum ipſum ex aere, ſingulari prorſus in me humanitate, tranſmiſit, ut accuratius illuſtrarem. Miſit etiam ad me, cum hoc ſimul emblemate rariſſimo, cui alia duo in omnibus ſimillima apud eum exſtant, inſignem illam pateram, ſuperius editam Tabula LXXXVI. quam, ad prototypi fidem, ut monui in Praefatione, diligentiſſime emendatam, praeſertim in Etruſca inſcriptione circa caput Minervae, & Genii eius Fecialis, reiectis omnibus iam editis exemplaribus, denuo imprimendam curavi; nihil enim mihi magis cordi eſt, quam nulla in re vel minima, a veritate antiquorum monumentorum deflectere vel aberrare.

Cele-

(1) Vide Tom. I. pag. 481.

(2) In Lib. Iudith Cap. XIII. verſ. 11.

Celebris eſt, nec apud veteres tantum Mythicae Hiſtoriae ſcriptores (1), verum etiam apud Homerum (2) maxime decantata fabula NEPTVNI & LAOMEDONTIS, quae ita ſe habet. Iuppiter, in illos Deos volens animadvertere, qui eum vinculis ligare auſi fuerant, Neptunum & Apollinem miſit ad Laomedontem Troianorum regem, ut alter Troiae moenia aedificaret, alter vero eius armenta paſceret. Id quum Dii peregiſſent, Laomedon utrique negavit ſe pactam mercedem daturum: indignatus ob id Neptunus (ab Argivis ob repulſae indignationem (3), immiſſumque adſimile exitium Προσκλύστιος, id eſt *Inundator* dictus) horrendum atque infeſtiſſimum cetum immiſit, qui mare concutiens univerſam regionem inundaret; omneſque incolas exitio perderet & abriperet. Ferunt, Apollinem immiſiſſe peſtem, quae plebem & agros omnium calamitate frugum infeſtaret: quamquam Homerus Neptuno acriter ſuadenti, Apollinem id ſe facturum renuiſſe dicat. Omnes igitur Troiani, magnitudine malorum perculſi, advocata concione, evulgatoque oraculi monitu, decreverunt, placandum eſſe Neptunum, obiectis liberis horrendo monſtro, ut quos vellet devoraret. Sors exiit, quae notabat, obiiciendam eſſe belluae Heſionen Laomedontis filiam: quod cum factum eſſet, Hercules cum Argonautis exſcenſu facto, cetum interfecit, Heſionenque patri reſtituit, pactis legibus, ut redderet poſtquam ab expeditione Colchica rediiſſet: qua etiam mercede ac praemio quum Laomeodon Herculem fraudaſſet, ſagittis Hercules eum interfecit: quod non fecerat Neptunus: regnumque Podarci filio eius infanti dedit, qui poſtea Priamus eſt adpellatus: Heſionen vero recuperatam Telamoni conceſſit in coniugium, e qua natus eſt Teucer. Herodotus, quem citat Natalis Comes, non eſſe verum, inquit; quod Laomedonti Neptunus & Apollo ſerviverint; ſed datum eſſe locum fabulae, quod pecuniam, Neptuni & Apollinis ſacrificiis dicatam, Laomedon ad exſtruenda moenia civitatis converterit. Id vero Tuſci his ſculpturis docendum putarunt, Deo vota & promiſſa ſervanda eſſe; quae qui non ſervant, eos poenas perſolvere, multaſque ſubire calamitates oportere.

Quanto ingenio quantaque ſagacitate Tuſcus artifex expreſſerit hanc fabulam, quam nec ipſe Homerus, nec alii Mythologi hoc typo nobis exhibuerunt, ex adlato nunc primum ſchemate mani-

(1) V. Diodorum Sicul. Bibl. Hiſt. Lib. IV. num. 117. Apollodorum Bibl. Lib. II. §. 9. Hyginum Fab. LXXXIX. Palaephatum de incredibilib. Lib. I. num. 38. Vide etiam Nat. Comitem Mythol. Lib. II. Cap. VIII.

(2) Iliad. Lib. XXI. non longe a fine, cuius verſus citat Pauſanias in Achaicis Lib. VII. Cap. XX.

(3) Vide Pauſaniam in Corynth. Lib. II. Cap. XXII.

manifeſtum eſt. Memorat Plinius (1) nobiliſſima Artemonis picto- ris opera, quae in porticibus Octaviae viſebantur: quorum cele- bris fuit Laomedontis circa Herculem & Neptunum hiſtoria. Igi- tur in hoc anaglypho ex aere, cernimus ira ac rabie percitum Ne- ptunum, qui tridentem ſiniſtra tenens, intorto circa brachium & dextrum latus amiculo, Laomedontem fugientem inſequitur, cohibetque, ſiniſtra apprehenſo eius ingentis magnitudinis clypeo; quem etiam roſtro mordet cetus horrendus: utriuſque vero vim vi repellere Laomedon fugiens conatur. Neſcio, an Tuſcus opifex cetum effinxerit bicipitem: infra ſerpens mirae longitudinis in varias ſpiras ſinuatus potius ſculptus videtur, quam marinum monſtrum; nam lato ore Laomedontis coxam morſu adpetit; quare non abs re crediderim, hunc ſerpentem iniuriae Apollinis vindicem eſſe: adeoque Tuſcos fabulatos, opinor, Neptunum in exitium Laome- dontis & Troianorum immiſiſſe cetum: Apollinem vero mirae ma- gnitudinis ſerpentem, qui eos mordens lethale virus ac peſtilens in vulnere relinqueret, quo ſine remedio perirent. Laomedon, metu territus, ipſum Neptunum ſceleris vindicem & cetum intuetur: dextra, ut arbitror, gladium gerit, e quo baltheus pendet: ca- put habet galea horrifica, criſtis cornibuſque utrimque armata, contectum (2). Haec demum vaſis ſeu candelabri emblemata de- ſinunt in pedem aquilae ſeu vulturis; quas aves forſitan Tuſci Neptuno quoque ſacras eſſe voluerunt.

TABVLA CXXV.

FATA CASSANDRAE ET POLYNICIS in ſepulcrali Vrna Etruſca expreſſa.

MArmorea haec elegans Vrna, alta ped. Romanum I. & unc. XIIII. lata ped. II. unc. V. apud me exſtat, ex do- no Illuſtriſſimi Comitis Roberti Zefferinii Patricii Flo- rentini, cuius virtutem priſcarumque rerum ſtudium, eximia cum humanitate coniunctum, ut par eſt, laudare ſatis non poſſum. Hanc Vrnarum omnium rariſſimam, magno in pretio habendam exiſtimo; quod duo ſculpta praeferat, quae in quarto

(1) Nat. Lib. Hiſt. XXXV. Cap. XI.

(2) De galeis cornutis Tuſcor. ſupra p. 117.

latere arcae Cypſeli Pauſanias obſervavit, & accurate deſcripſit (1): nempe dextra ETEOCLEM ex Oedipi filiis, qui POLYNICEM in genu collapſum urget, reluctantemque, apprehenſis eius capillis, occidere molitur. Laeva exhibetur CASSANDRA, quae Minervae ſignum arae impoſitum complectitur: quam AIAX ab ea divellit, ſtricto gladio, ut interficiat. In arca Cypſeli, ut notat Pauſanias, a tergo Eteoclis adſiſtebat femina, dentibus & aduncis manuum unguibus, quaſi fera immanior: teſtabaturque inſcriptio, MORTEM illam Parcarum unam eſſe: & vi quidem Fati Polynicem ſuccubuiſſe, Eteoclem vero merito ſuo cecidiſſe. Ea vero in hoc ſepulcro in medio adſtat, quaſi modo advolarit, adparens expanſis alis, cum tunica bis ſuccincta, cuius pedes & brachia nuda ſunt. Quod vero notatu dignum, eius capilli, horrore tantorum ſcelerum arrecti, diriguere: dextra Aiacem minitatur, ni fallor, poenas Minervae ultrici daturum.

In altero Vrnae latere ſculpta FVRIARVM una, ſive Dearum maxima FVRINA, de qua ſupra diximus (2), & hoc ſepulcrum deſignavimus; quae etiam alata eſt, ornata tutulo ſeu columella in capite, torque & armillis, cuius pudenda maioribus ſubligaculis velantur, facemque accenſam manibus tenet, quaſi eam iaculatura. In altero latere vir alatus, cum capite eodem modo tutulato, expreſſus eſt, qui gladium intentat, quaſi necem inlaturus: quem, ut dixi, FVROREM eſſe facile crediderim.

TABVLA CXXVI.

APRI CALYDONII MELEAGRI. ATALANTAE. ET CASTORVM *fabulae notae Etruſcis.*

APRI CALYDONII fabula, quae antiquis Tuſcis probe cognita fuit, uti colligi poteſt ex inſigni aerea patera, quae exſtat in Muſeo Riccardio, editamque vides in Tab. CXXVI. num. 1. nil aliud priſci ſapientes oſtendere voluerunt, quam omnes calamitates, Deorum voluntate & conſilio, vel propter neglectam religionem, vel propter improbitatem, homi-

(1) In Eliacis prior. Lib. v. Cap. xix. (2) Ad Tab. xii. & xiii. pag. 43.

hominibus evenire ſolere. Oeneus Aetolorum rex, condita vinea, optimis fructibus & vitibus referta; quum ad feſtas epulas quotannis invitare Deos, iiſdemque primitias offerre ſoleret, ut etiam canit Homerus (1), forte accidit, ut ſive oblitus, ſive neſcius, Dianam praeteriens, merito honore privarit: quae, laeſo numine ſuo, immaniſſimam belluam APRVM CALYDONIVM immiſit, qui non ſolum Oenei vineam, verum etiam univerſam Aetolorum regionem vaſtavit. Saeviſſimam feram complures Heroes ſagittis conficere conati ſunt, ſed fruſtra: quinimmo complures vulnerati cecidere. Praeclariſſimum hoc gloriae monumentum ἐνυαλίῳ *martio*, *bellicoſoque* MELEAGRO contigit, qui Aprum venabulo confodit. Memorant nonnulli, Meleagrum donaſſe Apri caput & pellem Atalantae, quae omnium prima efferatam belluam ſagittis confixit (2): verum longe aliter Etruſcos de hac venatione ſenſiſſe colligo ex hac patera. Siquidem ex eius ſculptura adparet Meleagrum interfeciſſe Aprum Calydonium: ipſe enim aprugnum caput in laevo humero, tamquam illuſtre ſpolium, defert: videmus etiam eum, de re agenda Vatem ſive Sacerdotem quemdam conſuluiſſe, qui ſedet capite laureatus, baculum fatidicum gerens, dextramque auſpicatiſſimo geſtu protendens; quaſi indicet, caput Apri Dianae offerendum, quae adſtat favetque numinis ſui praeſentia; cuius capitis inſigne eſt luna bicornis: vel etiam praecipit, Apri caput & ſpolium in templo eiuſdem Dianae Venatricis ferarumque interfectricis, tamquam anathema, ſuſpendendum: cuius templi epiſtylium & columna ſtriata ordinis Corinthii, in eadem patera ſculpta conſpicitur. Altera vero figura, quae e regione Vatis ſedet, ut opinor, eſt Atalanta: quae maeret, cubito, ut dolentes ſolent, ſubſulto capite ſuo: quae ideo pharetram ſagittis vacuam gerit, ut laborem ſuum in venatione, & promiſſum ſibi ab Meleagro Apri ſpolium oſtendat. Meleager, ut venatores ſolent, venatoriis cothurnis indutus cernitur, capite aperto, nudo corpore, e quo retro chlamys venatoria dependet. Fatis urgentibus ac properantibus, ferunt, Altheam Meleagri matrem titionem ex arca protuliſſe, quo ad aram admoto extinctus eſt (3).

Meleagri comites in venatione Apri Calydonii fuere CASTOR & POLLVX, quos cum eo ſculptos videmus in patera, edita apud Dempſterum Tabula VII. Nomina quae praeferunt inſcripta, ϥVϮƷAИ *Kaſtur*, & ƎXVϮJV7 *Tultuke*, a Graecis & Latinis,

Ii 2 non-

(1) Iliad. Lib. 1.
(2) Ex Hygino Fab. CLXXIV. Apollodoro Biblioth. Lib. 1. ceteriſque Mythologis.
(3) Vide Hyginum Fab. CLXXIV. & quae ad Tab. IX. Columbarii Servorum Libertorumque Liviae Aug. adnotavi pag. 22. & ad Tab. XII. inter Inſcriptiones Donianas pag. XCII. XCIII.

nonnihil differunt. Quomodo vero antiqui Graeci & Latini eorum nomina ſcripſerint, docet Varro (1): Caſtoris *nomen Graecum, & Pollucis a Graecis in Latinis litteris veteribus nomen, quod eſt, inſcribitur, ut* Πολυδεύκης, Polluces, *non ut nunc* Pollux.

Alteram eximiam ex aere pateram ſubiicio in Tabula CXXVI. num. II. nunc primum e Muſeo Capponio depromtam, quae quum praeferat imagines Caſtoris & Pollucis, qui pileati ſunt, brevique tunica & chlamyde amicti, iuxtaque eos adpoſitus ſit anſer ſeu cygnus, & ſuperne aſtrum; ex ea intelligimus, Etruſcos credidiſſe, hos Deos natos eſſe ex Iove & Leda, cum qua in cygnum converſus concubuit. Sunt etiam, qui tradunt, Iovem in formam ſtellae mutatum, Ledam vitiaſſe, & Caſtorem atque Pollucem genuiſſe. Alii alia de horum Deorum & Helenae generatione fabulati ſunt, quae erudite exponit Gyraldus (2). Aris ſive ſepulcris tum Caſtor tum Pollux innixi conlocuntur, de quibus Pauſanias (3), forſitan de commutanda invicem accipiendaque immortalitate: hinc alter nudis pedibus ſculptus; alter vero vinculis & loris, Tuſco more, revinctis, quaſi ad inferos iam iter facturus. Hanc pateram, pro inferiis mittendis in Deorum Manium honorem, adhibitam fuiſſe coniicio.

TABVLA CXXVII.

HELENAE MENELAI ET CASTORVM APOTHEOSIS caelata in inſigni Etruſcorum patera.

HELENAM, propter formae dignitatem, qua omnes feminas antecelluit, Theſeus omnium primus rapuit, & Athenas deportavit: Athenienſibus id aegre ferentibus, eam Tyndareo patri, & fratribus eius Caſtori & Polluci reſtituit (4): quos in hac patera expreſſos eſſe, aliquis forſitan cenſebit: verum quum Heros, in medio ſculptus, Helenam complectatur, eumdemque & ipſa Helena blando amplexu teneat, veriſimi-

(1) De Ling. Lat. Lib. IV.
(2) Hiſtor. Deorum Synt. V.
(3) In Laconicis Lib. III. Cap. XIII.
(4) Ex Hygino Fab. LXXVII. XCII. Apollodoro Lib. III. Cap. IX. & X. Diodoro Siculo Biblioth. Hiſtor. Lib. IV. 185. Vide etiam Nat. Comitis Mytholog. Lib. VIII. Cap. IX. & Cap. XIX.

ſimilius crediderim, ſculptum eſſe MENELAVM, qui eius gratia, reiectis aliis Heroibus procis, quos Hyginus & Apollodorus enumerant (1), non ſolum coronam & coniugium, verum etiam immortalitatem adeptus eſt; quare in hac inſigni patera, quae nunc in meo Muſeo exſtat, APOTHEOSIN ſculptam eſſe arbitror tum Helenae tum eiuſdem Menelai, qui in medio Caſtorum ſculpti ſunt, quorum capitibus aſtra imminent: alteri vero e Dioſcuris nubes circa caput impoſitae, quod alterna vice apud inferos lateat. Helenae aſtro alia duo minora honoris gratia addita ſunt: caput vero Menelai ſuperne duobus coronis vel diadematibus, in modum floris confectis, exornatur.

Quod vero veriſimilius haec patera exhibeat Menelai in numerum Deorum conſecrationem, teſtem advoco Iſocratem, qui Helenam laudans, eius ope Menelaum inter Deos relatum adfirmat, his verbis: Μετὰ δὲ ταῦτα ΜΕΝΕΛΑΩ τοσαύτην χάριν ἀπέδωκεν ὑπὲρ τῶν πόνων καὶ τῶν κινδύνων, οὓς δι' ἐκείνην ὑπέμεινεν ὥστε τοῦ γένους ἅπαντος τοῦ Πελοπιδῶν διαφθαρείτος, καὶ κακοῖς ἀνηκέστοις περιπεσόντος, οὐ μόνον αὐτὸν τῶν συμφορῶν τούτων ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ καὶ ΘΕΟΝ ἀντὶ θνητοῦ ποιήσασα σύνοικον αὑτῇ καὶ ΠΑΡΕΔΡΟΝ εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα κατεστήσατο. Id eſt: *Poſt haec MENELAO tantam reddidit gratiam pro laboribus periculiſque, quae pro ſe ſuſtinuit; ut quum totum Pelopidarum genus perditum eſſet, & malis inſanabilibus oppreſſum; non ſolum illum (MENELAVM) ab his calamitatibus liberarit, verum etiam pro mortali, quum eum DEVM feciſſet, ſibi contubernalem & ADSESSOREM in omne aevum conſtituerit.* Memorat Pauſanias (2) Menelai delubrum, quod ad Therapnen fuit; eo enim in loco Menelaum & Helenam ſepultos tradunt: quare perſpicuum eſt eum pro Deo habitum, divinoſque honores conſecutum eſſe. Helenam quoque Deam factam, eique ſacrificia & vota perſoluta, & cum Caſtore & Polluce fratribus, immortalitatis conſortem factam, docet prae ceteris Euripides (3).

Helena ſeminuda ſculpta eſt, muliebri mundo, mitella, inauribus, armillis & torque, e quo tres bullae Etruſco cultu pendent, ornatiſſima. Illud notandum, quod ſingulorum pedes amicti ſunt calceis. De armis, quibus Menelaus & Caſtores inſtructi ſunt, erit alius dicendi locus opportunior.

TA-

(1) Ibidem, locis ſupraſcriptis.
(2) In Laconicis Lib. III. Cap. XIX.
(3) In Helena verſ. 1683. & in Oreſte verſ. 1638.

TABVLA CXXVIII. CXXVIIII.

AD PARIDIS IVDICIVM
Iuno, Minerva & Venus a Mercurio deductae.

QVamquam Macrobius notet (1), Homerum nullam commemorationem de IVDICIO PARIDIS admiſiſſe; tamen haec fabula adeo celebris eſt, & maxime omnium antiqua, ut Tuſci mortalium vetuſtiſſimi ac prudentiſſimi, in ſacris inſtrumentis, praeſertim, quae ad libationes & epulas, ut arbitror, Diis Manibus offerendas, adhibuere, frequenter eam inſcalpi voluerint. Duas pateras, & quidem Etruſcis litteris inſcriptas, editas vide apud Dempſterum Tabula IV. de qua nonnulla ſuperius adnotavi (2): alteram in Tabula XXXVIII. his autem pateris, quas nunc primum in lucem profero, nil clarius luculentiuſve ad hanc fabulam illuſtrandum cerni poteſt. Quod vero Etruſci operis ſint, perſpicue adparet, tum ex ipſis ornamentis Tuſcanicae elegantiae propriis, tum ex veſtium calceorumque cultu, atque ex ipſo peculiari haec atque alia exprimendi artificio Tuſcorum: quae omnia aliter Graeci & Latini, in antiquis ſculpturis expreſſa, vel in libris deſcripta, nobis reliquerunt. Quis enim umquam vidit Mercurium cum clava adſtantem coram Paride, & cum eo conloquentem, ſola chlamyde amictum, nudo ceteroquin corpore, aperto capite, abſque talaribus, abſque petaſo pinnato ſedentem? Quis in aliis ſculpturis, ad hoc tempus editis, Venerem adſpexit nudo corpore, ſtudio quodam & arte proiecta veſte (quod Paridem iuſſiſſe narrat Lucianus (3), ut tres Deae fecerent) tantopere excultam, ornatamque corona radiata, inauribus, torque ſive unionum linea: ad haec calceis, in ſpeciem cothurnorum confectis, indutam, ut in his Tuſcorum emblematis elegantiſſimis factitatum videmus? Quis Iunonem & Minervam, intecto capite, pallio involutas; vel Minervam ſolo diademate, nulla vero cum galea,

antea

(1) Lib. IV. Saturnal. Cap. XVI.
(2) Pag. 106. 107. & 112. 113.
(3) In Dialog. Deorum in Paridis Alexandri iudicio Tom. II.

antea adſpexit ornatam ? Quis Paridem, ab Iove delectum tamquam iudicem iuſtiſſimum, ita laſcivientem pinxit, ut ipſe quoque nudi corporis partem, remota ſublataque veſte, oſtentet ? Ipſe quoque ſculptus eſt eleganter ornatus (omitto pileum Phrygium) torque, e quo quatuor bullae, venuſtatis gratia, dependent: quae omnia Graeci Latinique ſculptores ac pictores ſeveriores, non, ut Tuſci noſtri, ingenio & ſagacitate aeque pollentes, praetermiſere. Tamquam πάρεργον paterae relatae in Tabula CXXVIIII. caelata eſt ſub pedibus Paridis ac Veneris, ut mea fert opinio, DISCORDIA Dea, quae alata eſt, & pedibus trunca & clauda: ſub umbilico in folia quaedam maiora deſinit corpus nudum; collum vero torque circumdatum habet. Eam quoque cum pedibus ſerpentinis ſculptam vides in Tabula LXXI. num. II. apud Dempſterum. Pallam ſive amiculum poſt humeros reiectum ſiniſtra adtollit. Virgilius (1) & Petronius (2) foeda facie & cum veſte ſciſſa & lacerata deſcribunt. Quum Pelei & Thetidis nuptiae in Pelio monte celebrarentur, quas Dii ſua praeſentia honorarunt, Eris ſive Diſcordia, quod invitata non fuiſſet, contemtum ultura, malum aureum in medium proiecit, in quo litteris notatum, ut quae eſſet formoſiſſima tolleret. Iudicium huius contentionis graviſſimum ab Iove Paridi Alexandro delatum fuit: is Veneri aureum pomum adiudicavit; a qua pro praemio in coniugem obtinuit Helenam mulierum omnium forma, genere & gloria praeſtantiſſimam: quae omnia ex antiquis Mythologis ſunt pervulgatiſſima. Aliqui latentem ſub fabula veritatem explicantes, memorant Paridem, rerum amatoriarum peritum fuiſſe (3), & eloquentiae ſtudioſum; ideoque orationem compoſuiſſe haudquaquam inelegantem, qua voluptatem potentiae virtutique & ſapientiae anteponebat. Ingeniis Poëtarum id cenſent huius fabulae fingendi cauſam praebuiſſe (4). Aliam adfert huius fabulae originem Fulgentius (5).

In patera, relata in Tabula CXXVIII. quae Romae exſtat in Muſeo Collegii Romani, quam ad me, ab Equite Hieronymo Odam delineatam, miſit V. Cl. Franciſcus Victorius ex Equeſtri Ordine D. Stephani, poſt Venerem cernitur aedificium quoddam, epyſtilio & columnis ſubfultum, quod forte refert templum illud percelebre Veneris Migonitidis, Graece Μιγονίτιδος, ac ſi dixeris *Coniugalis*, quod fuit in inſula Grana, in qua Alexandrum Paridem, rapta Helena, cum ea primum congreſſum Homerus dixit, illud-

(1) Aeneid. Lib. VIII. verſ. 702.
(2) In Satyrico Cap. CXXIV.
(3) Vide Lucianum in Dearum Iudicio in Dialogis.
(4) V. Cael. Rhodiginum Lib. IV. Cap. XIX. Averanium Diſſert. XXVII. in Virgilium num. 6. In Euripidem Diſſert. XVI.
(5) Mytholog. Lib. II. Cap. I.

illudque in honorem Veneris faciendum curaſſe tradunt. Altera elegantior patera exſtat apud Illuſtriſſimum Dominicum Borgheſium Patricium Senenſem, apud quem vidi.

Propoſita hac fabula, veteres homines ſapientiſſimi illud intelligi voluerunt, eum ſolum fortunatum beatumque fore, qui ſpretis noxiis voluptatibus, ſapientiam dumtaxat & opes, quibus omnia Dei bona comparantur, ſana mente & iudicio conſectatur: e contrario, eum fore infeliciſſimum perniciosſumque patriae ſuae civem, nec laude nec imperio dignum, qui demens poſtpoſita virtute, neglectoque rationis imperio, libidinem & laſciviam ſtudioſe complectitur, vitaeque ſuae ſociam eligit Venerem turpiſſimam.

TABVLA CXXX. CXXXI.

ACHILLIS FATA & poſt mortem divini honores ei delati, e pictura antiqui Vaſis Etruſci exhibentur.

QVod hoc inſigne Vaſculum fictile, quatuor coloribus pictum, flavo, ſubnigro, albo & rubro, in conſpectum litteratorum hominum proferam, debeo eximiae in me humanitati & benevolentiae Viri Praeclariſſimi Ioſephi Blanchinii, Presbyteri Oratorii Romani, ſacris editis monumentis, de re litteraria ac de Romanae Eccleſiae gloria optime meriti: quo auſpice, Reverendiſſimus Iacobus Del Monaco, Praepoſitus Congregationis Oratorii in Vrbe Neapoli, ad iuvanda optima quaeque ſtudia oppido deditus, impenſeque doctus, delineatum a diligenti pictore, uti & alia Etruſcorum Vaſa, quae in Bibliotheca exſtant, ad me miſit; quibus parem gratiam referre minime poſſum.

Picta Hiſtoria ad mentem Homeri, in anteriore huiuſce Etruſci Vaſis parte, exhibet, ni mea me fallit opinio, ACHILLIS FATA & DIVINOS HONORES; conſtat enim, hunc Heroum praeſtantiſſimum, amore captum Polyxenae, quum eius nuptias peteret, deque iis cum Priami legatis conlocuturus in templum Apollinis

linis Thymbraei veniſſet, a Paride, qui locum inſidiis quaerebat, interfectum. Aliqui hoc templum dictum putant a thymbra herba, quae plurima circa illud fuit. In eo etiam vulneratus a Diomede Aeneas, ſanitati reſtitutus a Latona & Diana.

Cernitur Achillis cadaver nudum humi iacens ante aram in templo tetraſtylo Apollinis Thymbraei, ex omnibus partibus aperto. Paridem cernimus armis inſtructum, qui eum haſta confodit. Suſpenſa in templo ſunt duo ſcuta, forſitan Achillis. Iuvenis ille chlamydatus, qui e propinquo cadavere Achillis interfecti abire videtur, fertque humeris ingentem lapidem, forſitan eſt eiuſdem Achillis umbra: iuxta quam geſtibus ludens Satyrus pictus eſt, quaſi Elyſiorum felicitatem, apud quos Achilles verſabatur, ſignificet. Vaſculum arae impoſitum oſtendit ſacrificia in honorem Apollinis Thymbraei facta ab Achille, ante quam de nuptiis Polyxenae ageret cum Priami Legatis. Superne duae Deae ſedentes in aëre adparent: altera, in ſiniſtra parte Vaſis picta, cum capite velato ornatoque radiata corona, ut auguror, eſt Venus, quae dextrae manus geſtu necem Achillis imperat Paridi Alexandro, vel iam patratam comprobat: altera, quae dextra manu crateram cum donis praefert, circa quam picta patera & vitta pendens, eſt Nemeſis bona vel Aeternitas, quae viris fortiſſimis poſt mortem divinos honores, & immortalia praemia largitur.

Infra templum Apollinis Thymbraei, idem ACHILLES pictus eſt pugnans ad Xanthum ſive Scamandrum, quem pedum inſtabilitate collapſum confirmat erigitque Neptunus: cuius velum, divinitatis inſigne, praeſertim, ut in Diis marinis, ab antiquis pictoribus factum videmus, aura adtollit & inflat. Caput habet radiata corona & nimbo ornatum: de quibus divini numinis inſignibus alio in loco. Illud notandum, quod non tridentem, ſed haſtam habet Neptunus Ποσειδῶν, *terrae quaſſator*: quam, quum tenere non potuerit, in terram defixit. Homerus, non tantum Neptunum, verum etiam Minervam manibus Achillem comprehendiſſe & confirmaſſe, teſtatur: hic autem ſolus Neptunus, poſt humeros urget Achillem additque & vires, ut conſurgat (1). Contra Achillem pugnaturus accedit Aeneas, & ictum intentat: hunc excitat inſtigatque Apollo prope eum pictus, qui ſiniſtra tibiam praefert: habetque ipſe quoque caput nimbo exornatum. Ex hac pugna ereptum Achillem ab Neptuno canit Homerus (2).

Kk In

(1) Iliad. Lib. Φ. verſ. 284. Vide Tabul. Iliacam apud Fabrettum num. 59. 60. pag. 330. 331. & apud Laurent. Begerum num. 37. pag. 18. 19.

(2) Iliad. Lib. Υ. verſ. 318. & ſeqq. Vide Fabrettum ad Tab. Iliaca num. 59. 60. pag. 330. 331. & Begerum num. 34. pag. 25. 26.

In collo eiuſdem Vaſculi expreſſa videtur Achillis cum Memnone pugna, quam latius deſcribit Quinctus Smyrnaeus (1). Neſtor iniquo animo ferens indignam Antilochi filii ſui caedem, quum ipſe vindictae impar eſſet, Achillis opem, ut eam vindicaret, imploravit, eumdemque contra Memnonem excitavit. Etruſcus pictor, quum exiguo in loco Achillem in quadriga pingere non poſſet, eum equo inſidentem expreſſit. Iuxta equum cernitur ex Amazonum numero una, quae cum reliquis ad opem Troianis ferendam advenerat: quod ex aliis Etruſcorum monumentis mox adferendis, apertius conſtabit.

In poſtica huiuſce Vaſis parte ſupra baſim erecta eſt ara ſepulcralis Achillis, vittis pendentibus & ferali fronde, tamquam encarpo, redimita: ad quam duo iuvenes accedunt, ut reor, ſacra facturi: alter amulam defert lacte plenam, vel melle, aut oleo, quibus libationes in inferiis mittendae conſtabant, quas Graeci χοὰς dixerunt (2): alter vero, ut arbitror, pateram, ad ea ſacra libamina in honorem defuncti Achillis invergenda, oſtentat; non enim ſpeculum eſſe cenſeo, quamvis huic alia ſimilia in Vaſculis Etruſcorum perſaepe occurrant. Ambo ramum arboris, haſtae loco, manibus praeferunt; his enim, Tuſco more, arae Deorum Manium contegi & ornari ſolebant.

Achilles poſt mortem, quam ei in bello Thetis mater eventuram praedixerat, annua ſacra meruit ac divinos honores: neque etiam dubito, a Graecis & ab Etruſcis in Heroum Semonumque numerum conſecratum fuiſſe. Leuce inſula, auctore Strabone (3), ei ſacra fuit: eiuſque incolae eum tamquam Deum venerati ſunt. Ad littus Sigaeum fuit Achillis monumentum, templum & aſylum (4). In Elide, memorat Pauſanias (5), fuiſſe Achillis non aram, ſed cenotaphium, ex oraculo ei dedicatum: ad quod matronae, primis ludorum initiis, die ſtato, inclinante iam in veſperum ſole, inter ceteros, quos Achilli habebant honores, ſolemni ritu pectus plangebant. Alexander Severus in Larario ſecundo, praeter imagines Ciceronis & Virgilii, Achillis quoque & aliorum Heroum ſimulacra habuiſſe dicitur (6). Ex his igitur ſcriptorum teſtimoniis manifeſtum eſt, Achillem divinis honoribus poſt mortem conſecratum fuiſſe, quos ei etiam Etruſci fecerunt, ut conſtat ex hoc inſigni Vaſe.

TA-

(1) Lib. II. a verſ. 480. & ſeqq.
(2) De his vide Henr. Noris in Cenotaphia Piſana Diſſert. III. Cap. V.
(3) Geograph. Lib. VII. 306. Vide etiam Averan. Diſſert. XXIV. in Virgil. num. 2.
(4) Ex Strabone Lib. XIII. 596. Mela Lib. I. Cap. XVIII. Vide Pauſaniam in Corinthiacis Lib. II. Cap. I.
(5) In Eliacis poſt Lib. VI. Cap. XXIII.
(6) Ex Aelio Lampridio in eius vita.

TABVLA CXXXII.

PVGNA GRAECORVM CVM TROIANIS AD PORTAM SCAEAM

ab egregio Etruſco artifice ſculpta in Vrna marmorea, Volaterris eruta.

HAnc Vrnam ſepulcralem, nuper erutam Volaterris, in Hypogaeo veterum Etruſcorum, quod in praediis Franceſchiniis per tot ſecula delituit, ſtatim ac vidi, ut ingenue fatear, obſtupui: tanto ſiquidem opificio, tantoque ſtudio & ingenio ſculptam obſervavi, ut recentiores pictores & ſculptores, ſi belli imaginem, campumque cadaveribus ſtratum, Heroaſque vel vulneratos, vel ſemianimes, vel ſtrenue pugnantes exprimere velint, hanc pro archetypo ob oculos ſibi proponere poſſint, quam etiam multis in locis inauratam obſervavi.

Quod vero eadem Vrna ſepulcralis repraeſentet GRAECORVM CVM TROIANIS PVGNAM AD PORTAM SCAEAM, manifeſte evincit eadem porta, clauſa quidem, in quam irrumpere, vel perfringere Graeci milites conantur. Inter pinnas adparent capita galeata Troianorum, quae etiam in Tabula Iliaca viſuntur. Scaeam dictam cenſet Euſtathius, quia mare verſus & Occidentem ducebat (1). Ceterum haec porta ΣΚΑΙΑ ΠΥΛΗ, uti ſcriptum ſupra eam eſt in Tabula Iliaca, fatalis fuit; circa quam multum ſanguinis fuſum, campuſque cadaveribus ſtratus. Iuxta hanc, ut egregie pingit Homerus (2), oſtenditque marmor Aracaelitanum, & Tabula Iliaca, Achilles Hectorem interemit. Per eam vel ampliorem factam numine Divûm, vel cum Troiae muris disiectam, in urbem adtractus eſt fatalis equus Dureus. Iuxta eam ſitum ſepulcrum Laomedontis regis, cuius imaginem ſupra dedimus (3). Nil mirum igitur, ſi Etruſci hanc portam, proeliumque Graecorum & Troianorum circa eam commiſſum, omnium maxime ſanguinolentum & luctuoſum, pro ferali emblemate huiuſce ſepulcri

 exhi-

(1) Vide Palmerium ad Strabonem Lib. XI. pag. 391. Fabrettum de Columna Traiani Cap. II. pag. 29.

(2) Iliad. Lib. X. verſ. 147. 272. 289. 326. 336. 368.

(3) Vide Servium ad Virgilium Aeneid. Lib. II. verſ. 612. Laur. Begerum in Tabulam Iliacam, ad num. XXXIX. & LVIII.

exhibendum cenſuerint . Non minima etiam inter portam Scaeam & inferi regni oſtium ſive Orcum intercedit ſimilitudo ; quare eadem porta Mortem Fatumque deſignat , & animas , uti ab Homero deſcribuntur , ſanguinis avidiſſimas .

In media pugnantium acie adparet Dea , quae gladium ancipitem dextra oſtentat : ea , ni fallor , Bellona eſt , vel potius Iuno Ἀρεία , *Martialis* : quam ita adpellare non ſine ratione poſſumus (1) , quod ſit ductrix & moderatrix bellorum : maxime vero Iuno eſſe poteſt , quia Troianis adverſa , quam Graecos ad Scaeam portam convocaſſe , & ad bellandum contra Troianos excitaſſe canit Virgilius (2) :

———— Hic Iuno Scaeas ſaeviſſima portas
Prima tenet , ſociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat . ————

De femina ornatiſſima , quae ſupra ſepulcrum iacet , dicam , uti etiam de viris , eodem modo ſculptis , alio in loco . Hanc Vrnam , e marmore Volaterrano exſculptam , obſervavi elegantioribus in locis , praecipue in limbis veſtium , armis , & in ora clypeorum , fulgenti auro intectam , & variis coloribus picturatam .

TABVLA CXXXIII. CXXXIIII.

PATROCLI FVNVS ET PVGNA DE EIVS CADAVERE
feralia Etruſcorum ſepulcrorum emblemata.

EX his atque aliis mox adferendis illuſtrandiſque Etruſcae nationis monumentis , perſpicuum eſſe arbitror , Tuſcos probe noviſſe Troici belli , Heroumque in eo occiſorum , hiſtoriam ; quam Homerus , qui magnitudine operum , & fulgore carminum ſolus adpellari Poëta meruit , non ſolum enar-

(1) Vide Oiſelium ad Num. Sel. pag. 274. (2) Aeneid. Lib. II. verſ. 612.

enarravit, verum etiam graphice pinxit. In Iliaca Tabula, quam Fabrettus & Begerus pererudite illuſtrarunt, num. XXXVIII. & XXXVIIII. duo Heroes ſculpti ſunt, qui in terram vulneribus acceptis cecidere, quos milites in caſtra referre conantur: alter eſt PATROCLVS ab Hectore, alter vero forſitan ACAMAS a Merione occiſus. Huius igitur Iliacae Tabulae exemplo, in Etruſca Vrna marmorea, relata in Tabula CXXXIII. num. I. Heros ille, qui ſemianimis iacet, & manum amphorae inverſae imponit, ut coniicio, eſt PATROCLVS ab Hectore caeſus, armiſque ſpoliatus: cuius cadaver Menelaus ſive Meriones, Aiacis iuſſu, ab hoſtium incurſu protegit, & in caſtra referre conatur: ipſe, licet morti proximus, retinet clypeum, quod etiam ACAMAS facit. Patroclum, in terram prolapſum & amphorae incumbentem, ſagaci conſilio inſculpſit Tuſcus artifex; nam amphora, in qua defunctorum cineres condi ſolebant, mortis ſymbolum fuit etiam penes Etruſcos: quod maxime liquet ex alio ſepulcro apud Dempſterum edito Tabula LXXX. ad finem Tomi II. in quo duo ſervi Libitinarii expreſſi ſunt, qui ſcrobe in terram facto, ſub crypta, Etruſcis litteris inſcripta, iuxta quam ferales cupreſſus conſitae ſunt, cinerariam amphoram recondunt. Iuxta Patroclum adeſt ſaeva Neceſſitas aut Fatum, ſeu potius Mors alata ac volanti ſimilis, cum veſte ſuccincta, quo clarius eius vis & celeritas indicetur: quae dextra ſignificare videtur hominum vitam ſuo arbitrio pendere. Prope Mortem ſive Fatum adſtat, cum capite turrito & veſte bis ſuccincta, BELLONA Dea, cuius imaginem ſuperius adlatam in Tabula VI. num. IV. hinc deſumſimus, quae reiecta in humeros chlamyde claſſicum canere videtur.

Alter Heros, qui vulnere confoſſus iacet, in eadem Etruſca Vrna, qui nam ſit, haudquaquam mihi compertum; nam nec in Tabula Iliaca ſcriptum eſt eius nomen: facile tamen, ut dixi, crediderim eſſe ACAMANTEM a Merione occiſum, cuius fatum prope fatum Patrocli ſculptum eſt in eadem Tabula Iliaca. Quum Volaterris erutam vidiſſem hanc Vrnam marmoream in praediis Franceſchiniis; obſervavi, Tuſcum ſculptorem eximium in pectore Acamantis feciſſe vulnus ſatis profundum, ac rubro ſatiſque vivido colore, qui perbelle ſervatus erat, guttas ſanguinis ex eo manantis pinxiſſe. Illud notandum, hos Heroas fortiſſimos cum Argolicis clypeis in laevo brachio inſertis concidere & occumbere, quod eſt ſummae fortitudinis indicium: forte etiam ita ſculpti ſunt, quia in iiſdem clypeis eorum corpora impoſita ad ſepulcrum deferri, ſepulcroque clypei ſuſpendi ſolebant.

In eadem Tab. CXXXIII. num. II. cernitur nova nupta in geniali thoro locata, ad quam MORS accedit, quaſi thorum conſcenſura, quae ſe totam, praeter faciem & manus, pallio involvit, ſuppoſuitque mento dextrum brachium, ut luctum nuptae, luctum ſponſo, qui adſtat, ferens torquem nuptialem, ornatum bullis dependentibus, luctumque eiuſdem nuptae parentibus ſe adferre ſignificet, qui omnes inopino metu perculſi maerent & conlacrymantur.

In ſequenti Tabula CXXXIIII. num. I. ex Vrna e Tiburtino lapide, eruta in agro Peruſino, una cum altera, quae ſubiicitur, quaeque nunc adſervantur in Aedibus Nobiliſſimorum Comitum de Criſpoltis, exhibetur Heroum Graecorum & Troianorum PVGNA DE PATROCLI CADAVERE. Semianimis PATROCLVS iacet, vel ſi mavis etiam mortuus, cuius corpus humana ſpecie amplius & mole maius effictum eſt a Tuſco ſculptore, & quidem data opera; nam poſt mortem defunctorum umbras humana ſpecie grandiores auguſtioreſque eſſe & adparere veteres cenſuerunt. Qui Patrocli cadaver adtollit protegitque clypeo, eſt MENELAVS, quem canit Homerus, ad caput ſtantem, PATROCLVM invictiſſimum Heroem extinctum, ſtrenue tutatum eſſe. Prope Menelaum, ſublatis ad caelum manibus, quod ſubito dolore perculſi homines facere ſolent, triſti nuntio commotus, adſtat e Graecorum agmine vel Glaucus Hippolochi filius, vel Idomeneus, vel Meriones. Caput nudum habet: eſt etiam marmor (rariora fere ſemper tempus labefactat) non paucis in locis corruptum; quare quum ante meos oculos pictor id ipſum, uti & reliqua, delinearet, putabam forſitan eſſe feminam: veniebatque in mentem Minerva, quae, ut docet Homerus, ſaeviſſimam pugnam ſuper Patroclo excitavit: verum eſſe Graecum militem, fata Patrocli dolentem, diligenter obſervavi. Patrocli pedem laevum iniectis vinculis loriſque conſtringere conatur e Troianis forte HIPPOTHOVS, Lethi Pelaſgi filius, uti idem Homerus exponit. Hunc memorat ab Aiace occiſum fuiſſe. Cernitur enim AIAX terribili vultu ſtrenue avertens Troianos a Patrocli cadavere, qui diſtricto gladio, caedem atrociſſimam minitatur. Heros ille, qui arrepto ſiniſtro pede Menelai, eum ad ſe trahere nititur, & ad Troianorum caſtra ducere, eiuſque opimis ſpoliis potiri (nam ad eius pedes iacet galea) eſt HECTOR, Patrocli interfector, quem Apollo egregie adiuvit in hac pugna: in qua deſcribenda Homerus Iliadis librum XVII. fere totum impendit.

Ad Mortem & Fatum deſignandum, in altera Vrna, quae ſequitur in eadem Tabula CXXXIIII. num. II. expreſſus eſt

caſus

Digitized by Google

caſus Herois ex equo pugnantis, quem alter Heros conatur interficere, alius vero adcurrens, tuetur, ni fallor. Nuſquam legimus apud Homerum, Heroas tum Graecorum, tum etiam Troianorum, ſingulari equo inſidentes pugnare conſueviſſe; quare puto, Tuſco artifici perdifficile viſum eſſe, eum in curru, biiugis equis tracto, proeliantem repraeſentare. Forte refert Menalippum: quem ruina corporis armorumque proſtratum, ut canit Homerus, Antilochus facili negotio occidiſſet, niſi Hector adveniens, eum e mortis faucibus, hoſte perterrefacto, eripuiſſet. In re vero valde obſcura, nihil definio: coniecturam tantum propono.

Patroclum, tam diro immaturoque fato mortuum, Myrmidones omnes luxerunt: ſolemneſque inferias & funebres ludos in eius honorem celebrarunt. Achilles duodecim iuvenes, ut Homerus memorat, ad eius ſepulcrum, quod cum eo poſtea commune habuit, patrio ritu mactavit: comamque ſuam, quam Sperchio amni voverat, totondit (1): idque etiam omnes Graeci fecerunt, toto Patrocli cadavere crinibus contecto (2).

TABVLA CXXXV. CXXXVI.

AMAZONVM CERTAMINA cum Hercule & Theſeo & ad Troiam pro Troianis, e ſepulcris veterum Etruſcorum declarantur.

EVryſtheus, quum nonum laborem Herculi demandaſſet, ut Hippolytae Amazonum reginae, quae circa Thermodoontem amnem habitabant, cingulum ad ſe adferret, ut Admetae filiae ſuae, illud cupienti, obſequeretur; Hippolyte Herculem, ad Themyſcirae portum adpulſum, adiit: & adventus cauſam percontata, zonam ſe daturam promiſit. Iuno, ſumta Amazonum unius forma, multitudinem adiit, nuncians reginam ab advectis hoſpitibus rapi. Tum illae captis armis, in navem equo vectae decurrunt. Hercules, ut armatas Amazonum co-

(1) Homerus Iliad. Lib. XVIII.

(2) V. Averanium Diſſ. XXVII. in Anthol. 6.

copias proſpexit, ratus id iam non ſine dolo fieri, Hippolyten necavit, & zonam abſtulit (1).

Hanc fabulam exhiberi puto in Vrna elegantiſſima, quae longa eſt pedes Romanos circiter tres; lata pedes fere totidem, quae exſtat Tuderti in Xyſto Palatii Priorum. Hanc peraccurate delineatam ad me miſit Praeſul Praeſtantiſſimus Ioannes Bottarius, & ipſe de antiquitatis eruditione, praeſertim ſacra, optime meritus. Id evincit Dea, quae inter pugnantes Amazonas adparet, redimita caput radiata corona, tradito auris inflando peplo, quo exornatur. Amazones perbreve iaculum contra Herculis hoſpites, iam paene proſtratos deiectoſque e curribus, in quibus pugnarunt, intorquent, ſtrenuiſſimeque proeliantur. In medio Amazonum adeſt, muliebri ſpecie efficta, NECESSITAS vel MORS, vel una e PARCIS, quae etiam Amazonas caedere, licet eius brachia fracta ſint, videtur. In utroque ſepulcri latere ſculptae Furiae alatae, quae gladium educunt, & necem minitantur.

Hoc Sepulcrum rariſſimum cenſeo, quia nullum aliud vidi, in quo ſuperne duae defunctorum imagines, nempe vir & uxor, ſculptae conſpiciantur. Pro cineribus recondendis principum virorum, nempe alicuius Lucumonis, eiuſque coniugis, inſerviſſe videtur; nam femina radiatam coronam capite gerit.

Amazones ulturae damna, ab Hercule ſibi inlata, cum Scytharum auxiliariis copiis, Graecos adgrediuntur. Singulari vero exarſerunt odio in Athenienſes, quod Antiopen (alii Hippolyten volunt) Amazonum reginam Theſeus Athenienſium rex in ſervitutem adduxiſſet. Igitur conſerto proelio, Theſeus, quod Athenienſes virtute pollerent, Amazonas vicit, ac partim in acie caeſas, partimque in fugam coniectas, Attica expulit (2). Hanc Amazonum pugnam cum Theſeo, ut arbitror, refert marmorea Vrna relata in Tabula CXXXVI. quae etiam omnium artificio & anaglyphi operis dignitate eſt elegantiſſima. Peruſiae olim extſtabat apud Nobiles de Conſtanzis: nunc vero apud Vgolinios heredes cum ceteris in ſuburbana Villa in Peruſino agro adſervatur. In Dempſteriano Opere in Tabula LXVIII. num. 1. haec Vrna perperam expreſſa eſt, & longe ab archetypi fide (3); quare rurſum accuratius delineatam a diligenti pictore, in lucem proferendam eſſe cenſui.

Tres vero in hoc marmore Amazones ſculptae ſunt, quae in bello contra Athenienſes cum virtute, tum bellandi ſcientia principes

(1) Ex Apollodoro Bibl. Lib. II. Cap. IV. §. 9. Diodoro Sicul. Lib. IV. pag. 90. Pauſania in Eliac. pr. Lib. V. Cap. XI.

(2) Ex Diodoro Siculo Lib. IV. Biblioth. Siculae pag. 163.

(3) De hac nihil diſſeruit Cl. Bonarrotius.

cipes fuere. Ea, quae equo pellibus ſtrato inequitat, in ſpeciem viri effiċta, forte eſt Antiopa, quae Theſei viri ſui partes ſtrenue defendit: caeſaque a ceteris Amazonibus, heroicum vitae exitum ſortita eſt, ut ſcribit Diodorus Siculus (1). Hanc Theſeus tutatur, impoſita capiti eius manu, ut imminens vulnus, quod una ex Amazonibus intentat, effugiat. Altera, ut videtur, Amazonum regina (nam habet caput diademate revinċtum) obnixo in terra altero genu, diſtriċto gladio acerrime pugnat, cladesmque hoſtibus miſerrimam minitatur. Belli Amazonici Hiſtoriam, multis fabulis refertam eſſe, ſcriptorumque inter ſe ſententias non convenire, adnotat Plutarchus, quem vide (2).

Heċtore caeſo, latura auxilium cum Amazonum agmine Troiam advenit PENTHESILEA regina, Martis & Otreres filia, quam Achilles, adverſum ſe pugnantem, interemit: cadentem vero, ut eius pulchritudinem, detraċta galea, contemplatus eſt, pietatis cauſa in ulnas recepit ac ſuſtinuit: mortemque ei intuliſſe vehementer illum poenituit. In laevo igitur huiuſce Vrnae latere cenſebit forſitan aliquis, ſculptum eſſe Achillem, qui Pentheſileam iaculo interficit: verum meo iudicio nil huius rei adparet; nam quum differat veſtium cultu, nudoque fere cernatur corpore: quum e contrario Amazones tunica brevi utrimque aperta, ſine manicis, amiċtae ſint, itemque armillas in dextro brachio habeant, & prolixam caeſariem: potius credo, ſculptum eſſe COROEBVM, qui Caſſandrae iniuriam non ferens, quum eius nuptias paċtus eſſet, ultimum poſt Amazonas Troianis praeſidium advenit: quem, ut notat Q. Smyrnaeus, DIOMEDES, vel, ut auċtor eſt Pauſanias, NEOPTOLEMVS occidit (3). Melius igitur cum caede Amazonum convenit Coroebi nex; hi enim omnes Troianis ſuppetias ferentes, in proelio occubuere. Gladio tantum armatae Amazones in hac ſculptura proeliantur. Bipennem quoque in bello adhibuiſſe non latuit Etruſcos, uti vidimus ex piċtura Vaſis ſuperius editi in Tabula CXXX. quae etiam caput galea munire conſueverunt. In hac tamen Vrna, Etruſca quidem, uti ex inſcriptione & ex ipſa ſculptura liquet, Amazones, capite aperto, ſine haſta, ſine pelta, ſine iaculis, vel ſagittis, vel etiam bipennibus, ſolo gladio pugnant: quod eſt notatu maxime dignum (4).

(1) Bibl. Hiſt. Lib. IV. pag. 163.
(2) In Vita Theſei.
(3) Vide Begerum in Tab. Iliacam num. 61.
(4) V. Petr. Petitum in Diſſ. de Amazonib.

TABVLA CXXXVII.

HERCVLES CROTONEM EX IMPRVDENTIA OCCIDENS.

Etruſcae Sponſae, immaturo funere raptae, ſepulcrum adfertur.

HERCVLES Pollens, Invictus, non ſolum immania monſtra, verum etiam complures homines ſceleratos & impios, compluresque Tyrannos interfeciſſe memoratur. Ex his valde pervulgata nex Buſiridis Aegyptiorum Tyranni, qui hoſpitum, in regnum ſuum delatorum, ſanguine manus polluebat, quem Hercules interfecit (1). Poſt haec, adverſo Nili flumine in Aethiopiam ſubvectus, regem Aethiopum Emathionem, a quo bello & armis laceſſebatur, neci tradidit. Occidit etiam ex Argonautarum numero Iphitum, Euryſthei, qui certamina ei imperavit, fratrem, ſtrenue ſecum dimicantem: quem facile referre poteſt Etruſca Vrna cineraria, quae exhibetur in Tabula CXXXVII. num. I. Tota Italia, ac maxime Etruria peragrata, ferunt, Herculem, ex Sicilia reducem, dum per maritima iter faceret, & boves traiiceret, interfecto Lacinio, qui boum nonnullos abſtulerat, CROTONIATEM quoque forte ex imprudentia necaſſe: cuiuſmodi vero necis, re cognita, quum poenituiſſet, eumdem Crotoniatem funere ac ſplendido monumento honeſtavit, & clarum exinde oppidum defuncti nomine futurum accolis praedixit (2). Hoc igitur facinus, quod Etruſcis maxime cognitum famaque pervulgatum fuit, veriſimilius credam ſculptum eſſe in hac Etruſca Vrna, etſi etiam alia non negem poſſe congruere.

Adfertur in eadem Tabula CXXXVII. num. II. Vrna elegantiſſima e Tiburtino lapide, quae Peruſiae exſtat apud Nobiles Viros de Meniconibus, quae inſcripta eſt Etruſcis litteris; operculum vero Latinis & quidem antiquiſſimis: ex qua feminam, praenomine inſignitam, notare poſſumus: qui mos forte primum ab Etruſcis ortum habuit; legitur enim A. THORMENA. A. F. PIST....

hoc

(1) Vide Diodorum Siculum Bibl. Hiſtor. Lib. IV. pag. 157.

(2) Ex eodem Diodoro Siculo ibidem pag. 161.

hoc eſt : *Aula Thormena* , *Auli Filia* , *Piſt.* . . . . forte *Piſte* . Cernitur imago nuptae, pectore tenus expreſſa , quae ornata eſt inauribus & armillis : ſiniſtra Venereum ſpeculum tenet , in quo vultum ſuum conſiderat . Quod maxime notatu dignum , caput flammeo velatum habet ; eo enim vel matronae vel novae nuptae , boni ominis cauſa , amiciebantur ſolemni nuptiarum die . Lutei coloris fuiſſe tradunt , quaſi ſervandi pudoris & maritalis concordiae perpetuum monumentum . Graeci quoque , quo die (1) ſponſa in publicum prodibat , amiculo , ſeu peplo , ſeu flammeo eam tegere conſuevere (2) : quod vero ad luteum flammei colorem pertinet , Romanos ab Etruſcis hoc inſtitutum accepiſſe , auguror .

TABVLA CXXXVIII. CXXXVIIII.

AVGES ET TELEPHI fabula , Etruſcorum ſepulcrorum emblema .

AVGES & TELEPHI fabulam , ad excitandas ſpectatorum lacrymas & miſerationem, aptiſſimam eſſe veteres Tuſci exiſtimarunt . Hanc itaque in tribus Etruſcis Vrnis ſepulcralibus ſculptam vidi : e quibus altera elegantior exſtat apud Nobiles Giacominios in Villa ad Bonazam : altera vero Volaterris , in domo cuiuſdam ruſtici ; hiſque alia fere ſimilis apud me adſervatur . In ea narranda veteres Mythologi , Hyginus (3) , Diodotus Siculus (4) , Apollodorus (5) ceterique non concordant . Quae vero memorantur a Pauſania (6) ex Hecataeo , cum his Etruſcorum ſculpturis magis convenire videntur . Aleus mares habuit liberos Lycurgum , Amphidamantem & Cepheum : filiam Augen . Cum hac Hercules concubuit , quum forte Tegeam veniſſet . Id ubi ex puerperio filiae reſcivit Aleus , puerum cum

(1) Vide Ferrarium in Analectis de re Veſtiaria Cap. XXIV. Pitiſcum in Lexico in voce *Flammeum* .

(2) Ex Polluce Lib. III. Cap. III. §. 4.

(3) Fab. XCIX. ac C.

(4) Biblioth. Hiſt. Lib. IV. pag. 166. 167.

(5) Biblioth. Lib. II. Cap. VI. §. 4. & Lib. III. Cap. IX.

(6) In Arcadicis Lib. VIII. Cap. IV. & Cap. XLVI. & Cap. XLVIII.

matre in arcam concluſos, in mare abiecit. Delata aeſtu arca eſt ad TEVTHRANTEM ditiſſimum hominem, ea tempeſtate imperantem ad Caicum amnem: qui puellae forma illectus, eam, ut aliqui tradunt, ſibi matrimonio iunxit.

Igitur, qui in littore ſedet, eſt Teuthrantes Myſiae Dynaſtes: qui vero urnam ligneam defert, eſt Nauplius Neptuni filius, cui Aleus filiam ſuam, ab Hercule vitiatam, tradidit, ut arca incluſam in mare demergeret: qui edicto eius non parens, Augen in Naupliam adduxit, quae in ſilva, Parthenio monti proxima, vel, ut aliqui narrant (1), in templo Minervae Pantheniae, puerum peperit. Hunc a cerva lactatum, TELEPHVM vocatum, Minervaeque providentia ſervatum adfirmant. Etruſci forſitan haec aliter eveniſſe audierunt: neque a cerva lactatum, ſed ab aliqua femina: eaque forſitan eſt, quae manibus ad maerorem ſignificandum ſuperpoſitis, in navi iuxta puppim relicta eſt, ut clarius cernitur in Vrna Volaterrana in Tabula CXXXVIIII. Prope eam in eadem navi adeſt Nauplii famulus, qui urnam ab alio famulo cupit accipere.

Reliqui extra navem, Etruſco opere ornatiſſimam, atque variis ſculpturis elegantiſſimam, pulcherrimo ordine, exiguo in loco (nam ſingulae Vrnae vix latitudine excedunt pedes duos Romanos) diſpoſiti conſpiciuntur. In littore, regia in ſella ſedet TEVTHRANTES, qui adtonitus Augen cum Telepho puerulo ad ſe venientem intuetur. Augen, dum linqui animo, & ſubmittere genu incipit (quae mirifice Tuſci artifices expreſſere) Nauplii alter ſervus, & Thelephus ipſe ſuſtinent, ne collabatur. Adſtat etiam opem ferens navis gubernator, qui, palmulam tenet, vel, ut in Tabula CXXXVIII. palmulam ſimul & tubam marinam, quam Etruſci, rei maritimae peritiſſimi, invenerunt.

Ex his ſculpturis videmus, Tuſcos artifices in Hiſtoriis exprimendis, figuras, veſtium cultum, & aetates hominum variaſſe: non vero rem ipſam, quam repraeſentabant. Aliter hanc fabulam expreſſit Graecus artifex, ut ſuſpicabar, in gemma Medicei Theſauri, quam editam vide in Tom. II. Muſei Florentini Tabula XLIII. num. 1I. Multa Telepho infortunia poſt haec accidere: multa etiam Augae, quae narrat Hyginus (2); quare nil mirum, ſi Etruſci, quae ipſis fata evenere, feralia ſepulcrorum emblemata eſſe voluerunt.

De navi, eiuſque ſtructura, ornamentis inſtrumentiſque, alio in loco opportunius diſſeram.

TA-

(1) Ex Hygino & Apollodoro locis citatis. (2) In Fabula c. & ci.

TABVLA CXL.

HECVBAE SEV CASSANDRAE fatale connubium, pro ferali emblemate, ſculptum in ſepulcro Etruſcorum vetuſtiſſimo.

FAtorum voluntate & imperio everſa incendioque conſumta TROIA, Graeci Heroes direptis immenſis opibus atque opimis ſpoliis, queis naves onerarunt, haud ſatis contenti, antequam in patriam redirent, Troianas quoque feminas omnium lectiſſimas, regioque natas ſanguine, ſeu connubio iunctas, ſeu nuptiarum expertes, omni conatu uxores ſibi abducere ſtuduerunt. Sortitione facta, Andromache obvenit Neoptolemo, Polyxena Pyrrho: quam tamen ad placandam iram immitis Achillis iam fato functi, ut facilem ſibi reditum in patriam pararent, ad eius aram mactarunt. CASSANDRA ſorte contigit AGAMEMNONI, VLYSSI vero mater omnium infeliciſſima HECVBA. Hae igitur e ſummo rerum, felicitatis & gloriae faſtigio in ſervilem conditionem deiectae, reliquum vitae tempus, adſiduo moerore confectae, longe luctuoſiſſimum exegere.

Animo incertus pendeo, cuius nam ex his feminis infeliciſſimis, ferales nuptiae in hac Vrna exhibeantur, quam nuper erutam vidi Volaterris in praediis Franceſchiniis. Ea marmorea eſt, longa pedes duos & uncias quinque, alta pedem unum & uncias quatuor. HECVBA facile credi poteſt, vi ad Vlyſſem adducta a Talthybio, qui eam impellit, iaculoque ſe illam percuſſurum minatur, ni pareat. Hunc alii duo ſocii ſequuntur ſimiliter chlamydati, quorum alter ſecurem, alter praelongam haſtam tenet. Sequitur alius, eodem cultu veſtium ornatus, qui canem adlatrantem vinculo adligatum ducit: forſitan eſt aliquis militum, incendiariorum ductor; nam canes ignitas faces gerentes facile in multa loca penetrare poſſunt: ideoque gerit in humeris extinctam taedam, qua forſitan Troianorum aedes incendit. Cernitur prope hunc puella, quae veſtem adtollens, ad fugiendum parata videtur; quaſi e manibus Graecorum elapſa, ne foedo connubio iungeretur. Hecubam vi tractam ad Vlyſſem, ita Q. Calaber de-

ſcri-

ſcribit (1), magnoque gemitu fata ſua deplorantem, ut eius deſcriptio cum hac ſculptura mirifice conveniat. Verum quum Hecuba ſenili aetate gravis fuerit, nec iuvenili floreat ſpecie, uti mulier ſculpta in hac Vrna: nec vultus lineamenta ſenis ſedentis cum Vlyſſe conveniant; potius credam, eam feminam eſſe CASSANDRAM, vi a Talthybio abſtractam ductamque ad AGAMEMNONEM regem, qui in regia ſella ſedet, eamque accipiat ne, an reiiciat, ſecum meditari videtur. Iuxta eum ſtat Augur ſeu Vates pallio tectus, qui futura forſitan pandit. Siquidem Caſſandra non omnino a connubio Agamemnonis repugnare videtur; nam Tuſcus artifex ingenioſiſſimus, etſi eam exhibuerit vi adductam coram rege, tamen ita expreſſit, ut regem ſiniſtra manu comprehendere atque amplecti videtur: quam quidem rem, quo animo ſit factura, eadem Caſſandra Hecubae matri maeſtiſſimae ita aperit apud Euripidem (2):

Μᾶτερ, πύκαζε κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον,
Καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖσι βασιλικοῖς γάμοις,
Καὶ πέμπέ τε. κἂν μὴ τἀμά σοι πρόθυμά γ' ᾖ
Ωθειβιαίως. οὐ γάρ ἐστι Λοξίας.
Ελένης γαμεῖ με δυστυχέστερον γάμον,
Ο τῶν Αχαιῶν κλεινὸς Αγαμέμνων ἄναξ.
Κτενῶ γὰρ αὐτὸν, κἀν τι πορθήσω δόμους,
Ποινὰς ἀδελφῶν καὶ πατρὸς λαβοῦσ' ἐμοῦ.
Αλλά τ' ἐάσω, πέλεκην οὐχ ὑμνήσομαι,
Ος εἰς τράχηλον τὸν ἐμὸν εἶσι, χ' ἀτέρων.
Μητροκτόνους τ' ἀγῶνας, οὓς οὐ μοὶ γάμοι
Θήσουσιν, οἴκων τ' Ατρέως ἀνάστασιν.

Mater orna meum caput victorioſum,
Et gratulare meis regiis nuptiis,
Et deduc quoque me, *& niſi mei* greſſus *tibi ſint* ſatis *promti*,
Trude me *violenter. haud enim eſt Apollo*, qui me ducit;
Sed *infeliciore coniugio*, *quam* Paris *Helenam*, *me ducit uxorem*
Agamemnon ille inclytus Graecorum rex.
Interficiam enim ipſum, *& viciſſim vaſtabo domum* eius,
Sumens poenam pro interfectis fratribus & patre meo.
Sed cetera omittam. non lamentabor ſecurim,
Quae per meum iugulum ibit, *& aliorum*;
Nec parricidialia certamina, *quae ex meis nuptiis*
Orientur, *& familiae Atrei everſionem.*

Haec

(1) In principio Lib. XIV. (2) In Troad. verſ. 353.

Haec interim dum ſcribo, venit in mentem, an ſculptura huius Vrnae elegantiſſimae referre poſſit fatum formoſae BRYSEIDIS, quam rex Agamemnon per Talthybium & Eurybatem praecones ſeu feciales (1) ab Achille abduci, ſibique reddi imperavit. Invito aegroque certe animo id fieri paſſus eſt Achilles: neque etiam ſine lacrymis ſpectare potuit puellam ſibi cariſſimam, e conclavi ſuo a Patroclo abductam, a ſe diſcedere. Ipſa quoque BRYSEIS invita ac moeſta, ire cum his paene recuſavit, & ab Achillis amplexu divelli aegerrime tulit. Rem omnem aperit Homerus in primo Iliadis libro; fletumque & lamenta BRYSEIDIS exponit eleganter Ovidius (2). Expendent viri docti, an haec cum huiuſmodi Etruſca ſculptura convenire poſſint: mihi quidem obſtare videntur; primum, quia imago viri in regio throno ſedentis, potius regi Agamemnoni, qui, regiae poteſtatis & ſacerdotii inſigne, virgam praefert, quam Achilli convenit, qui iuvenis, nec annis gravis, fingi ſolet. Si enim eſſet Achilles, iuxta naves effingendus fuerat, iuxta quas ſedentem pinxit Homerus. Bryſeide vero diſcedente, idem Homerus memorat, Achillem, erumpentibus lacrymis, ab aſpectu ceterorum deflexiſſe, ſolumque ad oram maris reſediſſe, manibuſque ad caelum ſublatis, Thetidis opem imploraſſe. Praeterea neſcio quid in tali eventu ſignificare poſſet vir ille, qui extinctam facem defert in humeris, & copula trahit canem: & puella illa fugiens. De his igitur docti viri iudicium ferant.

TABVLA CXLI.

POLYXENA
ad Achillis tumulum immolata, ex anaglypho Etruſci ſepulcri.

Achillem, amore captum POLYXENAE, Priami regis filiae, forma pulcherrimae, Paris & Deiphobus fratres, in templo Apollinis Thymbraei, quo ad agendum de nuptiis ſororis convenerant, inermem, & nihil tale opinantem, ex inſidiis interfecere (3), uti adlata inſignis Etruſci Vaſis

(1) Vide etiam Pauſaniam in Eliac. prior. Lib. V. Cap. XXIV.

(2) Heroid. Epiſt. III.

(3) Ex Hygino Fab. CX.

Vaſis pictura, ad Tabulam CXXX. paullo ante obſervavimus. Graeci capta Troia, patriam datis velis repetentes, dum Achillis ſepulcrum praetereunt, ab eius umbra e tumulo adparente, admonentur, numquam in patriam ſecundis votis & auſpiciis redituros, niſi mactent ad ſepulcrum ſuum Polyxenam virginem ſibi deſponſam, ſuiſque Manibus debitam, cum qua nuptias apud Elyſios celebret. Graii hoc prodigio adtoniti, ſuadente Vlyſſe, Achillis voluntati obſequendum, & Polyxenam, quamvis multis diſſentientibus, ipſoque in primis rege Agamemnone, ad Herois fortiſſimi ſepulcrum mactandam eſſe cenſuere: idque ſacrificium (quod tamquam immane facinus, ut notat Pauſanias (1), Homerus conſulto praetermiſiſſe videtur) NEOPTOLEMO demandatum perhibent. Quod vero ab eo perfectum fuerit, confirmat Iliaca Tabula num. CXIII. quam Fabrettus & Begerus illuſtrant. In ea ſculpti Vlyſſes & Calchas, qui cum Camillo, amulam praeferente luſtralis aquae, iuxta Neoptolemum, cuius nomen in limbo eiuſdem Tabulae ſcriptum eſt, adſtant ſacrificio Polyxenae: cui quidem Talthybius apud Euripidem (2) totum exercitum Graecorum adfuiſſe memorat. Complures ſcriptores nomen illius viri, qui Polyxenam mactavit, ſilentio praetereunt (3). Alii Troade ad buſtum Achillis caeſam ſcribunt, uti Virgilius (4):

O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troiae ſub moenibus altis
Iuſſa mori, quae ſortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.

Euripides eam in Cherſoneſo ad inanem & honorarium Achillis tumulum immolatam fuiſſe; Philoſtratus (5) vero, eam ultro ad ſepulcrum Achillis ſponſi ſui gladio incubuiſſe, adfirmant.

Pinxit Polyxenae caſus aliaque Polygnotus ad mentem Homeri, aliorumque ſcriptorum de Ilii excidio, tum Athenis, tum Pergami, quas tabulas in his locis ſe vidiſſe teſtatur Pauſanias (6).

Nunc primum igitur ex hoc inſigni Etruſci ſepulcri fragmento, quod exſtat in meo Muſeo, videmus quomodo Tuſci artifices, fatale POLYXENAE ſacrificium exhibuerint: quod quidem Graecorum ſculpturis partim reſpondet, partim etiam non parum diſcre-

(1) In Atticis Lib. I. Cap. XXII. Vide Averanium Diſſ. XVII. & XXIII. in Euripid.
(2) In Hecuba verſ. 522.
(3) In Anthologia Lib. IV. Cap. IX.
(4) Aeneid. Lib. III. verſ. 321.
(5) In Heroicis. Vide Turnebum Adverſar. Lib. XI. Cap. XIX. Vide Muſei Flor. Tom. II. Tab. LXXVII. num. I.
(6) In Phocicis Lib. X. Cap. XXV. & in Atticis Lib. I. Cap. XXI.

Digitized by Google

diſcrepat. Enim vero iuxta Polyxenam, quod alii artifices non fecere, FATVM, ſeu PARCA, ſeu NEMESIS, ſeu e FVRIIS una, volanti ſimilis, alis expanſis ſedet, quae tam immane facinus averſari videtur; nam alio caput & oculos detorquet, ne caedem adſpiciat. Neoptolemus, ornatus circa collum torque & bullis, laeva crines puellae, retro collectos, virginum more; uti a Pauſania deſcribitur (1), tenet: dextraque gladium per eius iugulum ſe adacturum minatur. Polyxena ſtat ad monumentum Achillis, nempe ad columnam, in qua eius cineres in urna conditi fuere. Ea genu interim collapſa, tantam diligentiam adhibuit, ut honeſte caderet: quod notat ex Tragicis Clemens Alexandrinus (2).

Ne locus in hac Tabula vacuus relinqueretur, fictilem Vrnam elegantiſſimam, ectypo opere confectam, e meo Muſeo producendam eſſe cenſui. Pugnantes Heroes picti ſunt compluribus adhuc florentibus coloribus. Etruſci characteres, rubro colore depicti, etſi in fine aliquantulum fugientes, maiori tamen ex parte adhuc vividi perennant. Hanc ut publici iuris facerem, dono mihi dedit, vir humanitate flagrantique in bonas artes ſtudio conſpicuus, Comes Robertus Zefferinius. Forte exhibet Hectorem ab Achille, vel Acamantem a Merione interfectum, ut docet Iliaca Tabula num. XV. & LXII. & LXIII.

TABVLA CXLII.

POLYMESTOR

defoſſis oculis, una cum filiis ab Hecuba necatus, ex antiquo Etruſci ſepulcri anaglypho oſtenditur.

NVllum eſſe facinus tam immane, tam barbarum, quod non auri cupiditas homines cogat perpetrare, inter cetera exempla, declarat POLYMESTORIS avaritia, cum ſumma crudelitate coniuncta (3). Is enim Thraciae rex, a Graecis, qui omnem Priami ſtirpem extinguere cogitarunt, magno auri pondere accepto, Polydorum Priami filium, quem ſe educaturum ac diligenter ſervaturum cum Troica gaza, obſtrictus

Mm iure

(1) In Phocicis Lib. x. Cap. xxv.
(2) Stromatum Lib. II. verſus finem.
(3) Vide Averanium Diſſert. XI. in Euripidem num. I.

iure hoſpitii & adfinitatis, promiſerat, impie & crudeliter necavit, atque in mare abiecit. HECVBA, ut id comperit, dolore atque odio exagitata, Polymeſtorem ſimulato animo ad ſe cum liberis adcerſit: eoque ſceleris convicto, coram ſe oculos ei defodi, filioſque una necari iuſſit: quae omnia, ex Euripide ſatis perſpicue vulgata (1), cum hac Etruſcorum ferali ſculptura egregie concordant; quamvis aliter rem narret Hyginus (2).

Cernitur Hecuba regio in ſolio ſedens, quam ira furentem quidam cohibet. Adſtat non longe Agamemnon, regiam praeferens virgam, uti ſuperius obſervavimus, cuius opem Hecuba imploravit, ut apud Euripidem legitur. Polymeſtorem in utrumque genu collabſum, duo milites apprehenſis eius manibus ſumma vi tenent, ut ſibi ab altero erui oculos ſinat: qui idcirco eius imminet humeris, eiuſque caput per crines apprehenſum, ſurſum adtollit, ut facilius oculos confodiat. Adſtant eiulantes duo filii eiuſdem Polymeſtoris. Duae ancillae Hecubae, opem pro miſeris, eorum commotae calamitate, implorant: ni forte, quae cultu ornatior eſt, licet paſſis capillis, ſit uxor Polymeſtoris, quam ancilla pediſequa dolore atque ira preſſam retinere conatur.

Exſtat hoc marmoreum Etruſci ſepulcri anaglyphum, exquiſita arte & elegantia abſolutum, in Muſeo Mediceo: quod vero ſit Tuſcanici operis, etſi viderit, non tamen adſeruit V. C. Franciſcus Montanius Comes, qui in eo ſculptum eſſe cenſuit Phoenicem, iuſſu Amintoris patris occiſum (3).

TABVLA CXLIII.

VLYSSES APVD CIRCEN POTVS
e pictura Etruſci Vaſis Bibliothecae Vaticanae.

ETruſcarum antiquitatum primus indagator & interpres Senator Bonarrotius cenſet, Homerum a Tyrrhenis didiciſſe complures fabulas, quibus, externis quoque aliarum nationum additis, VLYSSIS vitam exornavit (4): quod etiam adnotavit Strabo (5), ubi de fabuloſis hiſce narrationibus, Ita-

(1) In Hecuba verſ. 1116.
(2) Fab. CIX. Averanium, ibidem.
(3) Vide Tom. XXXII. Ephemerid. Litterat. Italiae, a Venetis Auctoribus edit. pag. 93.
(4) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXI. p. 22.
(5) Geograph. Lib. V. num. 224.

Italiae peculiaribus, agit. Profecto Homerus, dum exponit Vlyſſis errores & pericula, uti obſervat Heraclides Ponticus (1), tamquam exemplum fortitudinis, prudentiae ſapientiaeque, nullis territum adverſis, nullis illecebris & voluptatibus delinitum, imitandum proponit Heroëm aerumnoſiſſimum. Hunc Tyrrheni, auctore Tzetze (2), Νᾶνον, id eſt *vagum* vel *errantem*, vel potius, ut cenſet Bernardus Martinus, Πλάνον cognominarunt: eumque inter Semonas ita coluerunt, ut eius geſta in ſculpturis & picturis, ad exemplum ſpectantium, exhibenda eſſe cenſuerint. Nonnulla ex his, quae ad noſtram aetatem pervenere, adferre lubet: ac primum e pictura Etruſci Vaſis, alti pedes duos, coram Circe adſtans Vlyſſes exhibetur. Eadem Dea in ſella ſedens, ſeminuda, calceis, armillis & inauribus ac pulcherrima mitra exornata, pendente ab humero unionum linea, dextra crateram offert Vlyſſi, qui ad eam modo advenisse fingitur. Ipſe, more Heroum, toto corpore nudus adſtat; ornatus tamen haſta & ocreis, criſtatam galeam gerens capite: iuxta quem adpictus cernitur ingens clypeus. Ex humero dextro balteus pendet, fertque ſiniſtra manu torquem ſive coronam, tamquam coronarurus aram, quae in medio poſita eſt. Haec, licet Homerus ſilentio praetereat, Etruſcis tamen forſitan cognita fuere. Conſtat enim, hoſpites in ipſo limine hoſpitalis domus, in qua recipiebantur, Genio ſeu Lari familiari, Diiſque Domeſticis, ac praeſertim Iovi Xenio, ſacra facere conſueviſſe (3). In alio Vaſe Etruſco, picturis ornato, apud Dempſterum Tabula XX. Vlyſſes eodem modo armatus, columellae ſive arae innixus cernitur: at vero dum a Circe diſcedit, pileatus exhibetur, & ocreas indutus; quemadmodum etiam obſervat Bonarrotius (4).

Circe auream pateram offert Vlyſſi, e qua pharmacum bibat: quod quidem ut bibit, nec adtonitus, nec mentis impos, aut conſopitus patriaeque obliviosus evaſit; nam antea a Mercurio admonitus, conſilioque eius adiutus, aliud pharmacum pro remedio acceperat, herbam nempe a Diis *moly* dictam, nigra radice, flore autem lacti ſimili: quae, ni fallor, in hoc ipſo Vaſe tum iuxta Circem, tum etiam iuxta Vlyſſem picta obſervatur.

In averſa parte eiuſdem Vaſis femina palliata ſedens, pateram ſiniſtra, & vannum, quod ſpectat ad vaticinia, dextra praebens, agit perſonam eiuſdem Circes: ante eam ſuper ara ſeu menſa

 impo-

(1) In Allegoriis Homeri pag. 495.
(2) Hunc citat G. Cuperus in Apotheoſin Homeri pag. 53.
(3) Vide Ovidium Metamorph. Lib. x. verſ. 224. & Iac. Phil. Tomaſinium de Teſſeris hoſpital. Cap. vi.
(4) Ad Monum. addita Dempſtero §. xvi. pag. 21.

impoſita pharmaca cernuntur. Adſtat eodem modo coram Circe iuvenis palliatus, cum capite laureato, qui, ut arbitror, Vlyſſis perſonam agit. Mos enim, ut hinc etiam evincitur, Etruſcorum fuit, Deorum Heroumque geſta repraeſentare in ludis ſcenicis. Rhapſodi, Homeri Iliadem cantaturi, quia Heroum caedes memorabant, puniceis veſtibus induti: Odyſſeam vero acturi, caeruleis veſtibus, vel conchyliatis, ornati prodibant; is enim color mare deſignabat, quo Vlyſſes, decem annorum ſpatio iactatus fertur, antequam Ithacam patriam ſuam reverteretur (1).

TABVLA CXLIIII. CXLV.

CIRCE

Vlyſſis ſocium feris obiiciens: Perſeus Meduſam interimens, Etruſci tripodis ahenei emblemata.

SVperſunt duo Etruſci tripodis ahenei emblemata, Etruſco opere vetuſtiſſimo valde inſignia, quae in regio Theſauro Mediceo adſervantur: exceduntque altitudine Romanum pedem. In altero ex his, prolato in Tabula CXLIIII. ni certiora ac meliora in poſterum mihi occurrant, ut nunc opinor, forſitan CIRCE exhibetur, quae vel hoſpitem, vel e ſociis Vlyſſis unum leoni & urſo dilaniandum vorandumque obiicit. Quod vero Circen credam, & ab ea Vlyſſis ſocium ita interemtum, illud me vehementer movet, quod iuvenis ille, quaſi pharmaco conſopitus, haud mutato vultu, ad dolorem vel ad vociferationem exprimendam compoſito, feris obiicitur. Praeterea teſtatur Homerus (2), in aedibus Circes fuiſſe lupos montanos ac leones, qui circa eam pharmacis deliniti adſultabant, & veluti canes domino epulanti caudis adblandiebantur. Idem Homerus adfirmat, Circen conſueviſſe in belluas convertere hoſpites ſuos, quod etiam accidit ſociis Vlyſſis: ex hoc tamen Etruſco monumento intelligimus, eos etiam ad paſtum leonibus & lupis ſuis domeſticis obieciſſe.

In

(1) Vide Suetonium in vita Neronis. (2) Odyſſ. Lib. x. verſ. 212.

In altero eiuſdem tripodis fragmento, relato in Tabula CXLV. cernitur, ut mihi videtur, PERSEVS, qui traiecto per iugulum gladio, MEDVSAE caput obtruncat. Peculiaris hic ſane eſt huiuſmodi rei a Perſeo geſtae typus: aliter enim in Etruſca patera apud Dempſterum Tabula V. haec caedes expreſſa eſt; attamen, quod & in hac eximia ſculptura idem Perſeus Meduſam obtruncans exhibeatur, multa ſuadent. Meduſa alata eſt: alae vero non in capite, ſed in humeris conſpiciuntur. Perſeus chlamyde ornatus eam reluctantem, & in utrumque genu collapſam, interficit. Oculi tum Perſei tum Meduſae, quum vacui & inanes ſint, eorum loco gemmas, vel oculos argenteos repoſitos fuiſſe, veriſimillimum cenſere poſſumus.

TABVLA CXLVI.

ELPENORIS FVNVS
ex anaglypho Etruſci ſepulcri oſtenditur.

ELPENORI, iuvenili aetate florenti, dum Vlyſſes, monente atque iubente Dea Circe, ad infera regna deſcenderet, triſte fatum contigit. Siquidem quum audiſſet in aedibus Circes tumultum & motum ſociorum, amens & adtonitus, quia & ipſe lethale pharmacum biberat, ut quanto citius poſſet adcurreret, e ſcalis praeceps ac pronus ruit, fractaque cervice mortuus eſt, quum per longas ſcalas retrogradum ſe deſcendere oblitus eſſet. Vlyſſi interim infera regna perluſtranti, ſtatim in primo limine umbra eiuſdem Elpenoris obviam facta, ut canit Homerus (1), triſte fatum ſuum narravit: oravitque, ut ad Circen rediens, corpus ſuum, quod inſepultum iacebat, ad tumulum efferendum curaret, riteque peractis exequiis, ſepulcrum pone littus maris conderet: eique arma ſua & remum pro inſignibus ad poſterorum memoriam imponeret: quae omnia ſumma cum religione perfecit pientiſſimus Vlyſſes (2).

Celebris haec fabula fuit apud Graecos, quam Polygnotus inter ceteras, quae ad Vlyſſem pertinent, atque ad eius deſcenſum ad inferos, pinxit in templo Apollinis Delphici: quam etiam deſcri-

(1) Odyſſ. Lib. XI. vide etiam ad fin. Lib. X. (2) Ex eodem Homero Odyſſ. Lib. XII.

Digitized by Google

deſcribit Pauſanias (1). Hanc ipſam pro ferali emblemate ſculptam arbitror in hac peteleganti Vrna Etruſca, quae exſtat Florentiae in Aedibus Marchionum Gaddiorum. Elpenor eo ſtatu corporis effictus, quaſi in terram corruat, e ſcalis domus Circes, ſe praecipitem lapſum eſſe perſpicue oſtendit. Hunc ſuſtinet, vel e terra ſublatum effert, ex Vlyſſis ſociis, forſitan Perimedes vel Eurylochus: niſi ex his potius unus ille ſit, qui velato capite cum veſte viatoria, poſt eumdem Elpenorem, eius fatum deflet ac miſeratur. Is vero, qui eodem veſtis genere amictus eſt, & gladium in vagina reconditum ſiniſtra gerit, forſitan eſt Vlyſſes, ab inferis reverſus; eo enim gladio educto, memorat Homerus (2), oves nigras, ſcrobe facta, in inferno mactaſſe in honorem Plutonis & Perſephones: & ab earum ſanguine, animas defunctorum hauriendi flagrantiſſimas, diſturbaſſe & avertiſſe. Praeeunt tres ex infimo ſociorum ordine, ut arbitror, Vlyſſis remiges, qui libitinariorum ſervorum munia obeunt, feruntque alius ſcalam, qua, ut reor, praealtum ſepulcrum, armis Elpenoris exornandum, conſcendere poſſit: ceteri vero urnas; quarum una cineribus recondendis inſerviat, altera vero, aqua oppleta, defuncti cineres luſtrari poſſint; vel ii aſpergi, qui ſepulcrum ingrediuntur, aut ex eo egrediuntur: quam urnam Graeci dixere *αδράνιον*, ab *ἄδρειν rigare*, de qua meminit Suidas. Hae urnae forſitan illas quoque deſignant, quae lacte, melle & oleo plenae, in inferiis mortuorum fundi ſolebant, quas Piſani adferendas iuſſerunt in annuis exequiis Caii & Lucii Caeſarum: quem ritum apud Graecos & Etruſcos uſitatiſſimum, Romani quoque receperunt (3).

His expoſitis, ſcrupulum mihi obortum fateor, utrum hoc anaglyphum referre poſſit Oreſtis funus, vel expiationem poſt caedes ab eo factas. Verum, quum multa, & quidem praecipua, quae de eo feruntur, ut animadverti, non bene cum his conveniant; potius alteram ELPENORIS fatalem lugubremque fabulam cenſui in hoc perraro ſepulcro expreſſam eſſe, quam non levibus coniecturis explicare conatus ſum.

Corona, quam capite gerit vir ille palliatus, qui Vlyſſem exhibet, pictuſque cernitur in poſtica Etruſci Vaſis parte, adlati in ſuperiore Tabula CXLIII. etſi laurea videatur, non tamen negandum, myrteam quoque eſſe poſſe. Hanc enim ab Vlyſſe ſatam fuiſſe tradunt Theophraſtus (4) & Plinius (5). De hac fabula

(1) In Phocicis Lib. x. Cap. xviii. & xxiiii. Vide etiam Hyginum Fab. cxxv. & Ovidium Lib. iii. Eleg. iv.

(2) Odyſſ. Lib. xi.

(3) Vide Noriſium in Cenotaph. Piſana Diſſert. iii. Cap. v.

(4) Hiſtor. Lib. v. Cap. xix.

(5) Nat. Hiſt. Lib. xv. Cap. xxix.

bula, deque Vlyſſe apud Circen, & de eius cultu apud populos Latii, plura obſervat vir omnigena eruditione excultus Petrus Marcellinus Corradinus, nunc Cardinalis ampliſſimus (1).

TABVLA CXLVII.

VLYSSES SIRENES PRAETERVEHENS
Etruſcorum ſepulcrorum ferale emblema.

PHiloſophiae moralis maximam partem complectitur fabula SIRENVM, quae frequenter ſculpta occurrit in cinerariis Vrnis veterum Etruſcorum. Ea enim Tuſci Philoſophi, eorumque exemplo Homerus, qui ab ipſis hanc & alias fabulas accepit, in mentibus rudium hominum altius infigere voluerunt, ſolum ſapientem eum eſſe, qui noxias voluptates, malorum omnium cauſam, contemnit & fugit: quique prudentia & animi ſumma contentione, quemadmodum Vlyſſes patriam, omni conatu ſolam virtutem adſequi ſtudet. Quare, ut facilius ea comparari poſſit, iuxta aureum illud monitum Horatii (2), quo nos uſi ſumus pro inſigni huius operis in ipſo limine:

> ———— *Vitanda eſt improba Siren*
> *Deſidia.* ————

Etruſca Vrna, quae in fronte horum librorum propoſita eſt, exſtat Florentiae in Muſeo Marchionum Niccoliniorum, quae quidem omnium eſt elegantiſſima, ac minus iniuria temporum labefactata. Quae vero proponitur num. I. in hac Tab. CXLVII. Volaterris conſpicitur in Aedibus Nobiliſſimi Equitis Ludovici Maffeii: altera vero prolata num. II. Florentiae apud Nobiles Bonarrotios adſervatur. Alteram praetermiſi, quae exſtat in Mediceo Cimeliarchio. Frequenter repertas Etruſcas Vrnas cum ferali SIRENVM emblemate iuxta vicum Pogna, decimo octavo a Florentia lapide, adnotavit Bonarrotius (3); ſed eas nec exhibuit, nec illuſtravit.

Pri-

(1) Veteris Latii profani & ſacri Lib. II. Cap. V.

(2) Satyr. Lib. II. Eclog. III. verſ. 14.

(3) Ad Monum. addita Dempſt. §. XVI.

Primum igitur in his monumentis omnium vetuſtiſſimis obſervandum eſt, Tuſcos noſtros tres tantum propoſuiſſe Sirenes, longe pulcherrimas feminas: & quidem omni cultu & venuſtate corporis inſtructas, ornataſque inauribus, armillis, torquibus & peplo, quod e capite earum pendet, virginea tunica & palla amictas: quibus nec crura, nec pedes gallinaceos adſignarunt, uti apud Graecos & Romanos in ſculpturis factum videmus (1). Homerus eas fingit in pratis ſedentes; Etruſci vero in ſcopulis petriſve. Notandum, quod ſyncruſi praetereuntem in navi Vlyſſem demulcere conantur; altera enim in medio ſedens canit fiſtula, e ſeptem calamis compacta: altera lyram plectro pulſat: altera vero monaulo, unica tibia, non duplici concinit, omneſque ſimul organicum melos condunt. In Vrna Volaterrana, uti & in Bonarrotiana, Sirenum una, quum nullum muſicum inſtrumentum praeferre videatur, voce cantat, & cum ceteris ſymplaſmate conſentit. Homerus Sirenes vocales tantum facit, eaſque fingit ſolerter cantare ſolitas quae praetereuntibus grata eſſent: ideoque ita Vlyſſem adfatae ſunt, ut verbis utar Ciceronis, qui Homerica carmina in hunc modum convertit:

O decus Argolicum, quin puppim flectis VLYSSES,
Auribus ut noſtris poſſis agnoſere cantus?
Nam nemo eſt umquam tranſvectus caerula curſu,
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus.
Poſt variis avido ſatiatis pectore Muſis,
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, clademque canemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
Omniaque elatis rerum veſtigia terris.

Sirenum nomen, notum ſacris divini Voluminis Scriptoribus, ut notat doctiſſimus Bochartus (2), ab Hebraico & Punico idiomate prodit; nam שיר *Sir*, eſt *cantio*, *canticum*. Inde libro Salomonis titulus שיר השירים *ſir haſſirim*, eſt *canticum canticorum*. Itaque שירן *Siren*, eſt *canorum monſtrum*, quale non ſolum a Poëtis, verum etiam a Sculptoribus & a Pictoribus fingitur. Proſerpinae (3) comites Muſarumque aemulae finguntur Sirenes, Acheloi fluminis & Melpomenes, ſive, ut aliqui volunt, Calliopes filiae (4). Iunonem in ma-

nu

(1) Vide Fabrettum, in Addendis ad Columnam Traiani, in fine.

(2) In Hierozoico Lib. VI. Cap. VIII. pag. 830.

(3) Ovidius Metamorph. Lib. V. Fab. XII.

(4) Ex Hygino Fab. CXLI. Servio in Virgilium Lib. V. Aeneid. verſ. 864. Vide etiam Apollodorum Lib. I. Bibliothecae Cap. IV.

nu ſua Sirenas geſtantem deſcribit Pauſanias (1). His reſponſum ferunt, tamdiu victuras, quamdiu eas cantantes audiens nemo eſſet praetervectus. Vlyſſes, a Circe edoctus, fallaces Sirenum cantus, obturatis ſociorum auribus, ipſeque malo navis adligatus, uti etiam in his ſculpturis cernitur, fefellit, praetervexitque; quare fabulantur, eas ſe in mare praecipitaſſe, atque in ſaxa fuiſſe converſas. Earum nomina exponit Natalis Comes (2). Vlyſſes, quum inſidias Sirenum evaſiſſet, aedem ſacram Minervae dedicavit (3). Iſocratis Sepulcro inſculpta canora Siren memoratur.

TABVLA CXLVIII.

SCYLLA ET CHARYBDIS

Sepulcrorum veterum Etruſcorum feralis typus.

Homerus fingit, Circen Vlyſſi praedixiſſe, poſt Sirenas, vitanda eſſe in mari ſaxa Cyanea, & immanes ſcopulos in freto Siculo, SCYLLAM & CHARYBDIM, quos deſcribit (4). SCYLLAM fabulatur habere vocem catuli, pedes duodenos, omneſque aſpectu foedos, ternaque colla oblonga, cuilibet horrendum caput, triplici quoque dentes ordine denſi ac frequentes, mortiſque pleni: deſcribitque in medio ſpeluncae natantem, atque e diro barathro capita exſerentem. Docuit etiam eumdem Vlyſſem Circes, quomodo evitaret peſtilentem CHARYBDIM, monſtrum inexpugnabile, navigantes omnes incautos abſorbens, ſi ad ſe appropinquent, ſaevaque procella diſpergens.

Quo vero typo Etruſci ante Homerum expreſſerint haec maris monſtra atque horrenda pericula, docent antiquiſſima monumenta, Etruſcis characteribus conſignata: quorum alterum iam prodiit apud Dempſterum Tabula LXXX. num. II. in quo Cl. Bonarrotius nil de his monſtris adnotavit: alia duo habes in hac Tabula, quae exſtant Peruſiae in Hortis Villae ſuburbanae Nobiliſſimi Comitis Pompeii Eugenii. Virginea, ut cernimus, forma, nudoque corpore expreſſa ſunt: ſub pube perizomatis, e maioribus foliis vel algae vel caprifici marini, velantur; nam Ho-

Nn merus

(1) In Boeoticis Lib. VIIII. Cap. XXXIIII.
(2) Mythologo. Lib. VII. Cap. XIII.
(3) Vide ſupra pag. 88. ad Tab. XXVIII.
(4) Odyſſ. Lib. XII. in principio.

Digitized by Google

merus ſub umbroſa caprifico habitare CHARYBDIM fingit. SCYLLAE pedes, ut in altera Vrna cernitur num. I. mirae magnaeque longitudinis ſunt, quibus duos miſeros homines complexa eſt: pugnatque cum duobus militibus, iaciens temonem aut torrem, vel facem, uti clarius in altera apud Dempſterum Tabula LXXX. num. II. cernitur. CHARYBDIS, quia magis humilis, & in mari demiſſior latitat, alatos habet humeros his alis, quae nocturnis avibus, quae ſublimius ferri non poſſunt, dantur. Alatum quoque habet caput, eo prorſus modo, quo ab Etruſcis TEMPESTATEM Deam expreſſam ſuperius adnotavimus (1). Cum hac quoque duo milites nequicquam pugnant, ut eam interficiant ac perdant. SCYLLAM, fere iuxta hunc Etruſcorum typum, ita deſcribit Virgilius (2), qui non Homerum, ſed has Etruſcorum ſculpturas mihi expreſſiſſe videtur: nec mirum; quum idem Mantuam patriam ſuam, Etruſcorum coloniam, & regum ſedem faciat.

At SCYLLAM caecis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exſertantem, & naves in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore priſtix,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Veteres Etruſci, exhibentes in cinerariis Vrnis defunctorum haec monſtra, nil aliud, ut opinor, deſignare voluerunt, quam Mortis vim ac Fati malignitatem, contra quae homines, etiamſi ſtrenui, robuſti, viribus opibuſque pollentes ſint, non valent tamen nec pugnare, nec ea proſternere; ſed tamquam in ſcopulos impingentes, diem ſupremum miſeri obeunt. Idem Virgilius (3), veterum Etruſcorum facile ſecutus Mythologiam, Scyllam biformem, quia alii in canem, alii in piſcem, alii in avem converſam volunt (4), cum aliis horrificis monſtris recenſet ſtatuitque apud inferos, & adfirmat de impiis ac ſceleratis hominibus vindictam & debitas poenas ſumere acerbiſſimas.

Multaque praeterea variarum monſtra ferarum
Centauri in foribus ſtabulant, SCYLLAEQVE biformes,
Et centumgeminus Briareus, & bellua Lernae
Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimaera:
Gorgones, Harpiaeque, & formae tricorporis Vmbrae.

SCYL-

(1) Pag. 173. 174. ad Tab. LXXVII.
(2) Aeneid. Lib. III. verſ. 424.
(3) Aeneid. Lib. VI. verſ. 285.
(4) Vide Servium in Virgilium, ibidem.

Scyllam igitur, aliaque monſtra mox adferenda, Etruſci in Sepulcris defunctorum ſculpſere, ut deſignarent non ſolum Mortem & dirum Fatum, verum etiam infera regna, apud quae ſontes homines ab his monſtris ſaeviſſime torqueri crediderunt.

TABVLA CXLVIIII.

TELEGONVS ignarus Vlyſſem patrem ſuum interficiens: BELVS gladii inventor, ſculpti in Sepulcris Etruſcorum.

QVae ſpectant ad Vlyſſis errores, quum nota fuerint antiquis Tuſcis, ut vidimus ex adlatis eiuſdem gentis priſcis ſculpturis, non abs re erit credere, ipſis quoque cognitum fuiſſe fatum eiuſdem Vlyſſis, quem eius filius TELEGONVS, e Circe editus, ignarus occidit, ut narrat Hyginus (1), cuius verba lubet adferre. *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſſus a matre ut genitorem quaereret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibique fame coactus, agros depopulari coepit: cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlyſſes a Telegono filio eſt interfectus; quod ei reſponſum fuerat, ut a filio caveret mortem. Quem poſtquam cognovit qui eſſet, iuſſu Minervae, cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt: in inſulam Aeaeam ad Circen Vlyſſem mortuum deportarunt, ibique ſepulturae tradiderunt.*

Igitur in Vrna Etruſca, in agro Peruſino effoſſa, quae prodit num. I. in Tabula CXLVIIII. videant viri docti, an iuvenis, qui equo inſidet, TELEGONVS ſit, qui VLYSSEM patrem ignarus occidit. Convenit ei aetas: convenit quoque triſte fatum, pro ferali emblemate in Sepulcro expreſſum: quo etiam Tuſci mortuorum adverſa fata deflenda eſſe, deque eorum funere & parentalibus curam a ſuperſtitibus habendam, declarare voluerunt. Idem Telegonus apud Tuſculanos aedem ſacram & feſta promeruit; nam ferunt, ab eo Tuſculum conditum fuiſſe (2).

Nn 2 In

(1) Fab. CXXVII.

(2) Vide Ovidium Faſtor. Lib. III. Silium Lib. XII. Horatium Carm. Lib. III. Ode XIX. Statium Silvarum Lib. I. Carmin. III. Corradinum vet. Lat. Lib. I. Cap. XXVII.

Digitized by Google

In altera Vrna Etruſca, quae ſequitur num. II. in eadem Tabula CXLVIIII. cernitur vir, Hippocampi ſpecie, chlamyde amictus, nudo tamen apertoque capite, qui dextra diſtrictam ſicam ſive gladium oſtentat. Inter monumenta veterum Etruſcorum nondum viſum adſimile marinum monſtrum. Forſitan repraeſentat BELVM, Neptuni filium, qui primus ferreum gladium produxit (1): primum enim Afri & Aegyptii fuſtibus & ſudibus dimicare ſoliti (2): quod etiam a vetuſtioribus Tuſcis factum primoribus ſeculis oſtendunt anaglyphae ſculpturae apud Dempſterum (3) & in hoc opere editae. Arcas gladium longiore lamina produxiſſe, Peleus primus machaeram inveniſſe, narratur (4).

TABVLA CL. CLI.

ORESTES ET PYLADES a Furiis agitati, deinde ob caedes expiati, ex Etruſcis Vrnarum ſculpturis obſervantur.

DVo iuvenes, ſculpti in Cluſina Vrna marmorea, edita in Tabula CL. quam vidi penes Nob. Virum Innocentium Nardium, alter corpore nudus, alter lorica armatus, qui priſco ſupplicantium ritu (5), aram flexo genu tangunt, ni me fallunt probabiles admodum coniecturae, ſunt ORESTES & PYLADES, qui quum multis caedibus polluti eſſent, ſacris luſtrationibus perceptis, in priſtinam puritatem integritatemque ſe revocarunt, meruerunt que apud Scythas commune templum, aram & ſacrificia, itemque columnam, rerum ab eis geſtarum memoria inſignem, praeter depictos eorum facinoribus parietes, quemadmodum notavit Lucianus (6). Is qui obtruncatum caput, una cum clypeo, ſiniſtra manu geſtat, eſt ipſe ORESTES Agamemnonis filius, cum abſciſſo capite, forſitan Aegyſthi adulteri: alter vero eſt eius amicus Pylades, cuius pater Strophius Phocenſium princeps, eum educaverat. Igitur Oreſtes, paternae necis ultor, Clytemneſtram matrem, quam ad pedes eius iacentem,

ac

(1) Ex Hygino Fab. CCLXXIV. & Caſſiodoro Var. Lib. I. Cap. XXX.
(2) Ex eodem Hygino.
(3) Vide Tab. LIV. num. I. & II.
(4) Vide Servium ad Virgilium Aeneid. Lib. IX. verſ. 505.
(5) V. Saubertum de Sacrific. vet. pag. 92.
(6) In Toxari, ſeu Amicitia, fere in princ.

ac fruſtra ſe clypeo defendentem videmus, Neoptolemum ſeu Pyrrhum, armis inſtructum, proxime eum pugnantem, & Aleten, acceptis vulneribus iam in terram collapſum, interemit (1). Superſunt duae figurae, quarum prima iuxta Oreſtem, utrum Aegyſthum, vel potius Tyndarum patrem interfectae Clytemneſtrae referat: altera vero, ut videtur, femina armata, utrum ſit Electra Oreſtis ſoror, incompertum mihi eſt. Hanc facile crediderim repraeſentare Minervam, lorica hamata indutam; conſtat enim, Oreſtem a Minerva adiutum fuiſſe, pro quo ea calculum ſive ſuffragium adiecit, ut in iudicio Areopagitarum a caede matris abſolveretur: quare, ut fertur, tanti memor beneficii, aram in honorem eiuſdem Minervae, quam Ἀρείαν *Areian* ſive *Martialem* dixit, in Areopago dedicavit. Has Oreſtis caedes pinxere celeberrimi inter ceteros pictores Theon (2) & Theodorus (3).

Veteres Tuſci haec in ſepulcris ſculpſere, ut oſtenderent, quae bona homines ſacris myſteriis initiati expiative luſtrationibus, tum adhuc vivi, tum poſt mortem conſequerentur, etſi caedes & infanda ſcelera patraſſent. Vlyſſes & Iaſon maris pericula evaſere, quia initiati erant ſacris Deorum Samothracum (4). Poſt mortem vero, ſolos initiatos vel luſtratos beatitudinem apud Elyſios conſequi credidere.

Caeſa matre, Oreſtes ſtatim poenas dedit, inſanus factus: inde Furiis exagitatus (5), varias orbis regiones, ac demum, Minervae conſilio, coactus eſt adire Athenas & Troezenios, apud quos luſtratus eſt (6): profectuſque Argos, Eumenidas placavit. Tres FVRIAS aliae nationes commenti ſunt (7), Etruſci vero duas: quae, ut cernitur in altera Vrna Cluſina, quae exſtat apud eumdem Nardium Patricium Cluſinum, editamque vides in Tabula CLI. tum Oreſtem tum Pyladen, admotis ardentibus taedis, inſectantur & adurunt. Ipſi genu flexo arae incumbunt, ad quam luſtrati fuere: ni forte deſignet ſaxum Gytheum, quum rude admodum ſit, cui Oreſtes inſidens, a veſania liberatus eſt, ut memorant veteres Scriptores (8).

Altera Furiarum habet caput alatum, ac duplici vitta ſeu diademate regio revinctum: ea facem unicam iactat, altera vero duas: ceterum utrique communis armillarum, non tamen veſtium

(1) Ex Hygino Fab. CCXIX. CCXXIII. CCXXIV.

(2) Ex Plutarcho de audien. Poëtis.

(3) Ex Plinio Lib. XXXV. Cap. II.

(4) Ex Apollonio Rhodio, & eius interprete Lib. I. Argonaut.

(5) Vide Hyginum Fab. CXIX. CXX. Virgilium Aeneid. Lib. III. verſ. 331.

(6) Vide Pauſaniam in Corinthiac. Lib. II. Cap. XXXI. Fuſius de Oreſte Nat. Comes Mytholog. Lib. IX. Cap. II.

(7) Lactantius Lib. VI. Cap. XIX. Apollodorus Lib. I. Biblioth.

(8) Vide Nat. Comitis Mytholog. ibidem.

ſtium & capillorum vultus. Hoc exemplo veteres Tuſci docuere, ſceleſtos homines interdiu noctuque conſcientiae ſtimulis exagitari, mirumque in modum torqueri.

TABVLA CLII. CLIII.

HIPPOCENTAVRORVM ET HIPPOCENTAVRIDARVM EXITIALES PVGNAE

ſculptae in antiquis Etruſcorum Sepulcris, quid deſignent, exponitur.

CENTAVRORVM origo ac natura, fabularum multa caligine multiſque ambagibus involuta eſt apud veteres Mythologos (1). His interim relictis, quae ad rem noſtram minime pertinent, ex his Etruſcorum ſinceris omniumque vetuſtiſſimis monumentis conſtat, eos monſtroſo corpore conſtaſſe, humano nimirum umbilico tenus, reliquo vero equino, quibus cum cauda equini pariter quatuor pedes fuere; quamquam, ut ſupra adnotavimus ad Tabulam LXVII. Chironi veteres Tuſci, quem & ipſi inter Deos retulerunt, propter inventam Muſicam vel ſaltem amplificatam, anteriores tantum pedes humanos dederint.

Quod in ſculpturis aliarum nationum expreſſum non videmus, in his Etruſcorum non ſolum HIPPOCENTAVROS, verum etiam HIPPOCENTAVRIDAS cernimus pugnantes cum ſaxis vel abietibus vel torribus, ut etiam docet Apollodorus (2), adverſus homines cuiuſcumque aetatis, ſive iuvenes, ſive viros, ſive ſenes. Specie quidem in his Vrnis videntur ſculpta bella eorumdem Centaurorum temulentorum contra Pirithoum in eius nuptiis, & contra univerſam Lapitharum gentem: e quibus compluribus caeſis, quos fortuna belli ſuperſtites reliquit, eos in Pholoen Arcadiae fugere compulerunt (3). Verum quum ex his monſtris immaniſſimis, unus tantum HIPPOCENTAVRVS, atque e feminis una dumtaxat HIPPOCENTAVRIS pugnans exhibeatur, non vero plures, ut in

(1) Vide Diodorum Sicul. Biblioth. Hiſt. Lib. IV. pag. 189. Nat. Comitis Mythol. Lib. VI. Cap. XVI.

(2) Biblioth. Lib. II. Cap. IV. §. IV.

(3) Ex eodem Diodoro Siculo, ibidem, & ex Pauſania in Eliac. Prior. Lib. V. Cap. X. Ex Hygino Fab. XXXIII. & Apollodoro ibidem.

in aliis ſculpturis & deſcriptionibus apud Graecos videre eſt (1), procul dubio haec feralia emblemata aliquid aliud, praeter Lapitharum cladem & fugam, deſignant: atque, uti cenſeo, Mortem ipſam vel Fatum malignum, a quibus omnia, atque ipſam quoque hominum vitam, pendere arbitrabantur: quin etiam, quum nec Fatum nec Mortem ſe evitare poſſe crederent, ipſos quoque Deos Fatis obnoxios fecerunt (2).

Anaglyphum Etruſcae Vrnae, e plaſtico opere, relatum in Tabula CLIII. num. I. homines multos diverſo cultu, diverſiſque armis, ac proinde e diverſis nationibus, adverſus teterrimum HIPPOCENTAVRVM pugnantes, exhibet. Hinc inde duo viri, nudo corpore, brachiis ſuſpenſi ſculpti ſunt, ea ferme ſpecie, uti exhibet pictura Etruſcae Cryptae, detectae prope moenia Corneti, iam editae apud Dempſterum Tabula LXXXVIII. ad finem Tom. II. in qua, ut ſupra diximus (3), damnatorum ſupplicia apud inferos proponuntur; quare & heic hae imagines idem referre poſſunt. Homines contra haec monſtra pugnant ſaxis, haſtis, ſudibus, malleis, iaculis: ad haec etiam bipennibus, ut in Vrna Peruſina apud Dempſterum Tabula XXI. num. II. Sub pedibus poſteriorибus eorumdem monſtrorum iacent ſubſtrati Acherontici ſenes.

Alterum Sepulcrum marmoreum, relatum in eadem Tabula CLII. num. II. viſitur Volaterris in Aedibus ornatiſſimi Equitis Ludovici Maffeii, Patricii Volaterrani; in quo, quod rarum obſervatuque maxime dignum eſt, uti ſupra monuimus ad Tabulam LXXXV. (4), Furiae, quae eidem pugnae virorum cum HIPPOCENTAVRIDE, quae ingens & peracutum ſaxum iaculari nititur, ſpectatrices adſunt, omni cultu ornatae, quamquam ſine alis, palmas dextera praeferunt, quaſi eas fortibus horum monſtrorum victoribus daturae ſint. Virgilius, quo terribiliorem ſanguinolenti belli imaginem faciat, atque ob oculos ponat futuras clades, Mezentio Etruſcorum regi paratas, ob intolerandam crudelitatem regno expulſum, *Furias iuſtas*, iuſtum bellum adpellat (5):

Ergo omnis FVRIIS ſurrexit ETRVRIA iuſtis.

Notum Virgilio fuit, quam terribiles eſſent Furiae ex opinione veterum Etruſcorum, atque quam iuſtae ſcelerum vindices. Forte, ut hinc ſuſpicari poſſumus, ex divini Teſtamenti Libris, ad notitiam

(1) Lucianus ex his pugnam deſcribit Tom. I. pag. 30. contra eum, qui dixerat *Prometheus es in verbis*.

(2) V. Averanium Diſſ. VIII. in Virgilium.

(3) Vide Bonarrot. in Monum. add. Dempſteriano Operi §. XXVI. pag. 40. 43.

(4) Vide ſuperius pag. 190.

(5) Aeneid. Lib. VIII. verſ. 494.

tiam Etruſcorum pervenit, Angelos, Dei miniſtros hominumque cuſtodes, iuſte pugnantibus adeſſe cum palmis & coronis, quaſi certam de hoſtibus victoriam ſpondentes: iniuſte vero pugnantibus, & impia ſcelera perpetrantibus, cum gladiis adeſſe vel flagellis, ad iram, ad vindictam & ad punitionem paratos: quod factum novimus a Cherubim, terreſtris Paradiſi cuſtode, qui Dei iuſſu inde cum gladio flammeo ac verſatili expulit poſt peccatum primos humani generis Parentes (1). Forte etiam innotuit Cherubim, pictos ſculptoſque in Templo Dei, atque iuxta eos palmas (2).

Altera Vrna marmorea elegantiſſima, edita in Tab. CLIII. nuper inventa eſt Volaterris in praediis Franceſchiniis.

T A B V L A CLIIII.

HIPPOCENTAVRIDES
Monſtris marinis comites additae ab Etruſcis, in Sepulcris defunctorum ſculptae.

Ferunt (3), Centauros, ab Hercule pulſos ex Theſſalia, in inſulas Sirenum confugiſſe, qui earum cantibus deliniti, lethale exitium conſecuti ſunt. Alii a Neptuno receptos fabulantur. Tuſci, uti colligimus e ſculptura Vrnae marmorea, quae Cluſii exſtat apud egregium Virum Riſtorum Paolotium Patricium Cluſinum, quam habes in Tabula CLIIII. num. II. HIPPOCENTAVRIDAS cum SCYLLA, ſeu potius cum TEMPESTATE DEA coniunxere. Haec temonem utraque manu adtollit: hae ſaxa iaciunt: omnes vero impexis crinibus ac paſſis ſculptae ſunt, ut oculis ſpectantium horrorem incutiant. Peltae iacent ſub ipſis: ſingulis roſa adſculpta, quaſi muneribus & corollis placari velint.

Ex his veterum Etruſcorum feralibus ſculpturis, exemplum deſumſere Romani, qui in ſepulcris marinos Deos, compluraque marina monſtra & HIPPOCENTAVROS & HIPPOCENTAVRIDAS ſculpſere, ut alibi oſtendimus (4). Horum monſtrorum ludicra emblemata deſcribit Philoſtratus (5).

TA-

(1) Geneſ. Cap. III. verſ. 24.
(2) Lib. III. Regum Cap. VI.
(3) Ex Antimacho in Centomachia. Vide Nat. Comit. Mythol. Lib. VII. Cap. IV.
(4) Muſ. Flor. Tom. II. Claſſ. IV. pag. 146.
(5) Iconum Lib. II. pag. mihi 783. 784.

Digitized by Google

TABVLA CLV.

CHIMAERA ET GRYPS
inſignia veterum Etruſcorum monſtra, litteris Etruſcis inſcripta, accuratius illuſtrantur.

DE fabuloſis animalibus & monſtris Etruſcae nationis, quum pauca diſſerere cogitaverim, a CHIMAERA initium ducendum eſſe cenſui: quod monſtrum, e contrariis diverſiſque naturis, leonis, caprae & draconis compoſitum, multa, & quidem recondita, apud Tuſcos ſignificaſſe credendum eſt. Fabulantur, BELLEROPHONTEM Pegaſo inſidentem, ſagittis vel haſta CHIMAERAM ſtrenue confeciſſe (1). Homerum (2) & Heſiodum (3) inrer eos auctores numero, qui omnium primi, huius monſtri non meminere ſolum, verum etiam imaginem carminibus egregie expreſſerunt. Adferam Heſiodi verſus, qui etiam Homericos fere comprehendunt:

Η δὲ ΧΙΜΑΙΡΑΝ ἔτικτε, πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
Δεινήν τε, μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί· μία μὲν, χαροποῖο λέοντος,
Η δὲ χιμαίρης· ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο δράκοντος.
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Tum parit horribiles efflantem ex ore CHIMAERAM
Flammas, ingentem, celerem, fortemque, trucemque.
Huic tria erant capita: primum fuit acre leonis,
Aſt aliud caprae, atque alius caput inde draconis.
Prima leo, poſtrema draco, media inde capella,
Quae graviter patulis ſpirabat naribus ignem.

Capra peculiaris eſt figurae: praelongas habet aures, cornua ſatis oblonga, acuta & valde retorta: ſub mento barbula: collum laeve, non hiſpidum, dextra & ſiniſtra vulneribus confoſſum, e quibus manant

Oo

(1) Ex Hygino Fab. LVII. CLI. Vide Servium in Virgil. Aeneid. Lib. VI. verſ. 288.

(2) Iliad. Lib. Z. verſ. 181.

(3) Theogon. verſ. 319.

nant guttae ſanguinis, aeri inſertae ab artifice: ipſa paene iam moritura caput in laevam partem demittere videtur. Lucretius ita CHIMAERAM deſcripſit ad exemplum Homeri & Heſiodi (1).

> *Qua fieri potuit, triplici cum corpore, ut una*
> *Prima* LEO, *poſtrema* DRACO, *media ipſa* CHIMAERA
> *Ore foras acrem efflaret de corpore flammam.*

Aegyptii, mortalium omnium vetuſtiſſimi, multa animalia, monſtris ſimillima, commenti ſunt, praeſertim Sphinges, Gryphes, Feles, nec dubito etiam CHIMAERAM: verum hanc neque in Menſa Iſiaca, neque in aliis monumentis caelatam video: frequenter tamen Sphinges, Gryphes, Feles, Dracunculos alatos, Leones quoque monſtroſos obſervo. Hinc, haud omnino improbabilis coniecturae locus, Etruſcos horum animalium figmenta, & myſticas allegorias ab Aegyptiis quidem didiciſſe; ipſos tamen omnium primos extitiſſe, qui horum notitiam in Italiam totam, univerſamque proinde Etruriam invexere.

Diſcordant inter ſe veteres Mythographi in adſignanda hiſtorica CHIMAERAE origine & ſignificatione. Natam dicunt ex Typhone & Echidna, e quibus alia quoque monſtra, quae Hyginus (2) deſcribit, prodierunt. Alii hoc monſtrum ea occaſione confictum ferunt, quum Bellerophontes montem in Phaſelide (3), vel, ut alii volunt, in Lycia (4), vel, ut Servius, in Sicilia (5), habitabilem reddidit; quum antea, ut aiunt, leonum in ſummitate, caprarum in medio, & ſerpentium in imo loco eſſet cubile. Heraclitus (6) putat fuiſſe antiquiſſimis temporibus mulierem, regionis cuiuſdam dominam, quae fratres dominationis ſocios Leontem & Draconem adſcivit: quae quum foedera violaret, & peregrinos mactaret, a Bellerophonte trucidata eſt. Pierius Valerianus (7) & Natalis Comes (8) putant deſignare paſſiones hominum omnium potentiſſimas, *amorem* & *iram*; nam ira in homine ignis eſt, quae primum eum inflammat: deinde pugnat veluti cornibus: deinde, ut efferbuit, conſilia capit meliora: quae leo, capra & ſerpens denotant: amoris vero vim & effectus praeſignat; quia priore inſultu, ut leo ferox, amantem adgreditur: deinde, ut capra, procacitatem & laſciviam gignit: demum veneno adlato, fere ad internecionem, ut draco, perducit.

Ludo-

(1) Lib. v. verſ. 902.
(2) Vide Fab. CLI.
(3) Plinius Lib. II. Cap. CVI.
(4) Hyginus Fab. CLI.
(5) Ad Virgil. Aeneid. Lib. VI. verſ. 288.
(6) De Incredibilibus num. XV.
(7) Hieroglyph. Lib. I. verſus finem.
(8) Mytholog. Lib. IX. Cap. III.

Ludovicus Bourguet, vir immortali nomine dignus, per epiſtolam me monuit, hoc CHIMAERAE aheneum ſignum vetuſtiſſimum, eſſe emblematicum, ab Etruſcis inventum ad declarandam vindictam divinam. Id ſignificant octo Etruſcae litterae in dextra eius tibia in hunc modum ſcriptae ⅃IꟻƆMИIT; quae Latinis litteris TINMCVIL ſonant: cuius inſcriptionis ſchema antigraphice ſumtum ex eodem archetypo, expreſſum habes in eadem Tabula CLV. ipſiſſima litterarum figura. Hae igitur, ut Bourguet interpretatur, ſignificant, *ad vindictam pronus*, ſive, *ad vindictam paratus*. Iam ex eo tempore in votis fuit, ut idem Cl. Bourguet ad me humaniſſime, ut ſolet, reſcribens, rationem ſuae interpretationis redderet, unde eam deſumſit, quam adhuc deſidero. Quod vero hoc monſtrum ſymbolicum eſſe potuerit apud Etruſcos, qui forſitan ad exemplum Aegyptiorum, id uti ſacram notam commenti ſunt: coniici, non obſcure, ut arbitror, poteſt ex Virgilio, veteris Theologiae, ac Mythicae ſcientiae Etruſcorum peritiſſimo; nam, ut ſupra vidimus (1), CHIMAERAM cum aliis monſtris ad inferni portas ſtatuit, tamquam ultionis divinae indicem.

Hoc igitur animal iuxta templa Deorum Tuſci forſitan ſtatuerunt, ut ſceleſtos homines a templorum aditu & violatione, hoc propoſito divinae vindictae ſymbolo, arcerent. Nam eadem bellua ita effícta eſt vulneribus confecta, rabie atque ira percita, valde horrentibus criſpioribus iubis, celerrimo curſu quaſi gradiens, retorto capite quaſi interfectorem ſuum Bellerophontem intuens, ut irreligioſis cultoribus terrorem incutere videretur. Vetuſtiſſimus fuit mos Aegyptiorum, in foribus templorum, in ſoliis, thronis & baſibus aedicularum, in quibus ſimulacra Deorum honorifice recondebant, ut colligo e caelaturis Iſiacae Menſae, inſculpere Leones, Gryphes, Accipitres, Vpupas, Crocodilos: quae quidem animalia, Numinum virtutem & poteſtatem non indicabant ſolum, verum etiam cultores de quibuſdam arcanis religionis ſuae admonebant (2). Ab Aegyptiis hoc quoque exemplum Etruſci traduxere, multa hoc peculiari monſtro docere rude vulgus volentes: vel forſitan, ut eſſet aliquod futurae rei ſignum, e vaticiniis vel ex oraculis acceptum. Sacra & myſtica animalia deſcribuntur in divino Volumine: ex his plura non ad ornatum ſolum, verum etiam ad inſtructionem Iudaeis propoſita fuere, ſculpta etiam in regia illa ſede Salomonis, de quibus plura iam viri docti diſſeruere (3). Id etiam factum ab antiquis Chriſtianis obſer-

(1) Aeneid. Lib. VI. verſ. 285. Vide etiam Servium, ibidem.

(2) Vide Plutarchum de Iſide & Oſiride.

(3) Clem. Alexandr. Strom. Lib. V. Villalpandus de Altari Hebraeorum. Cauſinus in Obſerv. de Symb. Aegypt. Sap. pag. 189.

obſervat Ciampinius (1). In faſtigio tecti Baſilicae Piſanae, ut notat Ioſeph Martinius (2), adhuc cernitur animal Gryphi ſimillimum, quod quum ſit antiquiſſimum, atque ex aere, facile crediderim Etruſco opere abſolutum eſſe: quod in aliud tempus expendendum reiicio.

Cum Sepulcro & Orco ſimilitudinem & connexionem quamdam habent GRYPHES, qui frequenter in Sepulcris Etruſcorum ſculpti obſervantur. Apud Dempſterum in Tabula LXXXV. ex Acheronticis ſpecubus duo Gryphes erumpunt. In multis parergis eiuſdem Operis Dempſteriani pro coronide ad finem ſingulorum librorum poſitis, Gryphes proſternunt armatos milites, eoſque unguibus diſcerpunt (3). Illud interim adnotandum, Gryphes alios mares, alios feminas eſſe, quarum mammae duodecim, vel forte plures numerantur. In Etruſca Vrna, Volaterris eruta in praediis Franceſchiniis, quam profero in Tabula CLIIII. num. 1. Gryphem feminam fruſtra armati milites perdere nituntur: quae in his Vrnis Mortem & ſaevam Neceſſitatem deſignat. Cernitur in eodem Etruſco anaglypho, ad pedes militis fugientis urna proiecta, quae forſitan vel Acherontis fluminis, vel Stygis aquas, vel potius urnam fatalis ſortis mortalium omnium denotat (4).

Eadem pura putaque Etruſca inſcriptio, quae legitur in CHIMAERA Etruſca, legitur etiam in dextro armo GRYPHIS Etruſci ahenei, quem V. Cl. Galeottus Coratius Eques D. Stephani, Patricius Cortonenſis, amicitia mecum coniunctiſſimus, ſervat in Muſeo ſuo, eximiis eruditae antiquitatis monumentis eleganter referto. Huius praeclari operis ectypam imaginem ceream idem ad me miſit, ut, dum haec ſcriberem, illam contemplarer, & accuratius in Tabula CLV. num. 1. incidendam curarem. Sculptus eſt cum roſtro terrifico & immaniter hianti, cum lingua exſerta, cum alis aquilae ſimillimis, ad volandum expanſis, cum cauda leonis retorta & ſurſum recurva, ut animalia praeſertim ferocia facere ſolent, ſi ad iram provocentur. Aures quoque & crines ſuperne arrecti: pedes ad currendum, mira in eis indita velocitate, feliciter expreſſi: quae omnia ferme cum ſignificatione Etruſcae inſcriptionis ⅃IꟻƆMИIt. hoc eſt TINSCVIL, *ad vindictam pronus*, ſive *ad vindictam paratus*, convenire videntur. Monuit me per epiſtolam idem humaniſſimus Eques Coratius, paucis ab hinc annis inventum fuiſſe hoc perparvum ſignum in loco, dicto *il Campaccio*, prope Cortonam; quare ſuperius ad Tabulam XXXVI. ſuſpi-

(1) Vet. Monum. Par. 1. Cap. III. pag. 31. 32.
(2) In Theatro Baſilicae Piſanae Cap. IV. pag. 13. & Cap. XIV. pag. 98.
(3) Ad finem Lib. III. Tom. I. pag. 464. & Lib. IV. Tom. II. pag. 242.
(4) V. Horatium Carmin. Lib. II. Ode III.

ſuſpicatus ſum, pro donario poſitum dedicatumque fuiſſe in templo vel Apollinis, vel potius Deae Nemeſis; quae Numina Cortonenſes praecipuo honore coluerunt.

Quum igitur ipſiſſima inſcriptio Etruſca, ЧIƎƆMИI† *Tinmcuil*, octo litteris, non vero novem, conſtans, tam in CHIMAERA, quam in GRYPHE caelata ſit, ac fere eodem in loco, nimirum in parte dextra vel cruris vel armi eorumdem Monſtrorum; in dubium revocatur explicatio, ceteroquin eruditiſſima, quam nuper tentavit V. Cl. Iohannes Swintonus, Regiae Societatis Socius (1), qui contendit, hanc Etruſcam inſcriptionem ex Hebraeo fonte תנים עזאל. TANNIMHESEL. haec ſignificare, *Draco*, *Capra*, *Leo*.

Hoc figmentum Graeci & Latini, ex unica tantum parte, quae magis monſtroſum animal reddit, CHIMAERAM dixere. Swintoni explicationem expendit, additiſque obſervationibus illuſtravit Praeſul doctiſſimus Ioſeph Aſſemanus, edito Bibliothecae Orientalis praeclaro opere, iam toto orbe celeberrimus.

Illud praeterea obſervandum, quod Swintonus ſextam litteram, vel ipſe perperam, vel ab amico deceptus, longe ab archetypi fide exſcripſit; nam pro ЧIƎƆMИI† ; idem edidit ЧIЧƆMИI†, vertitque Latinis litteris TINMISFIL: poſtea vero, mutato conſilio, veriſimilius legendum eſſe cenſet TINMISVIL, vel TINIMESIL. Littera Etruſca Ɔ, iuxta Cl. Bourguet, eſt K, vel C Latinum: littera Ч Etruſca, eſt V: littera vero ꟻ Etruſca, eſt F, quae uti Aeolicum digamma, ſonum V capit. Rei antiquariae peritiſſimus, idemque cautiſſimus Philippus Bonarrotius, doctis viris expendendum relinquit (2), an ЧIƎƆMИI† nomen artificis Tuſci contineat, an Numinis, cui ea ſigna dicata. Artificis nomen praeferre non ita facile credi poteſt; nam CHIMAERA longe vetuſtius redolet opificium, quam GRYPHS, differuntque inter ſe metalla, quibus fuſa ſunt. Benvenutus Cellinius, ſua tempeſtate inventam in Arretino agro CHIMAERAM deſcribens (3), memorat, cum ea ſimul effoſſa fuiſſe complura Deorum parva ex aere ſimulacra, quae Coſmus I. Florentinorum Dux in ſuo Muſeo recondidit. At Georgius Vaſarius CHIMAERAM inventam fuiſſe ſcribit Arretii anno CIↃ.IↃ.XXXIIII. dum aedificaretur Arx, & foſſae excavarentur: remque valde notabilem memorat (4); nempe ſe inveniſſe caudam, quae ei deeſt,

cum

(1) Eius explicatio ſubiicitur in Tom. V. pag. 304. qui ita inſcribitur: *Saggio delle Tranſazioni Filoſofiche della Societa Regia dall' anno* 1720. *a tutto l' anno* 1730. *ec.* Haec Italica verſione donavit Cl. Thomas Dereham Eq. Mag. Brit. Baronett. S. R. S.

(2) Ad Monum. Dempſt. §. XLIII. pag. 93.

(3) In Vita ſua, quam ipſe ſcripſit vernaculo ſermone pag. 286.

(4) In Libro, cuius titulus: *Ragionamenti del Sig. Cav. Giorgio Vaſari Pittore & Architetto Aretino &c. Giornata I. Ragionamento III.* pag. 133. 134. Vide etiam in Tom. I. Vit. Pictor. pag. 170.

cum variis fragmentis ex aere & ſigillis antiquis ibidem effoſſis. Hanc, multa adhibita diligentia, inter cetera, quae relicta ſuperſunt in Muſeo Mediceo, invenire minime potui: verum non praetermittam inveſtigare, donec ſpes aliqua adfulſerit inveniendi. Alta eſt CHIMAERA Romanos pedes duos & uncias octo; longa vero pedes octo, quae nunc Medicei Muſei perinſigne ornamentum habetur. Hoc eximium Etruſci artificis opus, cenſet Vaſarius primo artis fuſoriae & ſculptoriae aevo conflatum eſſe; nam iubae rudi opere confectae ſunt, quum poſtea ipſi Etruſci multo praeſtantius molliuſque effinxerint, ut patet ex antiquis compluribus Etruſcorum Sepulcris tum marmoreis tum fictilibus, in quibus caput Leonis horrifico rictu, mollioribus iubis, confectum eſt. Verum, ſi iubas excipias, totum corpus, rictus horrificus, crura, artus, ungues, ſi coſtas, nervos muſculoſque omnes eminentes bene obſerves, tanta ac tam pulchra radiant dignitate ac veritate, ut ſpectantium oculos ad ſtuporem perbelle adducant. Nos ex adverſa parte CHIMAERAM incidendam curavimus, quae oculis forſitan minus grata eſt, quum caput haud cerni poſſit: id fecimus, quia apud Dempſterum edita eſt in Tabula XXII. cum proſpectu partis dexterae, in qua Etruſca inſcriptio inciſa cruri legitur.

TABVLA CLVI. CLVII. CLVIII. CLVIIII.

DRACO. LEAENA aliaque monſtra Tuſcorum: de ſuppliciis apud Inferos, & de Elyſiorum beatitudine opiniones illuſtrantur.

PRaeter Chimaeram & Hyperboreos Gryphes, Capram (1), Hydram tricipitem (2), Voltam (3), alia quoque monſtra fabuloſa Etruſcis cognita: praeter haec etiam multa huius generis vel omnino ab ipſis excogitata, vel partim curioſius variata, monſtroſiſque additamentis ex ingenio aucta fuiſſe, nul-

(1) Vide apud Dempſterum de Etrur. Reg. Tab. XXIII.

(2) Ibidem, Tab. VI.

(3) Ibidem, Tab. XXV.


nullus dubito. Exemplo ſit DRACO maxime horribilis, tribus alis inſtructus, cum roſtro pariter, ore ac barba, atque immaniter ventricoſus, ut exhibet Tabula CLVI. num. I. qui ſpiris iuvenem complexus, eum enecat: contra quem DRACONEM duo milites armati, fruſtra, ni fallor, pugnant, fruſtraque eum occidere conantur. Exemplo etiam ſint LEAENAE, quae, ut cernimus in eadem Tabula CLVI. num. II. cinerariam urnam cuſtodiunt: quarum capitibus horrificus cirrus imminet, quaeque ex ore immanem linguam exſerunt, forſitan ut violatores ſepulcrorum perterrefaciant; ſive quia Etruſci haec monſtra apud Inferos torquere noxios homines arbitrati ſunt. In ſequenti Tabula CLVII. num. IV. Leonis caput Vrnae fictili inſculptum, maleficum Fatum indicare poteſt, vel etiam Infernum & Mortem, quae in divinis quoque Libris leoni comparantur, vel etiam abſolute dicuntur. In altera Vrna ibidem ralata num. V. adnotandae atrae cupreſſus, & in medio caput DEAE TEMPESTATIS, non mitra ſolum, verum etiam cornibus inſtructum: quae feralia Etruſcorum Sepulcrorum emblemata, idem facile ſignificant.

Nuptiae tam frequenter ſculptae in hiſce Sepulctis, luctum, extrema gaudii occupantem, forſitan deſignant, vel perbrevem voluptatis exitum: vel potius, ut explicat magnus interpres Bonarrotius (1), Mortem, quam cum nuptiis magnam ſimilitudinem habere veteres Tuſci crediderunt. In Vrnula fictili edita in Tabula CLVII. num. III. forſitan viri vel coniugis divortium indicatur, quum nec augur, nec ὑπονυμφίδες mulieres adſint, ſoluſque Genius ultor cum malleo adſiſtat, cuius caput cucullatum obſervatur; quem idem Bonartotius cenſet eſſe Genium zelotypiae praeſidem (2): neque etiam iidem coniuges, ut in alia Vrna in Tabula CLVIII. num. I. in manum conveniunt: in qua praeterea prope uxorem Diſcordia cum harpe adſiſtit. In ſequenti Vrnula in eadem Tabula, ligatis poſt terga manibus, ſervus, uti ex habitu videtur, ab alio conſervo in Orcum ſempiternumque carcetem truditur: ni forte ſit Charon, in carcerem iuſſu Plutonis coniectus, quia Herculem ad infernum deduxit (3).

Omnium primi Aegyptii Sacerdotes, teſte Diodoro Siculo (4), docuere fabulas de Inferni poenis ac ſuppliciis, deque Elyſiorum beatitudine, & locis animarum ultra Oceanum amoeniſſimis; a quibus nationes omnes, & Etruſci noſtri, haud certe poſtremi, eas didicerunt: quod quidem perſpicue declarant adlata eorum-

(1) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXXIV.
(2) Ibidem, loco citato.
(3) Vide Averan. in Anth. Diſſ. LXXXII. 7.
(4) Biblioth. Hiſt. Lib. I. pag. 61.

eorumdem Tuſcorum monumenta, & Vas inſigne, Tuſcanicis picturis ornatum, quod exſtat Neapoli in Muſeo Celeberrimi Viri Matthaei Aegyptii, de erudita antiquitate optime meriti, qui ad me ſingulari prorſus humanitate accurate delinatum miſit; quod huic Claſſi perelegantem coronidem imponit. Picti piſces & undae, MERCVRIVM & HERCVLEM, Deos animarum ductores, per Oceanum ambulare, manifeſte declarant. Herculis caput leonina pelle contectum, iniuria temporis haud ita evanuit, ut nota eius effigies dignoſci non poſſit. Qui geſtat in humeris HEROIS animam, tenentem copiae cornu, Elyſiorum beatis fructibus ac floribus replendum, ni fallor, eſt eiuſdem Herois GENIVS; cuius caput, ut ſupra obſervavimus ad Tabulam LXXXVIII. canis pelle contectum eſt. Ea vero femina, a qua receſſiſſe videntur, ut opinor, eſt TETHYS Dea, quae ſedet in ſcopulo, ſceptrum praeferens. In aquam, e qua omnia nata, ut Homerus & Philoſophi vetuſtiſſimi opinati ſunt, omnia reſolvi Tuſcos credidiſſe, ex his atque ex aliis monumentis coniicio. In poſtica eiuſdem Vaſis, picti ſunt tres Comoedi; nam Scenicos ludos & acroamata exhibita in parentalibus mortuorum, iam a me edita vetuſta marmora teſtantur.



MV-



MVSEI ETRVSCI
CLASSIS III.

SACRA . FESTA.
MINISTROS SACRORVM ET DONARIA TVSCORVM EXHIBENS.

DISSERTATIO III.

DE THYSIOLOGIA SEV RELIGIONE VETERVM ETRVSCORVM.



Heſaurum ETRVSCARVM ANTIQVITATVM aperienti mihi, illud, non ſecus ac cupidis divitiarum, evenit, ut eo maiores priſcae eruditionis opes conquirendae ſuperſint, quo plus laboris & ſtudii iniiſdem effodiendis impenſum eſt. Quamvis enim complura ſimulacra ETRVSCORVM DEORVM, quae ad hoc tempus incognita latuere, in lucem produxerim, meiſque qualibuſcumque notis illuſtraverim, atque hoc amplius oſtenderim ex antiquiſſimis ſculpturis ac picturis, FABVLAS, apud Homerum & Graecos Mythographos valde celebres ac pervulgatas, iam diu Etruſcis probe cognitas fuiſſe; tamen

veluti haec pauca ſint, atque ore tenus delibata, alia profecto multa dicenda ſuperſunt de priſca Tuſcorum RELIGIONE: quae quidem tanta ac tam incredibilis fuit, ut Arnobius merito genitricem & matrem ſuperſtitionis ETRVRIAM vocet (1).

ETRVSCI, quos aliqui origine Lydos (2), alii Pelaſgos (3), alii denique indigenas fuiſſe arbitrantur (4), impellente eos Paſtorum in Aegyptum inferiorem incurſione, quum in ingentem numerum excreviſſent, aliorumque ſedes invaſiſſent, iiſdemque potiti mutaſſent, ex Aegypto tandem in haec Italiae loca demigrarunt, uti egregiis argumentis non coniicit ſolum, verum etiam diſerte oſtendit magnus vir Bonarrotius (5): quae quidem opinio tum viris doctis adridet, tum etiam congruit cum monumentis, quae iam illuſtravimus, in quibus Aegyptiorum indoles non raro fulget. Vt igitur haec loca obtinuere, incolis ab omni ruditate ac feritate vindicatis, efformatiſque ad humanitatem, Deorum cultum omnium primi docuere, IANO auſpice atque auctore, ut veteres ſcriptores probatiſſimi teſtantur (6): qui ea de cauſa in ſacris ante omnes Deos adpellari, paterque vocari meruit (7). Iidem, qui Dii CONSENTES eſſent, ideſt, maximi omniumque gentium conſenſu recipiendi, ſanxerunt: ſingulis cultum & ſacras caerimonias adtribuerunt: ſimulacra, templa, aras erexerunt: divinos honores, SACRA ac FESTA indixerunt, SACRORVM MINISTROS adſignarunt: quae omnia ex antiquiſſimis eiuſdem gentis monumentis nunc illuſtranda ſuſcipimus.

Primum igitur, ut hinc ordine aliquo procedamus, memoranda ſunt Etruſcorum SACRA CONSENTIA, quae Etruſco vocabulo ita adpellata cenſet Pompeius Feſtus, quod ex multorum conſenſu eſſent ſtatuta. Ea celebrabantur in honorem, ut diximus, Deorum maiorum gentium, quorum propria nomina proferre Tuſci nefas habebant. Ea his verſiculis expoſuit Ennius (8):

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Singulis menſes ſingulos, in quibus colerentur, adſignarunt: Ianuarium *Iunoni*, Februarium *Neptuno*, Martium *Minervae*, Aprilem *Veneri*, Maium *Apollini*, Iunium *Mercurio*, Quintilem *Iovi*, Sexti-

(1) Lib. VII. adverſus Gentes.
(2) Antiquos auctores adfert Th. Dempſterus de Etr. Reg. Lib. I. Cap. I.
(3) Dionyſius Halicarn. Ant. Rom. Lib. I.
(4) Idem, ibidem.
(5) Ad Monumenta addita Dempſteriano Operi §. XLVII.
(6) Ex Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(7) V. Lactan. Div. Inſt. Lib. IV. Cap. III.
(8) Apud Martianum Capellam Lib. XV.

Google

Sextilem *Cereri*, Septembrem *Vulcano*, Octobrem *Marti*, Novembrem *Dianae*, Decembrem *Veſtae* (1). Hoc quidem ita factum, quia revera nihil aliud illi ſunt, quam duodecim Zodiaci ſigna, quibus totus anni curſus diſponitur (2).

Quod vero apud Etruſcos religione quadam cautum eſſet proprio nomine in ſacris Deos non compellare (exemplo fortaſſis ab Aegyptiis, vel potius ab Hebraeis accepto) iam ſupra tetigimus, ex addita compluribus pateris Etruſca inſcriptione circa imagines Deorum, vel etiam exarata in eorum ſimulacris; nam Iupiter ſive Iovis, ut Etruſci dicebant, eorumque exemplo Latini, cognominatur ex ſuo adtributo ANIT, *Tina*, hoc eſt *Tonans* (3): Bacchus, cum Iove fere aequali cultu & honore donatus, parum diſſimili adpellatione AINIT, *Tinia*, & ipſe *Tonans*, ſive, ut ita dicam, *Tonitruans*, vocatur (4): Iuno ƧIЯƎ, *Eris* ſive *Hera* dicitur (5), itemque ANAΘ, *Thana* (6), quaſi ut apud Graecos Θέαινα, *Diva*, *Dia*: Venus adpellata legitur ANↃAΘ, *Thalna* (7), facile *Dea Genitrix*, *Dea alma*: Vulcanus vero MNAↃΘƎƧ, *Sethlanm*, *Ignis dominus*, *praeſes*, *potens* (8): Mercurius NAЯVT, *Turan*, & ƧMЯVT, *Turms* (9): Mars NAЯAↃ, *Laran* (10): quorum cognomina ſuperius explicare tentavimus (11). Superſunt Apollinis & Minervae nomina, quae inſcripta in iiſdem pateris, parum variant a communi uſitataque adpellatione; nam alterum ſcriptum legitur VↃVΠA, *Apulu* & VVΠA, *Apul* (12): alterum vero haud conſtanti ſcriptura AVЯNƎM . AVЯNƎM . AVЯƎNƎM . AVЯƎNƎM, *Menrva*, *Menerva* (13). Aliorum CONSENTIVM Deorum nomina, quo nam modo Etruſci expreſſerint, non conſtat; quia adhuc latent monumenta, ut ſpero, aliquando in apricum ab aetate proferenda.

Memoratu digna ſunt IANI ſacra, quae apud Etruſcos principem locum obtinuere, quemadmodum ipſe Ianus in ſacris primus ante omnes Deos praefationem, invocationem (14) & ſupplicationem meruit veluti parens, ut ait Feſtus (15), & a quo rerum omnium factum putabant initium. Memorant etiam, duodecim aras ei conſecratas fuiſſe (16); quia annum in duodecim menſes, & in dies trecentos ſexaginta quinque diſtribuit: quam notam

Pp 2 eius

(1) Vide Pomponium Laetum, & Caelium Rhodiginum Lib. XXV. Cap. XXX.
(2) Vide Diodorum Sieulum Bibliothec. Lib. III. & Macrobium in Somn. Scip. Lib. I. Cap. XXI.
(3) V. in patera ſuperius adlata in Tab. CXX.
(4) Apud Dempſterum Tab. III. Tom. I. pag. 78.
(5) Apud Dempſterum Tab. II.
(6) Vide in Tab. CXX. a me ſuperius relata.
(7) In eadem Tabula.
(8) In eadem Tabula.
(9) Apud Dempſterum in Tab. III. & IV.
(10) Ibidem Tab. IV.
(11) Ibidem Tab. III. & IV.
(12) Ibidem in Tab. II. IV. V. & VI.
(13) Ad Tab. XXXVIII. XXXVIIII. & XL.
(14) Ex Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(15) Vide in voce *Chaos*.
(16) Ex eodem Macrobio loco citato.

cius ſtatua, a Rege Numa dedicata, praeferebat, quam ita Plinius deſcribit (1): *Praeterea* IANVS GEMINVS *a Rege Numa dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita configuratis, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum nota, per ſignificationem anni, temporis & aevi, ſe Deum indicaret*. Primitiae frugum totius anni ei oblatae: thure & vino litatum, uti ex his verbis Marci Catonis colligimus (2): *Priuſquam haſce fruges condantur, far, triticum, hordeum, fabam, ſemen rapicium; thure, vino,* IANO, *Iovi, Iunoni praefato*. Subdit etiam alias precum rituales formulas ante immolationem porcae praecidaneae, & in commovenda Iano ſtrue: *Iane Pater, te hac ſtrue commovenda, bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi liberiſque meis, domo familiaeque meae*. In vino Iano dando ſic precatum: *Iane Pater, uti te, ſtrue commovenda, bonas preces bene precatus ſum, eiuſdem rei ergo macte vino inferio eſto*. Has irridet Arnobius, quem vide. Libum, quod Latini ex Etruſcis *Ianual* dixere, aris impoſitum a Sacerdote in honorem Iani, memorat Feſtus his verbis: IANVAL, *libi genus, quod* IANO *tantummodo libatur*. Molam ſalſam adiicit Ovidius in honorem IANI: cuius imago, virtus ac poteſtas, tum in caelo, tum in terra, magna deſcribitur (3):

Praeſideo caeli foribus cum mitibus Horis,
Et redit officio Iupiter, itque meo.
Inde vocor IANVS*: cui quum Cereale Sacerdos*
Imponit libum farraque mixta ſale.
Nomina ridebis: modo namque PATVLCIVS *idem,*
Et modo ſacrifico CLVSIVS *ore vocor.*

IANI igitur ſacra primo Tuſcorum aevo ſine victimarum ſanguine, libis tantum, farre & puro ſale confecta memorat idem Ovidius: poſtmodum aries additus, victima IANO conſecrata, caeſaque in Agonalibus ſacris ac feſtis: & hoc eſt, quod ait Feſtus, IANO Quirino agnum marem immolari ſolitum. Piaculum ſacrum, forſitan IANO Infero, inferorum Ianitori factum, exhibet Vrna ſepulcralis, edita apud Dempſterum Tab. XXXVI. cum duplici victima, ariete & agno: in quo praeterea muſica inſtrumenta, in ſacris Etruſcorum adhibita, notare poſſumus.

Magna quoque cum celebritate coronae primitus ei oblatae memorantur; quod earum fuerit inventor, uti teſtatur Draco Corcyraeus apud Athenaeum (4). Iam eius aheneum ſimulacrum ſupra

(1) Hiſtor. Nat. Lib. XIV. Cap. VII.
(2) De re ruſt. Cap. CXXXIV.
(3) Faſtorum Lib. I. verſ. 125.
(4) Deipnoſoph. Lib. V. Cap. IV.

ſupra obſervavimus Tabula I. num. 1. quod capite gerit coronam, e bulbo, inſtar floris, patulis foliis, ad modum radiorum diſtinctam. Dum novum annum ab eo auſpicarentur, laurea corona eum coronare conſuevere, ut notat Sidonius Apollinaris (1): quod etiam factum ſubſecutis temporibus, quum Conſules Romani in eius templo inſignia Conſularia accipiebant, novumque annum de more aperiebant. Exſtat inter mea Cimelia ex aere fuſo pondus ſive nummus, unciarum fere ſex, cum nota ∽, quae ſelibrem indicat fuiſſe: cuius in antica parte impreſſum eſt caput barbatum, & laurea corona redimitum, quod referre ſuſpicor ipſum IANVM: in poſtica vero ratem praefert cum eadem nota ∽.

IANI, uti etiam SATVRNI, adventum in Italiam, publico bono fauſtum ac felicem, facile crediderim ab Etruſcis, atque etiam a Latinis, celebratum fuiſſe annuis ſacris & feſtis: cuius quidem adventus, ut apud poſteros notitia & memoria aeternum vigeret, in primis monetis eorum capita cum rate ſignata ſunt (2).

Praeterea in ſacris hymnos & carmina meruit IANVS, divinis honoribus conſecratus, ob merita, quae Salii Sacerdotes, peculiaribus adhibitis vocabulis, canebant (3). *Deum Deorum & Patrem* conſtat eos IANVM invocare conſueviſſe. Macrobius complura adnotat cognomina, queis in ſacris precibus & invocationibus compellabatur (4). Mentionem etiam facit idem Macrobius de iiſdem antiquiſſimis Saliorum carminibus (5): quorum, ut ſuſpicor, ſpecimen aliquod adfert in his conceptis verbis, ex Marco Meſſala, qui per annos quinquaginta & quinque Augur fuit: *Qui cuncta fingis, eademque regis: aquae terraeque vim ac naturam, gravem atque pronam, in profundum dilabentem; ignis atque animae levem, immenſum in ſublime fugientem, copulaſti circumdato caelo: quae vis caeli maxima, duas vis diſpares colligaſti*. Ad Salios adhibitae SALIAE Virgines, ut Cincius ait apud Feſtum, conducticiae: quae cum apicibus paludatae ſacrificium faciebant in Regia cum Pontifice, de quibus mox diſſeram.

Quia vero IANVS pacis bellique arbiter cultus eſt ab Etruſcis, dictuſque CLVSIVS, teſte Macrobio (6); nam bello valvae eius templi patebant, pace claudebantur: aram lapideam, adlatam in Dempſteriano Opere Tabula XLVI. ſculpturis atque Etruſca epigraphe ornatam, ſuſpicor IANO ſacratam fuiſſe, ad quam facile

ictum

(1) Carm. II. verſ. 8. Vide etiam Dempſter. de Etr. Reg. Lib. II. Cap. III. verſus fin.

(2) Vide Macrobium Lib. I. Saturnal. Cap. IX.

(3) Vide Tertullianum in Apolog. Cap. X.

(4) Saturnal. Lib. I. Cap. IX.

(5) Ibidem.

(6) Ibidem.

ictum foedus ; nam adſtante Feciali cum lictoribus, dextras foedere iungunt duo viri, alter toga, alter trabea & galea habituque militari inſignis. Auctor eſt Servius (1), IANVM foederibus faciundis praefuiſſe; per quem etiam iurare ſolemne fuit.

IANVS mythice Mundus, vel ut alii prodidere, Annus ſive Sol eſt (2). Hunc ſupremum Deorum omnium, Ethnici antiquiſſimi Iάω *Iao* vocarunt (3): & hinc forſitan, ut arbitror, Etruſcis & Latinis IANVS dictus. Eum, uti & SATVRNVM, viri doctiſſimi eſſe ipſum NOAM arbitrantur (4). Iam a primo illo aevo factum intelligimus, ut viri prudentia ac ſapientia clari, quique genus humanum immortalibus beneficiis adfecerant, apotheoſi donati, in numerum Deorum, caelo digni, a gentibus cenſerentur. Quod vero apotheoſis in uſu apud Etruſcos fuerit, a quibus omnes caerimonias Romani didicere, iam ex adlatis exemplis in ſuperioribus Tabulis ſatis liquere arbitror. Nulla profecto poſt Aegyptios fuit natio in excogitandis Deorum ornamentis, variis diadematum generibus, ceteroque cultu, quo divina vis ac poteſtas declaratur, quae ſagacior Etruſca fuerit.

Sed de his quum ſatis dictum ſit, ad VERTVMNALIA ſacra, ſive, ut in vetuſtis Kalendariis legitur, VORTVMNALIA, gradum facio, quae plane antiquiſſima fuere, ab Etruſcis longe ante Romam conditam, eorumque exemplo a Sabinis, atque etiam a Latinis celebrata. Vrbe condita, quum Romani, devictis Volſinienſibus, VERTVMNVM Deum evocaſſent, eiuſque ſignum apud ſe collocaſſent, templa araſque ei dedicaſſent, ſacra & ſolemnes ferias in honorem eius inſtituerunt. Eius ſimulacrum egregie deſcribit Propertius (5): videturque eſſe illud ipſum Volſinienſium, a Mamurio egregio Tuſco artifice caelatum, cuius nomen forſitan ſcriptum praetulit. Varro harum feriarum meminit, & initio Octobris celebrata fuiſſe tradit (6). *VERTVMNALIA a Vertumno, cuius feriae Octobri menſe*. At in vetuſtiſſimo Kalendario populi Romani (forſitan haec alia ſacra ſunt) Eidibus Auguſti celebranda in Loreto maiore adnotantur, unaque coniunguntur cum ſacris Dianae in Aventino (7). Quo nam ritu, quibuſve oblationibus peragerentur, ex antiquo marmore Muſei Victorii, quod Romae exſtat, adnotavi ad Inſcriptiones Donianas (8). Spiceas coronas ac flo-

reas,

(1) Ad Virgil. Aeneid. Lib. XII. verſ. 198.

(2) Ex Macrobio loco citato. Vide Arnobium adverſus Gent. Lib. III.

(3) Confer eumdem Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. XVIII. Huetium Propoſ. IV. Cap. X. Voſſium de orig. & propr. Idololatr. Lib. I. Cap. XXXII.

(4) Vide Bochartum Geograph. Lib. I. Cap. I. & Huetium loco citato.

(5) Lib. IV. Eleg. II.

(6) Lat. Ling. Lib. IV.

(7) In Gruteriano Theſauro pag. CXXXIV.

(8) Vide ad Tab. IX. pag. LXXIII. & pag. 44. Cl. I. num. 127.

by Google

reas, poma autumnalia, flores, uvas, hortenſes herbas ſacro ritu oblatas ab agricolis, a meſſoribus, ab inſitoribus, a paſtoribus, a cultoribus hortorum ex deſcriptione Propertii conſtat. Siquidem memoriae proditum, VERTVMNVM vinearum, agrorum, hortorumque colendorum, itemque arborum pomiferarum ſerendarum & inſerendarum rationem docuiſſe. Sacra etiam Vertumno feciſſe Deſultores & Aurigas, ut in ludis equos & currus bene verterent, atque Circenſium victores eſſent, adde etiam Mercatores, non obſcure ex eodem Propertio colligitur.

POMONA, pomorum arborumque pomiferarum praeſes Dea, fere parem cum coniuge ſuo Vertumno cultum apud Etruſcos, deinde etiam apud Latinos & Romanos obtinuit, de quo nonnulla ſuperius diximus (1). In eius ſacris (POMONALIA forſitan dicta ſunt: etſi huiuſce nominis auctorem nullum habeam) nova poma, pomorumque omnium temporum primitiae offerebantur (2). Locus ei ſacratus in agro Solonio, Via Oſtienſi, inter Laurentinum & Lanuvinum agrum, mare verſus, in quo lucus aedeſque ei dedicata, teſte Feſto: quem locum veteres POMONAL, proculdubio ex Etruſcis, vocarunt. Flamen eiuſdem Deae, licet apud Romanos minimae auctoritatis haberetur, omniumque poſtremus, POMONALIS dictus eſt (3). Abſque huius Sacerdotis permiſſu, ut erat veteri lege ſancitum, poma comedi minime poterant, niſi antea primitiae POMONAE Deae oblatae eſſent. Idem factum notat Plinius (4) in novis frugibus, ac vinis, quae ne deguſtabant quidem, antequam Sacerdotes primitias libaſſent. Ita etiam ad primitias pomorum, nova eſſe dicebant vetera, & alia exoptabant nova, ominis cauſa (5).

NORTIA Etruſcorum, in vetuſtis aris, honoris & dignitatis cauſa, MAGNA DEA adpellata, quae eadem ac SORS & FORTVNA eſſe cenſetur a Martiano Capella (6), altaria ac templa tota Etruria habuit longe antiquiſſima & celeberrima, praeſertim apud Volſinienſes & Volaterranos, qui eam praecipuo honore coluerunt: cuius fidem facit marmoreum, quod ad hoc tempus Volaterris ſupereſt, ſimulacrum, a me accuratius editum in Tabula IIII. Quanta vero arte, ſplendore ac maieſtate (7) veteres Tuſci Deorum templa, quorum in Italia primi vel inventores vel perfe-

(1) Vide etiam Th. Dempſterum de Etr. Reg. Lib. III. Cap. LVI.
(2) Vide Servium in Virgilii Aeneid. Lib. VII. verſ. 190.
(3) Ex Alex. ab Alexandro Genial. Dier. Lib. VI. Cap. XII.
(4) Hiſtor. Nat. Lib. XVIII. Cap. II.
(5) Vide Alex. ab Alexandro Genial. Dier. Lib. VI. Cap. VIII.
(6) De Nupt. Philol. Cap. IX.
(7) Confer Vitruvium Lib. IV. Cap. VII. *De Tuſcanicis rationibus aedium ſacrarum.*

perfectores fuere, exſtruere ſolerent, ex eo coniici poteſt, quod Tarquinius Romanorum Rex, Gabiis receptis, pace cum Aequorum gente facta, foedere cum Tuſcis renovato, Iovis templum in monte Tarpeio inaedificaturus, quod pater eius voverat, ut monumentum regni ſui nominiſque relinqueret, fabris undique ex Etruria adcitis, eorum opera & ſolerti ingenio uſus eſt, ut memorat Livius (1).

Volſiniis in templo eiuſdem Deae NORTIAE, illud memoratu dignum notat idem Livius (2), quod ſingulis annis, ſumma, ut opinor, cum celebritate, clavus annalis in pariete figebatur, qui aliis adpoſitus indicaret numerum annorum, ſive epocham veterum Etruſcorum. Id etiam in aliis aedibus Tuſcorum & Latinorum factum innuere videtur Feſtus his verbis (3): *Clavus annalis adpellabatur, qui figebatur in parietibus ſacrarum aedium per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum*. Hanc numerandorum annorum conſuetudinem Romani ſuſtulere, Tarquinio regum ultimo, urbe & regno exacto, anno ab Vrbe condita CCXLIIII. quo quidem anno per Conſules, qui tunc primum creati ſunt, numerare annos coeperunt.

Quae ſacra habuerit ANCHARIA, Faeſulanorum & Aſculanorum Dea, quove menſe celebrari ſolita, incompertum mihi eſt. Eam eſſe ipſam FVRINAM, ſupra obſervavimus (4), de cuius ſacris mox dicam. Sacerdotes *Ancharii*, qui ANCHARIAE ſerviebant, furore ab eadem Dea correpti (5), futura vaticinabantur: ac forſitan, non ſecus ac *Bellonarii* in honorem BELLONAE, ſe ſe cruentabant: quod ſacrum valde frequens apud Etruſcos, ex antiquis ſculpturis paullo inferius oſtendam. Sacra Deorum Etruſcorum myſteria, quia arcana erant, neque extraneis manifeſta eſſe Pontifices volebant, ideo a vetuſtis ſcriptoribus, qui ea ignorarunt, ſilentio tranſiguntur.

Sacrificia & ſupplicationes habitas ad fanum VOLTVMNAE, tota Etruria celeberrimum, doniſque opulentiſſimum, ex eo coniicere poſſumus; quia ad idem fanum conventus habere identidem conſueverunt Etruſci in rebus graviſſimis, ut diximus (6), deliberandis. Solemne enim fuit, priuſquam in concilio conſiderent, thure ac mero ſupplicare apud aram eius Dei, in cuius templo coibant (7). Siquidem Etruſci, priſca religione, nonniſi in loco ſacro inauguratoque, conſilia capere conſueverunt: quorum exemplo apud

(1) Decadis I. Lib. I.
(2) Decadis I. Lib. VII.
(3) In voce *Clavus annalis*.
(4) Ad Tab. XII. & XIII. pag. 39.
(5) Vide Turnebum Adverſarior. Lib. XVII. Cap. XXIV.
(6) Claſſ. I. pag. 33. 34.
(7) V. Suetonium in Auguſto Cap. XXXV.

Google

apud Romanos, more maiorum, Senatus conſulta profanis in locis non fiebant; ſed ea tantum iuſta habebantur, quae in templis per Augures conſtitutis, peracta fuiſſe conſtabat (1).

Praeterea hoc loci ſacra in honorem PILVMNI & PICVMNI facta a coniugibus, tum in iungendo connubio, tum etiam ſuſcepta prole, de quibus nonnulla ſuperius adnotavi ad Tabulas X. & XI. (2) Antequam ſacra attingerent Etruſci, ſe aquis luſtrare, deinde ad altaria accedentes, adorando totum corpus circumagere, humi procumbere, pandere palmas, & manibus ad caelum ſublatis orare conſueverunt (3): quo geſtu, ut vidimus, frequenter, ipſi quoque Dii veterum Etruſcorum ſculpti ſunt. Dum vero ſacra Diis Inferis facerent, demiſſis ad terram manibus orabant, eoſque invocabant: pateram quoque & ſimpulum, dum libationes facerent, invergebant. De his ita Pierius Valerianus (4). *In Etruſcis quoque inſtitutis hoc geſtu manuum ad preces utebantur: neque non in devovendis civitatibus, evocandiſque Diis, quumque Iovem dicebant, manus ad caelum ſuſtollebant.*

FVRINALIA ſacra in honorem FVRINAE Deae, quibus libationibus, doniſve & caerimoniis ab Etruſcis, Latinis quoque ac Romanis, peragerentur, quia forſitan arcana fuere, veteres auctores non declarant. Quo vero menſe ac die peragerentur eius feriae publicae, adſtante Flamine FVRINALI, iam ſupra adnotavimus (5). Ex adlatis inſignibus pateris, & in eius ſacris adhibitis, facile eſt coniicere, ſacris libaminibus, vino, lacte, ac melle, ad haec etiam ſuffitu, eidem Deae litatum eſſe: ſparſos item flores, ſuſpenſas vittas & corollas, aram quoque coronatam, ramos circa eamdem aram vel Deae ſimulacrum defixos, geſtatoſque in manibus, atque adlatas dono coronas, ut coniicimus, iliceas; nam arbor ilex ei ſacra fuiſſe cenſetur, Etruſcorum monumentorum auctoritate. Quia vero haec Dea ſcelerum ac ſontium hominum vindex habebatur, ad eius aram, ut infra videbimus, veriſimile eſt ſceleribus obnoxios ſe expiaſſe, gladio ſe percutientes, ac ſanguine eius aram reſpergentes, ex antiquiſſimo Etruſcorum ritu atque inſtituto.

A TAGETE, Genii filio, Iovis nepote, qui ſacra Acherontica, & Haruſpicinae diſciplinam duodecim Etruriae populis monſtraſſe dicitur, nomen accepere ſacra TAGETICA, quorum mentionem facit Cincius in libro de Italia ſecundo, cuius verba adfert

 Macro-

(1) Vide Henr. Noriſium in Cenotaphia Piſana Diſſert. I. Cap. IV.

(2) Claſſ. I. pag. 35. 36. 37. 38. 39.

(3) De his Etruſcorum ritibus fuſius Th. Dempſter. de Etr. Reg. Lib. III. Cap. VI.

(4) Lib. XXX. Hieroglyph.

(5) Ad Tabulam XII. & XIII. pag. 39. 40. 41. 42. 43.

Macrobius (1): *Prius itaque & Tuſcos aeneo vomere uti, quum conderentur urbes, ſolitos, in* TAGETICIS *eorum ſacris invenio: & in Sabinis, ex aere cultris, quibus Sacerdotes tonderentur*. Ex his tamen verbis non liquet, TAGETICA ſacra in honorem TAGETIS facta fuiſſe; ſed potius intelligimus ab eo monſtrata fuiſſe, atque ex eius nomine adpellata. Romulus, in condenda Vrbe aeterna, uſus eſt ſacris TAGETICIS; nam adcitis Etruſcis Auguribus & Sacerdotibus, auſpicato Vrbem condidit (2).

Quandoquidem ſacrorum TAGETICORVM facta eſt mentio, opportune heic diſſerendum eſſet de priſca Tuſcorum religione in captandis auguriis, de haruſpicinae diſciplina, de divinatione per auguria, de ominibus, de prodigiis, de obſervatione oſtentorum, de evocationibus & excantationibus: item de avibus auguralibus, de auſpiciis, ſortibus, & oraculis; ſed quia de his non raro in hoc opere incidit ſermo, & quod caput eſt, de his luculenter egerunt Iulius Caeſar Bulengerus, & Thomas Dempſterus, qui hanc ſpartam occuparunt; ad alia ex ineditis Etruſcorum monumentis illuſtranda, ne ſobrias lectoris aures obtundam, ſi properem, operae pretium me facturum puto.

TERMINALIA ſacra in honorem TERMINI, Iovis Terminalis, & Deorum, qui finibus agrorum tuendorum praeerant, ab Etruſcis celebrata fuiſſe ad Tabulam XV. de BYGÖE Nympha Etruſca, quae artem ſcripſit arborum fulguritarum, & de terminis egit, diſſerentes, obſervavimus.

VOLTVRNALIA ſacra VI. Kalendas Septembres VOLTVRNO Deo Etruſco facta, peculiaria fuere, ut liquet ex dictis ad Tab. XVI.

IVTVRNALIA ſacra, & IVTVRNAS ferias, hi, qui artificium aqua exercebant, celebrabant in honorem IVTVRNAE Nymphae Etruſcae; quam Italiae populis ſumma beneficia contuliſſe, fama erat.

PORTVMNALIA ſacra, Portumno Deo, a quo dicta ſunt, quo die, quave celebritate peracta fuerint primum ab Etruſcis, deinde etiam a populis veteris Latii & a Romanis, ſupra ad Tabulam XVII. explicavimus.

MANTVRNALIA ſacra coniuges celebrabant, ut MANTVRNA Dea connubia ſtabilia redderet, ipſique iugiter concordes manerent, de quibus nonnulla adnotavimus ad Tabulam XVIII.

VACVNALIA, ad focum ſedentes agricolae, hieme peragebant, abſoluta agrorum cultura, ac perceptis fructibus, quum laboribus vacarent.

CLITV-

(1) Sat. Lib. v. Cap. XIX. Apud Dempſt. de Etr. Reg. pag. 288. corruptus eſt textus.

(2) Ex Livio Decad. 1. Lib. 1. Plutarcho in vita Romuli. Cic. Lib. 1. de Divinat.

Digitized by Google

CLITVMNALIA ſacra in honorem CLITVMNI, ſive is Iuppiter ſit, totius Vmbriae Genius Deus, ſive ipſum flumen, celebrata fuiſſe uſque ad ſequiora ſecula, imperante L. Septimio Severo, ex antiquis monumentis ſuperius adlatis ad Tabulam XVIIII. perſpicuum eſt. Oraculum & ſortes in templo eiuſdem Dei fuere, ut Plinius Secundus docet (1). Ferunt, Clitumni amnis aquam potatam, candidas boves feciſſe: quas inde petebant triumphantes, ut Iovi Capitolino ſacrificarent (2).

TIBERINALIA, quae facta memorantur TIBERINO PATRI, non dubito ex Etruſcis originem accepiſſe, atque ab ipſis multo ante Romanos ſolemnibus ſacrificiis, feſtis & caerimoniis celebrata fuiſſe; nam Etruſci omnium primi iuxta Tiberim ſedem ſuam locarunt: cui nomen dedit, ut ferunt, Tiberis Rex Etruſcorum, merſus eodem flumine (3). Quod vero Etruſci inſignia Italiae flumina pro Diis habuerint, ac ſacra pro eorum cultu inſtituerint, haud mirum eſt; quum etiam Aegyptii, mortalium omnium vetuſtiſſimi, Nilum, propter eximia, quae accipiebant, beneficia, tamquam Deum maximum devenerati ſint.

AQVILICIA ſacra, ni mea me fallit opinio, ab Etruſcis Romani traduxerunt. Ea Iovi fiebant, ut docet Tertullianus (4), quum in ſiccitate aquam elicere ab Iove Pluvio opus eſſet. Apud Carthaginienſes Iuno huic curae praeerat (5). Sacerdotes, qui aquam eliciebant, *Aquilices* dicebantur. Quod vero hoc ſacrum apud Etruſcos in uſu eſſet, cuius plane auctores extitere, ex eo patet, quod *manalis lapis*, ut adpellatur in Pontificalibus libris, tunc movebatur, & per limites trahebatur, quum pluviae exoptarentur. *Manalis*, ex Nonio Marcellino (6), ſignificat *facer*. De eo ita Fulgentius (7): MANALES LAPIDES: *Labeo, qui diſciplinas Etruſcas Tagetis & Bacchidis quindecim voluminibus explanavit, ita ſcribit: Fibrae iecinoris, ſandaracei coloris dum fuerint, manales tunc vertere opus eſt petras; hoc eſt, quas antiqui ſolebant in modum cylindrorum per limites trahere, pro pluviae immutanda inopia.*

Huc uſque SACRA localium Deorum Etruſcorum: quia vero alia communia, alia etiam propria recenſenda atque illuſtranda ſuperſunt, ne taedio lectores adficiam, quin potius varietate ipſa recreem, inter haec ſtatui complures Tabulas proferre, monumentis Etruſcis ad hoc tempus ineditis refertas, quibus antiqua Tuſcorum THYSIOLOGIA ſive RELIGIO mirifice illuſtratur.

(1) Lib. VIII. Epiſt. VIII.
(2) Virgil. Georg. II. verſ. 146.
(3) Vide Feſtum in voce *Tiberis*. Dempſter. de Etrur. Reg. Lib. II. Cap. XVII.
(4) In Apologetico Cap. XL.
(5) Ibidem Cap. XXV. & XXXIII.
(6) De gen. vaſ. & poc. in voce *Trulleum*.
(7) Expoſit. ſerm. ant. in voc. MANALES.

TABVLA CLX. CLXI.

CHOREAE IN HONOREM DEORVM.
Saltatio Saliorum & Saliarum Virginum circa aras. Mos Etruſcis arbores Diis conſecrare.

EO ipſo die, quo Cluſio eram diſceſſurus, inveſtigatis ubique Etruſcis monumentis, forte fortuna contigit, ut in aedibus Paolotianis marmoream columellam, altam Romanos pedes circiter duos, ac totidem latam, iam diu fere neglectam ac latentem, detegerem. Anaglyphum opus, haud quidem valde prominens, ſed artificio inſigne, ſtupenti plane ſimilis admiratus ſum, ſtatimque dignum cenſui, quod in conſpectum litteratorum hominum veniret. Quod vero ſit opus Tuſci ſculptoris longe eximium, cultus ipſe veſtium tredecim figurarum, quae in eadem columella exhibentur, maeandra implexa, ſculpta in ima parte, ager ipſe Cluſinus, in quo eruta eſt, argumenta ſunt manifeſtiſſima. Igitur hoc Etruſcum monumentum nobiliſſimum ante meos oculos a Vincentio Franceſchinio meo Pictore & Chalcographo accuratiſſimo, iuxta pereximii archetypi fidem, delineandum curavi: qui etiam perita manu aeri, ut alia, incidit. Superne in medio columellae ineſt foramen, quod indicat vel craterem, vel potius aliquod ſimulacrum Etruſci Numinis aereo clavo infixum fuiſſe: ni etiam forte haec ipſa columella ſit ara, per cuius foramen ſacra libamina infundebantur. Verum, antiquae Etruſcorum arae, ut iam vidimus ad Tab. CXXV. & CL. & inferius adnotabimus, quum ſint quadratae, non autem rotundae figurae; variis architecturae ornamentis, nullis tamen figuris, inſignes; veriſimilius videtur, hanc columellam pro baſi, ſive hypobaſi inſerviſſe, vel ad ſuſtinendum Etruſcum alicuius Dei ſimulacrum, vel etiam craterem, ſeu tripodem, aut candelabrum Diis ſacrum. Mos enim fuit huiuſmodi vaſa, ut elegantiora nobilioraque adparerent, ſi praeſertim Diis ſacrarentur, collocare in baſibus vel faſtigiis; meminitque etiam Inſcriptio Sigea vetuſtiſſima, & aliae apud Gruterum (1), non tantum crateris, ſed etiam baſis crateris. Alia vetus inſcriptio apud eumdem Gruterum (2) memorat aram cum baſi

(1) Pag. XVI. 12. XLVIII. 1. (2) Pag. VII. 1.

baſi Iovi & Iunoni Reginae dedicatam fuiſſe; quare non eſt etiam inveriſimle quod haec columella arae ſuperimponi potuerit..

Septem, ut videmus, ſunt figurae, quae ſtant: reliquae alternis pedibus ſaltant, varia ſaltatione, laſciva, delicata, volubili, cum lumborum circumvolutione, manuum ſupra caput commotione & complexione: ad haec accedit geſticulatio, manibus vel protenſis, vel ſupra caput iactatis, vel obliquis, vel altera manu ſublata, altera demiſſa & inflexa: quae omnia SACRAS CHOREAS, proculdubio in honorem Deorum, tum cantu, tum voce ad modulationem fiſtulae ſex compactorum calamorum, qua accinit occinitque crepantibus buccis Choraules penulatus, fere in medio ſtans, peractas oſtendunt. Prope eumdem Choraulen in medio ſtat Coryphaeus, totius ſacri Chori, cantus quoque & muſici temporis moderator: cuius geſtui manuum, in dexteriore Chori parte reſpondet adſimili geſtu mulier riciniata, quae iuxta eumdem Choraulen ſaltat. Inde cernitur Salius ſaltans, cuius caput more Saliorum, qui ab Etruſcis originem habuere (1), eſt tutulatum: quo tutulo ſive pileo, ad modum ſecti ovi acuminato, alii duo Salii ornati ſunt: quibus etiam addendus eſt Coryphaeus, qui quidem non ſaltat, ſed, ut diximus, muſicam ſaltationem moderatur, qui eodem modo tutulatus eſt. Salium duae feminae ſaltantes comitantur, altera ſeminuda, altera ſuccincta, Bacchantium ſpecie corpus circumagens, quaſi *Scopen*, ſeu aliam ſaltationem Bacchicam referat (2). Quaternionem hunc dirigit Χοϱολέκτης, *Chori congregator & ductor*, qui geſticulatur, & ſe ſequentes intuetur.

Parte laeva, tribus feminis ac duobus Saliis aliter diſpoſitis, praeeſt alter Chori dux & congregator; meminit enim Iulius Pollux (3) praeſidum & ductorum tum laterum, tum dextrae & ſiniſtrae alae Chori. Inter pſallendum femina cruſtulis adlicit ad canendum, forſitan ſtrophas, puellulam, quae ſtat iuxta arborem, capite velato capidulo, & ſiniſtra aliud cruſtulum praefert, quod accepit. Forſitan non cruſtula, ſed crotala aerea ea ſunt, in ſacris Deorum adhibita, ad modum ſphaerularum ſonora, quae quibuſdam granis interpoſitis pro quantitate ſui, & ſpecie metalli, ut ait Ioannes Sareſberienſis (4), a Pignorio citatus, qui horum ſchemata adfert (5), muſicos ſonos edebant, ſi ſcite pulſarentur. Etruſco more, rite addita eſt haec puellula innupta,

Sa-

(1) Vide Thom. Dempſterum de Etr. Reg. Lib. III. Cap. VIII.

(2) Vide Athenaeum Lib. XIV. Cap. VII.

(3) Lib. IV. Cap. XV.

(4) In Polycratico Lib. VIII. Cap. XII.

(5) De Servis pag. mihi 82. 83. Vide etiam Academic. Etruſcor. Cortonae Diſſert. V. pag. 59. Tab. II. Fig. 3.

Saliis tum maribus tum feminis, quae etiam in ſacra familia templi Iunonis Etruſcae apud Faliſcos cenſebatur: quae, ut narrat Dionyſius Halicarnaſſenſis (1), Κανηφόρος vocabatur. Os perſonatum habere, ipſum marmor inſpicienti mihi, viſa eſt, quum facies longe alia, quam quae puellae convenit, ei addita ſit. Claudit ſiniſtram alam Chori mulier riciniata, & ipſa geſticulans.

Duae, ut videmus, apud Etruſcos ſaltationes, in ſacris Deorum caeleſtium valde celebres, in uſu fuere: ſaltatio *armata* ſive *Pyrrhica*, ad numeros tibiarum peracta, ut videre eſt in Etruſco argenteo Vaſe inaurato, caelaturis inſigni, iam edito in Dempſteriano Opere Tab. LXXVII. & LXXVIII. & ſaltatio *pacifica*, de quibus meminit Plato de Legibus (2). *Pacificam* ſaltationem, Diis maxime iucundam & gratam, ut mea fert opinio, repraeſentat hoc inſignis columellae anaglyphum opus. ETRVSCORVM CHORVM conficiunt perſonae dumtaxat ſacrae, promiſcui ſexus, Salii nimirum capulati, & Saliae virgines, ac deinde alii Miniſtri ſacrorum, qui nudo capite ſunt. Illud notandum, quod Salii utramque laciniam veſtis, non in humeros, ut ſolebant armatae virgines, de quibus Feſtus, ſed in pectus reiectam habent. Omnes etiam nudis, ut videmus, pedibus ſaltant: qui ritus apud Aegyptios, dum ſacra Deorum celebrarentur, maxime frequens fuit: videmuſque in Iſiaca Menſa tum ipſos Deos, tum etiam ſacrificulos nudipedes effictos. In Choris agendis in honorem Deorum, Aegyptiae virgines & Choraulae a Romanis plurimi aeſtimabantur, quos ideo pretio conducebant, uti liquet ex Petronio (3):

Memphitides puellae
Sacris Deûm paratae:
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci;
Aegyptius Choraules.

Aegyptii ac Perſae inter primos inventores chorearum in honorem Deorum numerantur. De Perſis meminit Xenophon (4), qui ubi ſacris perfuncti eſſent, eodem in loco plerumque choreas agebant, quarum erat Χορηγὸς ipſe Rex. Ceteri in Oriente populi, qui ſub ditione Perſarum erant, in ſacrificiis ritus ſuos a Perſis accepere. De Aegyptiorum ſaltatione in ſacris adhibita, mentio-

(1) Antiquit. Rom. Lib. I. pag. 17.
(2) Lib. VII. pag. 815. & 874.
(3) In Fragment. Satyr. pag. 669. 670.
(4) Lib. VIII. Vide etiam Iul. Caeſarem Bulengerum in Eclogis ad Arnobium pag. 327.

mentionem facit Philo Iudaeus (1), quorum exemplo populus Iſraëliticus, diu in Aegypto pravis indigenarum moribus imbutus, fabricato aureo vitulo, circa eum choreas agitavit (2): coepitque ludis, ſaltationibus ac muſicis organis oblectari (3).

Quia in hac rariſſima columella Salii Saliaeque Etruſcae ſculptae ſunt, per gyrum ſacras choreas agentes, haud erit abſurdum inferre, ſolitos fuiſſe Tuſcos ſaltationem κυκλικὴν, ut Graeci vocant, *cyclicam* ſive *orbicularem*, celebrare in honorem Deorum caeleſtium, ea de cauſa ſiderum varium motum, greſſus & regreſſus exprimentes ſtrophe & antiſtrophe. Id maxime faciebant ad aras Deorum, vel puras, vel donis epuliſve oneratas, vel etiam ignitas, dum interim partes victimarum adolebantur: quod etiam apud Graecos in uſu fuit, ut pluribus veterum ſcriptorum exemplis oſtendit magnus vir Ezechiel Spanhemius, quem vide (4).

Sed cui nam Deo Etruſci has ſolemnes choreas celebrarint, quibuſve in locis, quove feſto die, difficile dictu eſt. Choreae orbiculares valde frequenter in honorem Apollinis, Dianae, Cereris & Bacchi apud Graecos celebratae leguntur, & quidem cum hymnis, & crebris eorumdem Deorum ſalutationibus invocationibuſque, ut propitii ac praeſentes adeſſent. Forſitan, quia mos Etruſcorum fuit, ver novum ſolemnibus votis ac ſacrificiis celebrare (5), Chorus hic in honorem IANI, qui temporibus anni praeerat (6), peractus credi poteſt. Huic enim, Etruſcorum Deorum maximo, primum Salii, ut vidimus, adſignati fuere, qui eum rite colerent: hos etiam conſtat poſtea Iovi, quem iidem *Lucetium* in Saliari carmine dicebant; Iunoni, Marti, ac praeſertim Herculi, cuius ſacra Saliaria apud Tiburtes celeberrima fuere, cultus & honoris cauſa adtributos fuiſſe (7). Quod vero Etruſci ver Iano ſacrum, choreis, hymnis & ſacrificiis celebrarent, multae erant cauſae: quarum ea haud poſtrema eſt, quod verno tempore in Italiam adveniſſe, a maioribus ſuis traditum eſſet. En eximium Servii teſtimonium (8): *De his* (Pelaſgis) *varia eſt opinio. Nam alii eos ab Athenienſibus, alii a Laconibus, alii a Theſſalis dicunt originem ducere, quod eſt propenſius; nam multas in Theſſalia Pelaſgorum conſtat eſſe civitates. Hi primi Italiam tenuiſſe perhibentur. Philocorus ait; ideo nominatos Pelaſgos, quod velis & verno tempore advenire viſi ſunt: hoc etiam Varro commemorat.* Mos adhuc durat tota

(1) In vita Moſis Lib. III. pag. 524. 536.
(2) Exod. Cap. XXII. verſ. 19.
(3) Vide S. Hieronymum in Hoſeae Cap. IV. verſ. 15. Theodoretum Serm. VII. de Sacrif. pag. 584. D. Chryſoſtomum Homil. VI. in Matth. 2. 9.
(4) In Callimachi Hymnum in Delum verſ. 242. 266. 267. 268.
(5) Adi Dempſt. de Etr. Reg. Lib. I. Cap. V.
(6) Vide Macrob. Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(7) Idem ibid. & Cap. XV. Lib. III. Cap. XII.
(8) In Virgil. Aeneid. Lib. VIII. verſ. 600.

tota praeſertim Etruria (veſtigium forſitan antiquiſſimi huiuſce feſti Etruſcorum) ut exortum ver , quotannis , Kalendis Maiis , totoque hoc menſe , praeſertim apud ruſticos , cantilenis laudetur ac ſalutetur : choreis per compita , per vicos , & ad oſtia patronorum , amicorum & amicarum tripudietur : ad haec etiam , quod magnopere ad rem noſtram facit , rami maiores arborum , vittis ac floribus ornati , geſtentur (1) , & ubique cum pompa Cantorum & Symphoniacorum circumferantur . Priſcum huiuſmodi feſtum , ab antiquis Tuſcis celebratum , ni fallor , indicat arbor , non multis foliis , adhuc initio veris , referta , quae facile humi , ut hodie etiam fit , defixa fuit . Iuxta hanc arborem , ut diximus , adſtat puellula , quae os oſcillo cavo occultatum habet ; quaſi eo detracto in fine Chorearum (ad ſerpentis exemplum (2) , qui ineunte vere , vetus ſpolium abiicit , novo laetatur) deſignaret hiemem ſegnem ac fructibus vacuam receſſiſſe : apertoque eleganti vultu , iuventae decore nitente , minioque picto , ver novum adveniſſe , cunctis exultantibus declararet . Altera vero femina , cruſtulis vel placentis puellulam , ut mihi videtur , ideo adlicit , ut perſonam ſive oſcillum e vultu ſuo exuat , quod ipſa forſitan haud facere debebat , niſi mulier , quae ceteris aetate provectior poſt eam ſequitur , iuſſiſſet , vel poſtquam Choreae , in honorem , ut facile crediderim , IANI , omnium aetatum uti & veris domini , diutius celebratae eſſent : quibus peractis cum ſacro , rurſum ad exprimendum Zodiaci circulum Choreae agebantur .

Alia huiuſce feſti Etruſcorum celeberrimi , ac maximae hilaritatis , accedit cauſa , quod mundum verno tempore conditum veteres quoque Ethnici Theologi credidere : quod ex Virgilio diſcimus , rituum praeſertim Etruſcorum & auſpiciorum peritiſſimo (3) :

Non alios prima creſcentis origine mundi
Inluxiſſe dies , aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim . VER illud erat : VER magnus agebat
Orbis , & hibernis parcebant flatibus Euri ;
Quum primum lucem pecudes hauſere , virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis ,
Immiſſaeque ferae ſilvis , & ſidera caelo .

Hanc orbicularem ſaltationem noſtri veteres Tuſci dixere

rid-

(1) Vide Adnotationes ad Cant. VII. 49. pag. 549. Poëmatis *il Malmantile Racquiſtato* , vernaculo ſermone conſcripti a Laurentio Lippio Pictore ac Poëta Flor.

(2) Ex Aeliano de Animalibus Lib. IX. Cap. XVI.

(3) Georgic. Lib. II. verſ. 336. Vide eius Enarratores Philargyrium & Cerdam.

ridda, quam etiamnum noſtri homines ruris incolae retinent: eoque vetuſtiſſimo vocabulo vocitant feſtivas omnes choreas, vel nuptiales vel Bacchicas, Bacchanaliorum diebus valde frequentes: ea quidem, ut aliqui volunt, de cauſa, quod qui ſaltationem agunt, invicem adprehenſis manibus ſe ſe trahentes, in orbem ſinguli reducantur (1). Saltationem ipſam & locum, ubi choreas, ludos & feſta faciebant, alio vetuſtiori vocabulo maiores noſtri dixere *trebbio*: e quo, ut cenſet Vincentius Borghinius (2), rei antiquariae peritiſſimus, innotuiſſe putat illa verba ſacra ſatis frequentia in libris Auguralis diſciplinae Etruſcorum, *terripavium*, *terripudium*, *tripudium*. Id nomen Florentiae adhuc retinet locus *il Trebbio*: in quo veteres Tuſci ad agendos in honorem Deorum ſolemnes dies feſtos, ludos & χοροϛασίαν, convenire ſolebant; quem locum poſtmodum primi noſtrae Chriſtianae Religionis parentes exſecrati ſunt, ſuperpoſita marmoreae culumnae Chriſti Reparatoris noſtri Cruce. Eſt etiam in agro Mugellano, prope Caſaggiolum villa antiqua Mediceae Domus, *al Trebbio* dicta.

His obſervatis, doctorumque virorum iudicio traditis, non erit etiam abſurdum ſuſpicari, facile exhiberi poſſe in hac inſignis columellae ſculptura ſacras Choreas, peractas in dedicatione arboris illi Deo, cui magis convenire videbatur; videmus enim circa arborem Choreas agitari. Mos enim fuit, ſingulis Diis proprias arbores & plantas conſecrare, ut Iovi quercum & eſculum, Apollini Laurum, Iunoni & Veneri malum punicum, Minervae oleam, Herculi oleaſtrum & populum, Cybeli, Pani & Silvano pinum: atque ita ſingulis Diis, ſingulas arbores, plantas & herbas. Circa has arbores ſaltare & choros ducere ſolebant: quin etiam eas unguentis ungebant, vino ſacro inſpergebant: Deorum & ſimulacrorum in morem coronabant, encarpis vittiſque feſtivis velabant, omnique ſuperſtitione colebant: aliquando etiam oracula reddidiſſe fabulati ſunt. Conſtat etiam, quo maxime colerentur, ardentes lucernas iiſdem arboribus ſuſpendiſſe, nec etiam dubito ſacra donaria, auctore Prudentio contra Symmachum (3):

> *Et quae fumificas arbor vittata lucernas*
> *Suſtinuit, cadit ultrici ſucciſa bipenni.*

Quod vero omni cultu Etruſci colerent arbores Diis ſacras, quas ab Heroibus plantatas, atque ex his etiam ortas Nymphas Rr Drya-

(1) Vide Tom. IV. Vocabul. Academicor. *della Cruſca* in voce RIDDA.

(2) De Orig. Florentiae pag. 172. & ſeqq.

(3) V. Mart. de Roa Sing. Lib. II. Cap. XIX.

Dryadas & Hamadryadas credebant, diſertiſſimum apud Plinium exſtat teſtimonium (1): e quo colligimus, Etruſcos conſueviſſe ſacras arbores inſcribere, addito titulo, quo conſtaret eas eſſe religioſas. *Vetuſtior autem*, inquit, *Vrbe*, *in Vaticano* ILEX, *in qua titulus aereis litteris Etruſcis, religione arborem iam tum dignam fuiſſe ſignificat. Tiburtes quoque originem multo ante Vrbem Romam habent. Apud eos exſtant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur*. Arbores ſi forte de caelo tactae eſſent fulmine ſive fulguritae, piaculis fulgur luebatur: arbores, ne impurae ac parum caſtae haberentur, ab Haruſpicibus ſacrificio facto expiabantur. De arboribus fulguritis ſcripſit, ut diximus, Nympha Bygöe. Exſtat in Muſeo Bonarrotio fragmentum aheneae lamellae, litteris Etruſcis inſcriptae, quam ad finem Operis Dempſteriani proferens Cl. Senator Bonarrotius Tabula LXXXIII. num. 9. cenſuit eſſe titulum ſepulcralem. Inveſtigandum eſſe cenſeo, an poſſit eſſe titulus infixus arbori, quae, quum fulgurita fuiſſet, Etruſcae religionis ſacris mox expiata fuit. Litterae ita ſe habent:

: M И A M ⅃ Y Ͻ

A Ƨ И O Ǝ Ԛ 1 : Ǝ

Hoc eſt: *Vl manm : e : praethnſa*. Explicationem huiuſce tituli ita tentarem, relicta priore littera, quae poſtrema alterius vocis eſſe poteſt; nam in principio & in fine titulus fractus eſſe videtur: *Arbor ſacra : fuerat igne tacta*: vel etiam: *Arbor ſacrata : fuerat fulgurita*. Igitur ⅃Y. manifeſte reſpondet Graeco ὕλη; hoc eſt, *lignum*, *materia*, *arbor*; unde *ſilva*: & antiquitus ſcriptum SVLVA. SVLVEIS CAMPESTRIBVS, ut legitur in antiquo lapide votivo. Sequitur MИAM. *Manm*, quae Etruſca vox ſignificare videtur *ſacra*. Teſtem advoco Nonium Marcellinum, cuius verba paullo ante dedimus, *Aquilicia ſacra* illuſtrantes, qui ait, *manalem* (Tuſca vox *manal*, *manm*) vocari *ſacrum*. Aliter Feſtus, quod adtinet ad vocem *manalis lapis*; attamen ab Auguribus, defunctos adpellari *manes* adfirmat, quaſi *bonos*; nam *mana* dicitur *bona*: & *mane*, quum invicem nos ſalutamus, a *Diis Manibus* dictum adfirmat. Stat Ǝ forſitan loco verbi *fuerat* vel *fuit*, intellige *quae fuerat*, a Graeco ἦ verbo. Alterum Etruſcum vocabulum AƧИOƎԚ1. *prethnſa* (nam O ſaepe, ut in Graecis ſaxis, occurrit abſque puncto, quod plerumque detritum eſt temporis iniuria, adeoque eſſe etiam poteſt ⊙ (2), idem ac Graecorum *theta*) deduci poteſt, ni fallor (quod in rebus perobſcuris

eſt

(1) Nat. Hiſt. Lib. XVI. Cap. XLIIII.

(2) Vide ſupra ad Tab. LXXXIII. pag. 195.

eſt facillimum) a Graeco πρήθω, *incendo*. Homerus (1): Πρῆσαι δὲ πυρὸς δήιοιο θύρετρα: vel potius a πρήθομαι, *incendor*, item *diſrumpor*, *crepo*: adeoque, ꓤꓛꓠO꓆ꟼꓕ *pretbnſa*, explicari poſſet *igne tacta*, *igne diſciſſa*, *diſrupta*. Ioannes Lamius, Vir doctiſſimus, a me rogatus, quid ſentiret de hac Etruſca inſcriptione, conatus meos laudavit: deinde, ut eſt humaniſſimus, poſtridie per epiſtolam reſpondit, quod illud PREONSA (ita enim legit) valere poteſt, *excelſa*, *procera*, a Graeco πρήων, πρήωνος, *eminentia*, *cacumen*: ſive etiam verti poſſet *frondeſcens*, *vireſcens*, *ramoſa*, ab Graeco πρεμνιάζειν, *ramos emittere*, *pullulaſcere*, *radices producere*. Vtcumque res ſit, alii haec, quae moliti ſumus, diligentius expendent: meliora dantes, gratiam apud nos longe maximam inibunt.

Huiuſmodi arbores de caelo tactae, ut quercus & orni annoſae, dicebantur *fulguritae*, atque etiam *fanaticae*, teſte Feſto: forſitan, quia more fanaticorum mala ominabantur. Hinc Tityrus Virgilianus (2):

Saepe malum hoc nobis, ſi mens non laeva fuiſſet,
De caelo tactas memini praedicere quercus.

Etruſci ab Aegyptiis accepere morem conſecrandi arbores Diis; itemque iuxta frondoſas arbores erigendi aras & aediculas Deorum: quod adparet ex antiquiſſimi Vaſculi fictilis pictura, ut in Tabula CLXI. quod exſtat in Bibliotheca Vaticana. Altum eſt uncias octo veteris pedis Romani. Quam ſit rarum & inſigne, ipſum picturae genus, & ea quae repraeſentat, perſpicuo ſunt argumento. Hoc ſingulare exemplum, nondum antea obſervatum, ad quod provocare poſſum, oſtendit, Etruſcos artem pingendi Vaſa ab Aegyptiis didiciſſe, atque etiam artem ea ex argilla fingendi: quam quidem poſtea ipſi Etruſci, ſolerti ingenio praediti, novis ornamentis, elegantiis, maiorique opificio nobilitarunt atque conſummarunt: uti ex his, atque aliis iam editis abunde liquet. Igitur ante ſignum Phoenicopteri Iſiaci, capite velato effictum, quod ſeceſpitam tenet, ſedet vir, qui aliquid vovet; nam vota ſedentes antiquitus concipere ſolebant. Inde ſacrificulus ad Numen accedit, ferculum portans cum vino, ad libationes & propinationes faciendas. Poſt eum cernitur vas lati oris, forſitan aquae, qua ante ſacrum luſtrari ſolemne fuit. In altera parte vaſis, poſt ipſum Numen, atque eius aram, viſitur frondoſa arbor plantata; quare perſpicuum eſt, etiam apud Aegyptios in more poſitum, arbores ſa-

(1) Iliad. Lib. B.

(2) Ecloga 1. verſ. 17.

ſacras Diis facere, atque iuxta eorum aras & fana collocare: de quo inſtituto quum alibi dixerim, non vacat diutius in re nota immorari. Sequitur ſacrorum Deſignator, virgam tenens, indutus tunica talari, laxiore, ad utrumque latus aperta, non manuleata; quod genus veſtis ſacrae eſt antiquiſſimum. Hinc aliud vas diverſae figurae poſitum, ad ſacrorum miniſterium.

TABVLA CLXII. CLXIII. CLXIIII.

IOVIS FESTVM ET SACRVM pictum in Vaſe Etruſco Bibliothecae Vaticanae. Deorum Epiphaniae. Iovi plures Genii ab Etruſcis adſignati. Dii in feſtis omni cultu exornati.

CReſcente in dies Etruſcarum Antiquitatum ſupellectile, crevit hoc opus MVSEI ETRVSCI in tantam molem, ut complura eximia monumenta, ac praeſertim Vaſa veterum Etruſcorum, elegantiſſimis picturis exornata, artificio atque eruditione, quam continent, pulcherrima, quae iam aereis Tabulis incidenda curaveram, praetermittere, atque in aliud Volumen reiicere opus fuerit. Nolui tamen relinquere hoc Vaſculum Etruſcum, triplici ſchemate ſive proſpectu in his Tabulis delineatum, quod Vaticanam Bibliothecam nobilitat; quia omnium eſt elegantiſſimum, ab eximio Tuſco pictore pluribus coloribus abſolutum, quod etiam multa notatu digna continet, quae nunc indicabimus. Altum eſt Romanos pedes II. & uncias undecim. In ſacra pompa delatum, vel pro donario dedicatum fuiſſe non dubito. FESTVM & SACRVM Etruſcorum exhibet, tum a viris, tum a feminis Iovi factum; nam ipſe Iupiter, ut in Tab. CLXIII. habitu ſedentis in aëre adparens, dextra pallium removet e capite, quod forſitan antea velatum habebat, ut ſit manifeſtior; tenetque ſiniſtra aureum ſceptrum. Arae eiuſdem Iovis innititur femina, quae dextra ſpeculum, ſiniſtra flabellum, vel folia ſimul concinnata, Iovi donanda, praefert: inde bos adductus, non mactandus,

ſed

ſed tantum Iovi offerendus a feminis. Poſt has ſequitur iuvenis tibicen chlamydatus, cum petaſo viatorio poſt terga religato, qui adfert corollam. Genius, ut credibile eſt, eiuſdem Iovis, ſuperne adparens, alteram feminam, quae bovem procumbentem adprehendit, dextra manu coronat: ſiniſtra ramum ſacrae plantae defert & vittam, forſitan rite ſacrificantibus praemia daturus.

In eodem Vaſculi ſegmento, picti ſunt duo iuvenes, quorum alter ſedet in ſcopulo, habetque caput coronatum, ſiniſtra tenet ramuſculum: alter iuvenis ſtans, innixus baculo auxiliatorio, coronam, Etruſco peculiari modo contextam, oſtentat. Inde ſacra facturae adſtant tres feminae, quarum altera coronam e roſis, & vittam adfert ſuſpendendam: ea vero, quae in medio ſedet, craterem & caulem plantae ſeu arboris tenet: altera ſtans ſpeculum oſtentat, veſtem dilatat atque expandit.

In anguſtiori Vaſculi faſcia, ſeu, ut ita dicam, zona, picti ſunt piſces multiplicis generis, quibus abundat locuples mare Tyrrhenum. Hos piſces, cenſebit forſitan aliquis, potius Neptuni, quam Iovis Sacra deſignare in picto Vaſe, cui etiam taurum mactari ſolitum ſcimus. Verum, quum in alio quoque Vaſe Etruſco Bibliothecae Vaticanae, eodem prorſus ordine ac modo picti ſint piſces, & in eodem Vaſe Heroum praeclara geſta exhibeantur; iam manifeſtum eſt, piſces non indicare ſacra Neptunalia. Piſces Iovi oblatos in ſacris ab Etruſcis, hinc libet arguere: quos tamen, more Hebraeorum, Aegyptiorum & Syrorum non ſacrificabant (1). In ludis piſcatoriis, Menſe Iunio trans Tiberim fieri ſolitis, a Praetore Vrbano pro piſcatoribus Tiberinis, piſciculi vivi Vulcano Deo dabantur pro animis humanis (2).

In inferiore adlati Vaſculi Etruſci ſegmento, picti ſunt duo iuvenes: ex his alter ramum & lancem praeferens ſedet: alter curſitat, ramuſculum & diota tenens, forſitan ad vina in honorem Iovis fundenda in libationibus, vel ad propinationes faciendas. Iuvenibus mulieres quinque, pereleganti cultu capitis & veſtium ornatae, iunguntur, ut ſacra peragant. Ex his duae ſedent; nam priſco more adoraturi, ſacraque facturi, iuxta altaria interdum ſtabant: interdum etiam ſedentes ſupplicabant, qui, ut apud Suidam, βωμολόχοι dicebantur. Altera parvam ſcalam & crateram: altera corollam & crateram oſtentat, ac forſitan dono exhibet Geniis, qui, utpote rite agentibus Iovis ſacra & feſta, manifeſti ac praeſentes adparuere. Duae ex reliquis feminis, ſaltantes vel curſitantes, vittam, arculam, ſive ciſtam, ſolutam quoque

floream

(1) Vide Saubertum de Sacrif. Cap. XXIII. (2) Ex Feſto. Vide in voce *Piſcatorii Ludi*.

floream corollam, & diſcum ſive lancem donis refertum offerunt, praeferuntque. Altera femina dextro pedi inſiſtens, poſt humeros Genii ſedentis, vel facem accenſam tenet, vel potius aliquod bacillum cum vertebra in faſtigio, quo uti poſſit in ſuſpenſione vittarum & coronarum in honorem Iovis. Hae vittae ac ſolutae corollae (addantur etiam his placentae) frequenter in hiſce antiquiſſimis Etruſcorum Vaſculis ſuſpenſae viſuntur. Siquidem haec ſacris operantium donaria ideo ſuſpendebantur, ut vota Diis nuncupata, ſupplicanteſque votorum compotes, benignitate Numinum, facti declararentur. Mos enim fuit apud Etruſcos frequentiſſimus, ad Deos non accedere, niſi tenentes manibus vittas & ramos: quod etiam faciebant qui pacem petebant, Etruſco ritu, quem Virgilius frequenter indicat (1).

Iovi ſingulis Idibus Tuſci publica ſacrificia ſtatis in locis facere conſuevere: quae luculenter deſeribit Macrobius (2); nam Iduum nomen Etruſca voce *Itis* vocabatur. Haec vero SACRA ac FESTA, quae in adlato Vaſe exhibentur, non menſtrua, ſed anniverſaria fuiſſe videntur, ſolemni pompa, adparatu ac laetitia celebrata: & quidem incruenta, adducto oblatoque candido tauro, non vero caeſo, quod genus ſacrificii eſt omnium antiquiſſimum (3): extantque in Dempſteriano Opere exempla in Tabula XII. XXXVI. LXXVII. LXXVIII. in quibus victimae, aries, agna, porcus, caper ad ſacrificia adducuntur, altaribus ignitis admoventur, in humeris atque in manibus deferuntur, non vero mactantur; quamquam etiam mox ſecutis temporibus victimas immolatas & mactatas fuiſſe conſtet.

Multa notatu digna ex hoc Etruſco Vaſe, atque ex aliis ſimilibus, colligi poſſunt. Primum nonnulla delibanda ſunt de *Epiphaniis* ſive Adparitionibus Deorum, quos ad feſta & ſacra accedere, palam & manifeſtos fieri credidere: quin etiam, quaſi peregrinantes advenirent, hoſpitalibus muneribus eoſdem excipere conſueverunt: idque indicant viri ac feminae pictae in Tuſcanicis Vaſculis, quae lances, fercula & crateres tenent, quas iiſdem Diis advenientibus pro ſacris xeniis offerunt. Crateras Homerus inter hoſpitalia dona enumerat (4). De Apolline Eπιδημου haec Virgilius (5):

Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo.

In

(1) Aeneid. Lib. VII. verſ. 137. Lib. VIII. verſ. 128. & 664.
(2) Saturnal. Lib. I. Cap. XV.
(3) Vide Saubertum de Sacriſ. Cap. XXI.
(4) Odyſſ. Lib. O. verſ. 115.
(5) Aeneid. Lib. IV. verſ. 143.

In hunc locum Servius: *Conſtat, Apollinem ſex menſibus hiemis apud Pataram Lyciae civitatem dare reſponſa, & ſex menſibus aeſtivis apud Delum.* Credebant etiam delubra inſolito ſplendore colluſtrari, ac Dei praeſentiam ſentire & teſtari, quod liquet ex Claudiano (1):

> *Iam mihi cernuntur, trepidis delubra moveri*
> *Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,*
> *Adventum teſtata Dei.* ———————

Id Etruſci ab Aegyptiis accepere: quod colligo ex antiquiſſimis Menſae Iſiacae ſculpturis, in quibus Dii praeſentes adorantur flexo genu, muneribuſque donantur. Quod igitur Ethnici crederent, Deos ſacris adeſſe praeſentes, & ſigna adventus ſui ac praeſentis maieſtatis teſtari, e veteri Foedere, ſeu ſacris Hebraeorum ritibus deſumtum cenſet doctiſſimus Spanhemius (2): ſiquidem haud incognita, ſed celebris, atque ad poſteros demiſſa, Iacob viſio Dei viventis, qui Deum vidit facie ad faciem (3); & Moſis cum Deo adlocutio, eidemque adparitiones factae. Sed de Deorum Etruſcorum Επιφανῶν *Praeſentium* adparitionibus, haec ſatis ſunto: alia complura qui cupit, adeat Cl. Senatorem Bonarrotium ad Monumenta addita Operi Dempſteriano (4).

Sacra facientibus adparent cum Iove tres Genii, qui, expanſis ingentibus alis, praeſentiam ſuam, dona ultro dantes & accipientes, teſtantur. Hi, ut arbitror, eiuſdem Iovis Genii ſunt: cui Etruſci tres, ut cernimus, adſignarunt, ut eius ſupremam poteſtatem dignitatemque declararent. Id non ſine ratione factum puto; nam ex Haruſpicum Etruſcorum libris conſtat, Iovem tres caeli partes obtinere (5), ac tres manubias (6): in quo imperio, trium Geniorum opera, eum uti forſitan crediderunt; idcircoque eius comites ac famulos ſacrorumque participes fecerunt. Ceteris Diis vel unicum Genium, vel duos adſignarunt. In Muſeo Florentino inſignem Gemmam protuli (7), in qua magna Deum mater Cybele, ſive Terra, ſive Ceres, a duobus Geniis, ſupra eius caput in aëre ſuſpenſis, coronatur: alter etiam Genius ante eam ſtans, tympanum, terrae ſymbolum, ab ea cupit accipere. Genii boni ac benefici, non ſecus ac Iupiter *Elicius*, e caelo evocabantur atque eliciebantur, ut Suidas docet (8).

Duae

(1) De Raptu Proſerpinae Lib. I. verſ. 7.
(2) In Hymnum in Apoll. verſ. 13. pag. 56.
(3) Geneſ. Cap. XXXII. verſ. 30.
(4) Toto §. XXII. pag. 30. 31.
(5) Vide Acronem in Horatium Carmin. Lib. I. Ode XII. verſ. 18. Plinium Lib. II. Cap. LII. LIII. Ciceronem Lib. II. de Divinat. Senecam Lib. II. Nat. Quaeſt. Cap. XXXII. & Cap. XLI. XLV. & L.
(6) Ex Feſto in voce *Manubiae*.
(7) Tom. II. Tab. XXXVIII. pag. 87.
(8) In voce [illegible]. Tom. I. pag. 490.

Duae feminae ſacrorum Miniſtrae, pictae in hoc Vaſe, ſpeculum praeferunt: in aliis Vaſculis frequenter id etiam viri faciunt, ut videre eſt in editis apud Dempſterum Tabula XXVI. XXVII. LXXXVIIII. XC. Neque vero ſpecula tantum, ſed etiam flabella peculiaris figurae & ornatus, in ſacris Deorum adferunt. Senator Bonarrotius de his nihil diſſeruit: recenſuit tamen, & ad muliebrem mundum & domeſticam ſupellectilem pertinere adfirmavit (1). Sed cur in ſacris haec inſtrumenta ab Etruſcis adhibita ſint, paullo diligentius eſt anquirendum.

Ad exornanda Deorum ſimulacra arbitror Etruſcos ſpecula adhibuiſſe in feſtis ſolemnibus, quando eadem ſimulacra in thenſis omni cultu ornata (2), aquis fluminum lota (3), minio picta (4), perſaepe etiam inaurata (5), veſtibus pretioſiſſimis induta, tenuibus velis velata (6), torquibus, armillis, inauribus aureis, vittis, floreis corollis, atque encarpis decorata ac nobilitata, ad delubra ſive ad aediculas cum ſolemni pompa, cum hymnis & choreis deducebant; quare tam frequenter in Vaſculis Etruſcorum, quibus etiam in iiſdem ſacris uſi ſunt, vel eadem ſigna in pompis Deorum geſtata, vel in aediculis Dii repoſiti viſuntur, habitu ſedentium, vel ſtantium, ad exemplum Aegyptiorum, ut cernimus in Menſa Iſiaca. Si autem geſtum quoque, quem faciunt, obſervemus, id clarius fiet; nam ſpecula ad os admovent circumſtantium, & quaſi velint, ut ea conſulant, obiiciunt, & obviam ea offerentes incedunt. Neque haec inſtrumenta interdum eſſe videntur paterae: quum frequentius orbicularis figurae occurrant, & in extimo orbe ornata ſint pluribus globulis, forſitan gemmis, vel aliis Tuſcanicis operibus, elegantioris ornatus & cultus gratia.

Opinionem hanc meam ſatis probabilem reddunt aliae feminae, aliique viri ſimul picti in Vaſculis Etruſcorum, qui arculas & ciſtulas manibus praeferunt, ut in Tabula CLXIIII. & in Tabulis iam indicatis apud Dempſterum. In his arbitror, Etruſcos Ciſtophoros, Ciſtophoras atque Canephoras ſacra myſteria, occulta quidem, nec profanis revelanda, ſi ciſtae clauſae ſint, praetuliſſe: interdum etiam ſacra dona, electa ac pretioſa ornamenta geſtaſſe ad exornandos Deos, ac praeſertim unguenta & olea, quibus eorumdem Deorum ſimulacra, antequam in pompis cum laetitia deducerentur, perfunderent, omnique cultus elegantia exornarent, quod fieri conſueviſſe oſtendit Pauſanias (7).

Igitur

(1) Ad Mon. Dempſt. §. XXXIII. pag. 63.
(2) Fuſius G. Cuperus in Harp. p. 165. 166.
(3) Ovidius Faſtor. Lib. IV. verſ. 336.
(4) Vide Plinium Lib. XXXIII. Cap. VII.
(5) Ex Athenaeo Deipnoſ. Lib. V. Cap. VII.
(6) Vide Spanhemium in Hymnum Palladis verſ. 70. pag. 559.
(7) In fine Lib. IX. Boeotic.

Igitur, ut ad id redeam, quod probare volebam, ſpecula in pompis Deorum praelata, cum a viris tum a feminis, perſpicue indicant, ſimulacra Deorum Etruſcorum ad ſpeculum comta fuiſſe, priſca ſuperſtitione. Quemadmodum enim, tum viris tum mulieribus lautioribus, erant Κοσμοπλόκοι *Ornatores*, & Κοσμήτριαι *Ornatrices*, quae componendae comae & muliebris mundi curam gerebant; ita etiam Ornatores & Ornatrices Diis adſignatae ab Etruſcis videntur, quae eos in feſtis comerent atque exornarent. Hanc Ethnicorum inſaniam ita aperit Auguſtinus (1): *Sunt, quae* IVNONI *ac* MINERVAE *capillos diſponunt, longe a templo, non tantum a ſimulacro ſtantes, digitos movent, orantium modo: ſunt, quae* SPECVLVM *teneant*. Ad rem etiam Tertullianus (2): *Vnde & qui in* IDOLIS COMENDIS, *& in aris ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis, adulantur, curationem facere dicuntur*. In Iſiacae pompae ſolemniis geſtata ſpecula & pectines, docet Apuleius (3): *Aliae* (mulieres) *quae nitentibus* SPECVLIS *pone tergum reverſis*, VENIENTI DEAE *obviam commoſtrarent obſequium: & quae pectines eburneos ferentes, geſtu brachiorum, flexuque digitorum, ornatum atque oppexum crinium regalium fingerent*. Idem Apuleius de templo Iunonis Samiae agens (4): *Ibi donarium Deae perquam opulentum: plurima & argenti ratio in* LANCIBVS, SPECVLIS, POCVLIS, *& huiuſmodi utenſilibus* (5). Ex quibus etiam colligere poſſumus, ea, quae in pompis Deorum deferebantur, corollas, ciſtas, lances, ſpecula, vaſa, taenias, in templo eorumdem Deorum, quorum feſtum agebatur, pro donariis relicta fuiſſe.

Neque inobſervata abibit femina illa, ut in Tab. CLXIII. quae ſedet, tenetque dextra parvam ſcalam: cuius munus fuiſſe arbitror, ſacra donaria, corollas, taenias, vittas & placentas ſuſpendere in honorem eiuſdem Iovis: vel etiam, admota ſcala, ſimulacrum eius comere atque exornare.

Viſitur etiam in eodem Vaſe ſolum ſparſum variis floribus feſtiſque frondibus, quae ex eo quodammodo natae videntur. Siquidem viae, per quas in pompis Dii deducebantur, floribus & ramuſculis conſpergi ſolebant. De Cybele haec Lucretius (6):

Aere atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largifica ſtipe ditantes, ninguntque roſarum
Floribus, umbrantes MATREM *comitumque catervas.*

(1) De Civitate Dei Lib. VI. Cap. X.
(2) De Ieiuniis Cap. XVI.
(3) Mileſ. Lib. XI.
(4) Florid. Cap. XV.
(5) Si plura cupis adi Spanhem. in Obſerv. in Hymnum in Palladem verſu 21.
(6) Lib. II. Vide Gevartium in Statium. Silv. Lib. I. pag. 54.

TABVLA CLXV.

SACRA CEREALIA ET LENAEA ex anaglypho antiquiſſimae Ollae fictilis expenduntur & illuſtrantur.

ANno CIↃ.IↃ.CC.XXV. Adriae Venetorum, celeberrimae Etruſcorum Coloniae, quae Adriatico mari nomen dedit, & flumini Adriano, atque Adrianis finitimis paludibus, effoſſum eſt fictile Vaſculum, ſeu potius Olla, cum unica anſa, ore lato, colore ſubrubro, flavedinis etiam nonnihil habens, figuris undique e plaſtico opere vetuſtiſſimo ornata, quam in ſuo Muſeo recondidit Vir Praeclariſſimus Octavius Bocchius, Nobilis Adrienſis, Iuriſconſultus Venetus eruditiſſimus, qui ſingulari humanitate, accuratiſſime delineatam ad me miſit: cui etiam ob alia complura huius generis eximia veterum Tuſcorum monumenta mecum communicata, minime pares gratias referre poſſum. Ab hoc viro praeſtantiſſimo quamprimum, ut ſperare libet, publici iuris fiet Hiſtoria Adriae, antiquae Etruſcorum Coloniae, locorumque omnium, rerum geſtarum, & virorum illuſtrium, qui ad eam pertinent: quo inſigni opere, mirum quot & qualia adhuc incognita in lucem proferentur.

Primum in altero huiuſce Ollae proſpectu duo viri, quorum alter nudus, alter tunica ſine manicis indutus, geſticulantes contum agitant, e quo utrimque in ſummo ligati pendent veluti lances, quos panes eſſe reor. Alii item duo viri nudi, idem, ut videtur, alternatim facere cupiunt, & ipſi vario modo geſticulantes. Pileum capite gerunt in acumen deſinentem, qui in uſu facile apud veteres Adriae populos fuit. Mos veterum Etruſcorum panes, placentas & marzas ſuſpendere in honorem Deorum: quo ritu nil frequentius in eorum pictis Vaſculis, praeſertim in Vaticanis, cernitur; quamvis apud Dempſterum unicum ſit exemplum in Tabula XI. Hi panes duobus lineis diviſi ſunt, quae crucem quodammodo referunt, ut videre licet in Vaſe ſuperius adlato in Tabula CLVIIII. Veteres Latini *quadras* dixere hos panes, quod in quatuor partes eſſent diviſi. De eorum uſu, tum apud Romanos

manos tum apud veteres Chriſtianos, luculenter diſſerit Praeſul Praeſtantiſſimus Ioannes Bottarius in Obſervationibus in Chriſtianos Sarcophagos Romae Subterraneae (1), quod quidem eximium opus, omnigenae eruditionis fruge eſt refertum. Igitur Etruſcos noſtros, panes ita confeciſſe, & in quatuor partes diviſiſſe, ſuſpendiſſeque in honorem Deorum, praeſertim in Cerealibus ſacris, ex his aliiſque monumentis conſtat: quem morem iam pridem V. Cl. Franciſcus Ficoronius, de Teſſeris & Talis luſoriis veterum Romanorum erudite diſſerens, obſervavit (2). Panem, in hunc modum factum ⊕, vel placentam ſaepenumero manu gerit Ceres Etruſca, cuius ſimulacrum ſupra obſervavimus num. 1. Tabula XLVII.

Igitur, ſi coniecturis non male adſequi videor, in hac Ollae facie, ſacra in honorem CERERIS celebrantur a quatuor viris, eius ſacrorum miniſtris, Saliorum more tutulatis: quod ſacrum cum ludicra ſaltatione, ac panum agitatione & ſuſpenſione, de qua Suidas (3), peractum videmus. Apud Romanos in VESTALIBVS ſacris, V. Eidus Iunias in honorem Veſtae celebratis, quae eadem eſt ac Ceres, cibi in puris patellis, molae floreis ſertis coronatae, & panes, ex aſellis coronatis dependentes, dono mittebantur, atque offerebantur (4). In medio eorumdem quatuor virorum adſtat femina cum veſte ſuccincta, quae pectori ſiniſtram manum admovens, altera caniſtrum geſtat; ni forte ſit μύλλος, ex ſeſamo & melle fictus: qui etiam in Theſmophoris Syracuſanis in honorem eiuſdem Cereris circumferri ſolebat, ut auctor eſt Athenaeus (5), redditque rationem Voſſius (6), quem vide.

Cum ſacris CERERIS, ſacra LENAEA, in honorem Bacchi Vindemiarum tempore fieri ſolita, coniunguntur, expreſſa in altera Ollae facie; nam vir, porcellum Cereri immolandum in humeris ferens, dextra manu tenet vaſculum, quod capedunculae figuram habet. Alter vir ſacrificulus, obviam ei factus, utrem vinarium in ſinu defert. Sequitur deinde victimarius, qui caprum, Bacchi victimam, adprehenſis eius cornibus, ictu fuſtis mactare videtur. Inde venit femina, ut videtur ex geſtu & habitu corporis, temulenta: quae duas lagenulas vino plenas deferens, puellum altera inebriat. Dum haec aguntur, vir in lectulo iacens, forſitan etiam perſonatus, feminam ad ſe abductam complectitur.

Si vero in prima quoque Ollae facie non Cereris, ſed Bacchi Orgia repraeſentari aliquis cenſeat, quod in pertica non panes, ſed

oſcil-

(1) Vid. & Bonarrot. in Vaſa vitr. pag. 59.
(2) Pag. 9. & 10.
(3) In voce Εἰρεσιώνη. Tom. II. pag. 29.
(4) Hoc ſacrum deſcribit Ovidius Faſtor. Lib. VI. verſ. 390. Vide etiam Fabrettum ad Tabellam Iliadis pag. 339.
(5) Deipnoſoph. Lib. XIV.
(6) De orig. Idolol. Lib. II. Cap. LVIIII.

oſcilla potius ſuſpenſa videantur; ita ut Bacchi luſus ille, per pagos & compita fieri ſolitus, ſatis etiam frequens apud Oſcos, & per Italiam ſparſus, ut notat Philargyrius (1), referatur; hanc explicationem cum anaglypho opere magis convenire adſirmabo: praeſertim quum a Virgilio, veterum conſuetudinum obſervatore diligentiſſimo, ita deſcribatur, ut cum hoc ſchemate perbelle congruat (2):

Non aliam ob culpam BACCHO *caper omnibus aris*
Caeditur, & veteres ineunt proſcenia ludi:
Praemiaque ingentes pagos & compita circum
Theſidae poſuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos ſalire per utres.
Nec non Auſonii, Troia gens miſſa, coloni
Verſibus incomtis ludunt, riſuque ſoluto,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis:
Et te, BACCHE, *vocant per carmina laeta, tibique*
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubeſcit vinea foetu:
Complentur valleſque cavae ſaltuſque profundi,
Et quocumque Deus circum caput egit honeſtum.
Ergo rite ſuum BACCHO *dicemus honorem*
Carminibus patriis, lanceſque & liba feremus;
Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

TABVLA CLXVI.

GENII SACRVM hymnis, ſuffitu, muſicis modis & ſaltatione a feminis celebratum.

MAtthaei Aegyptii, viri longe celeberrimi, deque litterarum republica optime meriti, tanta ac tam ſingularis in me ſemper fuit & humanitas & benevolentia, ut ſtatim accepto nuntio huiuſce mei operis, complura, quae ad Etruſcos pertinent, monumenta, & quidem inſignia, ſuo

(1) Ad Virgil. Georgic. Lib. II. verſ. 389. (2) Ibidem verſ. 380.

by Google

ſuo Muſeo probe delineata mittenda curarit. En alterum eius Vaſculum, Etruſca pictura praenobile, in quo tres feminae, ſacra, ut arbitror, faciunt GENIO, forſitan NATALI, vel, ſi mavis, etiam AMORI. Vtrumque ſacrum in tota antiquitate celebre admodum eſt. Siquidem apud omnes gentes, e divini Voluminis hiſtoriis, pervulgatum perſuaſumque fuit (1), eſſe Spiritus, quorum miniſterio utatur Deus in orbe adminiſtrando: eſſe etiam alios Spiritus, quos GENIOS dixere, quorum in tutela, ut quiſque natus eſt, vivat (2). Doctrinam omnem & cultum GENIORVM Etruſci, ut etiam paullo ſuperius obſervavimus (3), ab Aegyptiis accepere, qui quatuor GENIOS homini naſcenti adſignarunt, ut auctor eſt Macrobius (4): *Aegyptii DEOS PRAESTITES homini naſcenti quatuor adeſſe memorant*, ΔΑΙΜΟΝΑ, ΤΥΧΗΝ, ΕΡΩΤΑ, ΑΝΑΓΚΗΝ. hoc eſt, GENIVM, FORTVNAM, AMOREM, NECESSITATEM. Diem natalem quotannis celebrantes, GENIVM coronabant floreo ſerto, perfundebant unguentis, libum ei offerebant, thure & mero ſacrum faciebant: quod a Plauto (5) & a Tibullo (6) deſcribitur.

Quo vero ritu Etruſci GENIO ſacra fecerint, ex hoc inſigni Vaſculo aperte liquet. Ara tripes, ſatis elegans, fere in medio ſaltantium feminarum poſita eſt: e qua ſupra quatuor ordines liliorum, quorum etiam fit mentio in divinis Paginis, quum templi candelabrum deſcribitur (7), ſurgit crater, in quo poni ſolebant odoramenta, quae adolebantur in honorem Numinum, ut eorum ſuffitu delectarentur. Trigonum pulſante Sambuciſtria, quae ſedet, reliquis duabus feminis interim ſacras choreas agentibus, atque inter haec hymnos de more canentibus, ad aram praeſens, elatis expanſiſque alis, adſtat GENIVS, & ipſe ſaltans, qui dextra manu neſcio an tibias, an vero faculas duas praefert. Adparente GENIO, feminae, omni cultu ornatae, ut ſolebant, natalem diem celebrantes, admirabundae eum intuentur. Eaedem feminae circa aram ſaltare, ex ipſa figurarum conſtitutione, videntur. Lubet igitur hinc colligere, apud Etruſcos GENIVM, & ut ſuſpicor, NATALEM, ſuffitu, hymnis, muſica modulatione & ſaltatione in annuis ſacris cultum fuiſſe. Non dubito etiam ad bibendum & epulandum invitari conſueviſſe. Credebant enim Deos, conviviorum, uti & ſacrificiorum participes fieri, atque oblatas dapes & vina, quae libabantur, deguſtare (8).

Quan-

(1) Voſſius de orig. Idol. Lib. I. Cap. VI.
(2) Vide Cenſorinum de Die Nat. Cap. I.
(3) Ad Tab. LXXXVIIII. pag. 212.
(4) Saturnal. Lib. I. Cap. XIX.
(5) In Prologo Aululariae.
(6) Lib. II. Eleg. II. Lib. IV. Eleg. IV.
(7) Exodi Cap. XXV. verſ. 31.
(8) Vide Reineſium Synt. Inſcript. Cl. I. num. LXXXV. Obſervationes ad Inſcript. ant. Etr. Vrb. Par. I. pag. 322. 323.

Quandoquidem ex Macrobio compertum eſt, AMOREM quoque inter Deos Praeſtites numerari, quem Aegyptii ſingulis hominibus ab ortu adſignarunt; non erit, opinor, improbabile, ſi AMORI, Deorum antiquiſſimo, ut ait Heſiodus, eodem ritu iiſdemque caerimoniis ſacra a feminis Etruſcis facta ſuſpicemur, ut ſibi vel iam nuptis vel nupturis faveret. ΕΡΩΤΙΚΑ ea ſacra Graeci dixere; quae Plutarchus (1) & Pauſanias (2) deſcribunt. Sed de his ſacris ad ſequentes Tabulas dicam.

TABVLA CLXVII. CLXVIII. CLXVIIII.

SACRA VENERI AMORI ET HYMENAEO facta a Sponſis, ex Etruſco Vaſe illuſtrantur. Nova Nupta, novuſque Maritus carpento ducti ad ſacra facienda.

NVptiis, apud veteres Tuſcos, nil ſanctius nilque auguſtius fuit. Siquidem dum nuptiae celebrabantur (mos enim Etruſcorum fuit ante oſtium domus clauſum, quod nuptiis perfectis aperiebatur, dextras iungere) Deos nuptiarum & coniugiorum praeſides, de quibus diximus, ſibi praeſentes ac faventes adeſſe credidere, ſi bono animo, pura mente, caſtoque ritu in manum convenirent: ſin minus, opinati ſunt adeſſe eoſdem Deos ultores: adeſſe etiam ultrices Furias, maxime omnium terribiles, cum gladio & face, quae adverſa fata, aerumnas, luctum & mortem imminentem declararent: quod ex adlatis monumentis apud Dempſterum, & ex Tab. LXXXIIII. num. II. huiuſce operis apertiſſime liquet. Neque etiam nuptias celebrare conſueverunt abſque praeviis auſpiciis & ſacris, quae luculenter exponit Dempſterus (3). Primum in his Cereri porcus immolabatur, ut auctor eſt Varro (4): *Nuptiarum initio antiqui Reges, ac ſublimes viri in* ETRVRIA, *in coniunctione nuptiali, nova nupta, & novus mari-*

(1) In Erotico in principio.
(2) In Atticis Lib. I. Cap. XXX. in Boeoticis Lib. IX. Cap. XXVII. & Cap. XXXI.
(3) De Etruria Reg. Lib. III. Cap. XIX. pag. 294. 295. 296. 297.
(4) De re ruſt. Lib. II. Cap. IV.

Digitized by Google

maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Graeci, in Italia idem factitaſſe videntur; nam & noſtrae mulieres, & maxime nutrices, naturam, qua feminae ſunt, in virginibus adpellant porcum, & Graeci χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum. Praeerat nuptiis Ceres, Tuſcorum opinione. Calvus antiquus Poëta:

Et leges ſanctas docuit, & cara iugavit
Corpora coniugiis, & magnas condidit urbes.

Ad ſacra vel Cereri, vel etiam Veneri & Iunoni Iugali faciendа, in more apud Etruſcos poſitum fuiſſe video, ut nova nupta, novuſque maritus irent carpento vecti. Id non obſcure declarant plures Vrnae ſepulcrales, in quibus nuptae flammeo velatae, vel ſolae, vel cum novo marito, pretioſis pulvinis innixae, in diviti carpento a mulis tracto, deducuntur. Exemplum nunc primum in lucem profero in Tabula CLXVIIII. ex Etruſco Sepulcro marmoreo, Volaterris eruto, quod exſtat in Aedibus Nobilium Falconciniorum: cui alterum fere ſimile penes me habeo. Carpentum praeit ſervus lampadarius, accenſa cum lampade viam colluſtrans: vel quia noctu ſponſi euntes ad templum Veneris, pervigilia facere debebant: vel etiam quia ſine taedis & facibus nuptiae minime auſpicatae habebantur. Vir equo inſidens, obviam ſponſis factus, dextram manum, viamque cedit: quod decus Romani Virginibus Veſtalibus (1), dignitatis cauſa, poſtea ſanxerunt. Interdum Furia carpentum praeire ſolet, ut cernitur in meo Etruſco Sepulcro. Vir dextrum, coniux ſiniſtrum latus tenet in carpento. Carpentum ſequitur ancillula, quae in aliis Vrnis Etruſcis, hoc ipſo emblemate ſculptis, caniſtrum ſive calathum tenet, donis, ut reor, plenum, Veneri SPONSAE, cuius ſimulacrum Etruſcum ſupra dedimus in Tabula CIII. dedicandis. Adeſt etiam ſervus pediſequus, in aliis Vrnis Etruſcis interdum duo vel tres, ex ea familiae turba, quam deſcribit Plautus (2).

Nunc primum ex hoc Vrnae anaglypho diſcimus, quae fuerit carpenti Tuſcanici ſtructura & ornatus: quod ab Etruſcis, qui eius inventores fuere, minime dubitandum eſt Romanos accepiſſe; nam, Tuſcorum exemplo, Virgines Veſtales & Flamines, ad ſacra in Capitolio facienda euntes (3), poſtea etiam Praefectus Vrbi, Praefectus Praetorio, & Vicarius Vrbis, carpento uſi ſunt (4).

Sacra

(1) Vide Senecam Controv. II. & VI. ult. & Lipſium de Veſta & Veſtal. Cap. XI. & quae adnotantur a viris doctis.
(2) In Aulularia Act. III. Sc. V.
(3) V. Tacitum Annal. Lib. XII. Cap. XLII.
(4) De honore carpenti eiuſque uſu apud veteres Romanos, vide Schefferum de re Vehiculari Lib. I. Cap. XVIII.

Sacra, quae Graeci dixere ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ (1), in honorem Veneris, apud Etruſcos celebrata a nova nupta novoque marito, ni fallor, exhibet perinſigne Vaſculum, quod ſervatur in Muſeo Presbyterorum Oratorii Neapolitani: quodque duplici ſchemate, tum in anteriore, tum in averſa parte egregie delineatum, ut oſtendit Tabula CLXVII. & CLXVIII. ad me miſit Iacobus Del Monaco, eiuſdem Oratorii Praepoſitus meritiſſimus. Cernitur VENVS SPONSA ſedens in ſella, quae Homero dicitur *κλισμὸς*, ut advertit Athenaeus (2), digniſſimis quibuſque adponi ſolita: peculiaris tamen figurae; nam tripes eſt, utrimque anconibus pro fulcris brachiorum inſtructa: cuius pluteus ſeu anacliterium, ad humeros & caput reclinandum, figuram habet crucis, eiuſque extremis anſae quaedam, tamquam monilia, adiunctae ſunt; quo facilius, ut arbitror, loco moveri & exportari poſſet. Sedem Etruſcam huius generis, numquam antea viſam, quae throno ſeu faſtigio impoſita eſt, dignitatis cauſa, alii felicius explicabunt. Valerius Chimentellius, vir doctiſſimus, nullam mihi ſtipem contulit. Pedibus eius *ὑποπόδιον* ſubiectum cernimus, mobile ſcabellum, in quo, ut videtur, depoſita eſt zona virginea, quam Etruſcae novae nuptae Veneri offerebant conſecrabantque.

Adſtat coram Venere nova nupta, flammeo velata, ornataque monili, armillis, ac pretioſis veſtibus, quae dextram cum dextra Veneris iungit, quaſi ſpondeat, ſe iura connubialia ſervaturam. Inſidet capiti Veneris columba ei ſacra, coniugalis amoris inſigne, quae corollam praefert, ut videtur, myrteam. Veneri famulantur duae feminae, forſitan Nymphae vel Charites: quarum altera arculam muliebris mundi eiuſdem Veneris aperit: altera ceſtum eius praefert. Non procul etiam parata menſa, in qua vas, ni fallor, unguentarium repoſitum. Cernitur quoque iuvenis, pectorali faſcia cum bulla in medio eminente, & veſte picturata amictus, qui duas faces accenſas atque erectas praefert: qui, ut opinor, eſt HYMENAEVS, *boni coniugator amoris: qui rapit teneram ad virum virginem*, ut canit Catullus (3), quique ex geſtu ſaltare videtur.

Superne, inter Venerem & novam nuptam, volitant duo OENII, eiuſdem Deae individui comites & famuli, EMEROS & EROS (4): vel e numero eorum, quos Aetion, in nuptiis Roxanes & Alexandri, pinxit in inſigni tabula, quam ſpectandam in Olympiam portavit (5). Ex his Geniis alter taeniam nuptialem, vel eiuſdem Vene-

(1) Meurſius illuſtrat in *Graecia Feriata* pag. 237.
(2) Lib. V. Cap. VI.
(3) Carm. LX.
(4) Hos deſcribit Lucianus in *Iudicio Dearum* Tom. II. pag. 38.
(5) Vide eumdem Lucianum Tom. III. in *Herodoto & Aetione*.

Veneris cingulum: alter dextra vaſculum olei odorati, quaſi Deae capiti infundat, & ſertum myrteum praefert, quo eam coronet.

In altero eiuſdem Vaſculi elegantiſſimi proſpectu, ſacra AMORI facientes Sponſae, toto corpore nudae, pictae ſunt: quarum altera ſpeculum, altera cingulum ſolutum tenent: ſtantque iuxta aram, in qua inſidet manifeſtuſque ſacra ſua celebrantibus adparet AMOR, qui dextra aviculam bene caudatam, hirundinem ſuſpicor, oſtentat; haec enim avis ingenioſiſſima, contubernii hominis amica, atque amoris ſymbolum, perhibetur (1). Palmae ramos, velis ſeu taeniis maioribus ornatos, non procul poſitos videmus; quia forſitan mos fuit Etruſcorum cum huiuſmodi ramis ad ſacra ΕΡΩΤΙΚΑ accedere. Ara AMORIS, ut cernimus, celſiſſima eſt, qualis Diis Caeleſtibus, Etruſco ritu, poni mos fuit (2). Impoſitus eſt columellae, quae a duabus baſibus ſuſtinetur, crater ſatis latus ac rotundus, in quo ſacra libamina infundebantur, lectaque odoramenta cremabantur. Id etiam feciſſe Romanos, teſtatur vetus inſcriptio apud Fabrettum (3), quae cetera inter donaria recenſet ARAM ODORIBVS REPLETAM. Neque vero de huiuſmodi arae figura dubitare poſſumus, quum frequens ſit in Etruſcorum monumentis apud Dempſterum, praeſertim in Tab. XVI. in qua forſitan eadem ſacra a nova nupta, novoque marito celebrantur, adparente eis ſuper aram CVPIDINE: atque etiam in Tabula LXXVIII. in qua ara vaſi eſt longe ſimillima. Omnium vero antiquiſſimae arae, apud Etruſcos fuere quadratae, undique purae, vel altiores vel humiliores, pro ut Diis conveniebant, quibus conſecrabantur: non raro etiam feſta fronde, tamquam monili, exornatae. Secutis temporibus, quo elegantiores eſſent, capitibus arietinis & bubulis, itemque ſigillis Deorum, atque aliis ſacris emblematis, Romani eas ornare conſueverunt. Suſpicor etiam ex geſtu, Sponſas circa aram AMORIS, ſacras choreas agitaſſe.

Iuxta eamdem aram AMORIS, ſedent duae feminae, Veneris ornatrices, quae templo eius ſerviebant: quorum altera ſpeculum, altera, ut reor, ſtrigilem, praefert; qua, qui munditiei corporis ſtudebant, utebantur. Ad ſacra accedit alia femina, quae arculam cum donis portat; forſitan una e Pſecadum numero, quarum officium erat, crines tincturis, coloribus, gemmis, auroque eleganter diſponere: fibulas, monilia, inaures ad formae decus adiicere, de quibus luculenter eruditiſſimus Spanhemius (4). E feneſtella profert caput femina, quae neſcio an Veneris, an vero Sponſae imago

 eſſe

(1) Ex Aeliano de Animal. Lib. 1. Cap. LII.

(2) Vitruvius de Archit. Lib. IV. Cap. VIII.

(3) Inſcr. ant. Cap. II. num. 93. pag. 79.

(4) In Obſervat. in Hymn. Palladis verſ. 22.

eſſe poſſit. In altera Vaſeuli facie picta eſt eodem modo feneſtella, poſtibus antrorſum reſeratis, ſed omnino vacua.

TABVLA CLXX.

SACRA ETRVRIAE.

Ciſta & myſteria Bacchi a CABIRIS *ſeu* CORYBANTIBVS *in Etruriam delata: his Etruſcorum initiationes, ex antiquis monumentis elucidantur.*

REm plane arduam ac perdifficilem adgredior, dicturus pauca nunc pro opportunitate, multa, ut ſpero, dum erit otium, de SACRIS ETRVRIAE: quae, quoniam vulgari nefas habebatur, minime mirandum, ſi tamquam recondita & arcana, ſagaci ſilentio maxime omnium a vetuſtis Ethnicis ſcriptoribus occultentur. Qui enim his ſacris initiabantur, iurare debebant, nemini ea ſe ullo umquam tempore revelaturos. Exſtat Arretii haec inſignis inſcriptio, ſub ſtatua L. Valerii Iunioris, ut arbitror, poſita a Plebe Vrbana, decreto Decurionum Arretinorum, quae eum AD SACRA ETRVRIAE IVRATVM edocet (1):

L. VALERIO
L. F. POM
IVNIORI. EQ. P
IVRAT. AD SACRA
ETR. PONT. Q. AED. II. VIR
ACCENSO. VELATO
PLEBS VRBAN
L D D D

Iuramento adactos, qui ſacris BACCHI initiati erant, teſtatur etiam Livius, agens de Bacchanalibus (2), cuius verba lubet adferre: *Qui tantum initiati erant, & ex carmine ſacro, praeeunte verba Sacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda coniuratio in*

omne

(1) Hanc protuli & illuſtravi in Par. II. Inſcr. ant. Etr. Vrb. num. 13. pag. 279.

(2) Decad. IV. Lib. VIIII. Vide etiam Cl. M. Aegyptium ad S. C. de Bacch. pag. 63.

omne facinus ac libidinem continebatur: nec earum rerum ullam, in quas IVREIVRANDO OBLIGATI ERANT, *in ſe aut alios admiſerant, eos in vinculis relinquebant.*

Nullus igitur dubito, SACRA ETRVRIAE, ad quae initiati iurare cogebantur, fuiſſe ſacra BACCHI myſteria, quae ab Etruſcis Romani accepere. Laconum coloni, qui in Italia plurimi fuere, etiam ante Troiae excidium (1), omnium primi Italos ea docuere. Cum Laconibus diu verſati Tyrrheni, ut obſervat doctiſſimus Matthaeus Aegyptius in Explicatione S. C. de Bacchanalibus (2), ſacra, quae apud eos omnium celeberrima erant, SAMOTHRACIA ſive CABIRIA, maximo in honore uſuque habuerunt: quo factum proculdubio eſt, ut Phoenicum Aegyptiorumque religiones, ac praecipue BACCHI cultum Tyrrheni addiſcerent, in Italiam importarent, Tyrrhenoſque Ionii ſinus accolas docerent: a quibus tamdem BACCHANALIA, DIONYSIA, CORYBANTIACA, ſive quocumque tamdem adpelles nomine, foeda illa myſteria, Etruſcis Campanis tradita ſunt, unde ad Romanos pervenere.

Ex adlato ſuperius in Tabula LVI. aheneo ſimulacro vetuſtiſſimo unius e Diis CABIRIS, prolatoque in obſervationibus Clementis Alexandrini teſtimonio diſertiſſimo (3), quod ſupervacaneum eſt rurſum repetere, clariſſime liquet, Etruſcos ſacra BACCHI myſteria, initiationes & myſticam ciſtam a CABIRIS ſive CORYBANTIBVS accepiſſe. Hos vero puros putoſque fuiſſe homines, Rheae & Baccho initiatos, cenſet idem Cl. Aegyptius; qui horum Deorum ſacra & cultum in Etruriam invexere. Ciſta ipſa, in qua hi CABIRI Bacchi veretrum, & alia quaedam, profanis incognita, occultarunt, ex antiquiſſimis hiſce ſculpturis, quae nunc primum mea cura in lucem prodeunt in Tabula CLXXX. num. I. & II. manifeſte evincit, quanto honore Bacchum coluerint Etruſci; nam in aedicula eam repoſitam cernimus, loco valde edito atque honorifico: in aediculis vero, ut videre eſt in aliis, his ſimillimis, apud Dempſterum Tabula XXVI. XXVIII. XXX. & XXXII. praeter ſimulacra Deorum, nil aliud Etruſci collocare conſueverunt; quare perſpicuum eſt, huiuſmodi ſacram ciſtam, quam Apuleius, *ſecretorum capacem*, ac Valerius Flaccus *tacitae formidinis plenam*, adpellant, Etruſcos maximo in honore & cultu habuiſſe.

Ea viminibus contexta apertiſſime videtur, cuius faſtigio ſeu tholo imminet globus, quo facilius adprehenſa, velatis manibus,

(1) Ex Dionyſio Halicarnaſſenſi Lib. I. & Plutarcho in Numa.

(2) Pag. 16. quem vide.

(3) Pag. 137. 138.

Etruſco more (1), a Ciſtophoris in Orgiis, ſacraque Bacchi pompa circumferretur. De ciſtarum ſacrarum figura, ſtructura, uſu & conſecratione, Diiſque quibus tribuebatur adſignatione, omnium cumulatiſſime nuper diſſeruit vir exquiſitae multipliciſque eruditionis, amicus meus, Ioannes Lamius: qui etiam de ſacris Bacchi Orgiis multa luculenter in medium protulit (2).

Ciſtae Etruſcae rotundae, atque omnino clauſae, ſinuoſus ſerpens advolvitur; non vero ut in ciſtis aliarum nationum, quae in antiquis monumentis obſervantur, ex ea ſemiaperta erumpit: qui quidem ſerpens multis de cauſis ipſum Bacchum, eiuſque virtutem & divinitatem exprimit, eique ſacer eſt, atque in eius ſacris, quum aliquis initiabatur (3), ut exploratum, multa cum religione adhibitus (4). Etruſca ciſta Aegyptiae eſt valde ſimilis.

In priore Etruſcorum Sepulcro, Volaterris defoſſo in praediis Franceſchiniis, relato in eadem Tabula CLXX. videmus adſimilem aediculam elegantiſſimam: eius vero poſtes clauſi ſunt, neque in ea repoſita ciſta conſpicitur: ſacrae tamen initiationes eodem ritu iiſdemque caerimoniis peraguntur a feminis, quae adſtant, monili, armillis & zona unionibus diſtincta, admodum ornatae. Siniſtra gladium tenent, qui e balteo, zonae adnexo, dependet: dextra manu e patera, quam invergunt, neſcio an aquam, an ſanguinem, ſuper caput virorum, in ſella curuli ante ipſum tabernaculum ſive aediculam ſedentium, effundunt. Sedentes, ut diximus, veteres vota concipiebant: quod & factum ab initiatis hinc notare poſſumus. Numa quoque Pompilius in arcem deductus, in lapide ſedens, velato capite, ad meridiem verſus, Romae Rex inauguratus eſt ab Etruſco Augure, qui ad laevam eius ſedem cepit (5). Heic quoque Antiſtitae expiatrices ſtantes, laevam initiatorum tenent: ipſi vero initiati, corpore in dexteram verſo, reſpicientes initiantes mulieres, ad laevam ſe convertunt: dextra vero pars, ut video, apud Etruſcos in ſacris expiationibus fuit auſpicatiſſima. Oreſtem, maternis Furiis agitatum, Troezenii, aqua ex Hippocrene hauſta, expiarunt, ut auctor eſt Pauſanias (6). Mulieres Ἐγχυτρίστριαι, quarum etiam meminit Plato (7), vocabantur, quae homines piaculo obſtrictos luſtrabant, ſanguineque victimae eos adſpergebant, de quibus Suidas (8). Homines, piaculis obſtricti, profani & abominabiles,

(1) Ex Livio Lib. v. de Iunone Veientum.
(2) Diſſertat. vi. inter ceteras Academicorum Etruſcorum Corton.
(3) Vide eumdem Cl. Io. Lamium ibidem, & Fabrettum Inſcription. ant. Cap. vi. pag. 429.
(4) Vide Voſſium de orig. & progr. Idolol. Lib. II. Cap. xiv. & Lib. III. Cap. xi.
(5) Ex Livio Lib. i. Hiſtor.
(6) In Chorinthiac. Lib. II. Cap. xxxi.
(7) In Minoe, ſive de Lege.
(8) In voce Ἐγχυτρίστριαι. Tom. i. pag. 677.

les, Εναγεῖς dicebantur (1). Igitur gladius, quo accinctae ſunt Etruſcae Antiſtitae, tenentque, dum eos viros imberbes ac minime raſos capite initiant, facile perſuadet, ſanguine vel ſacrae victimae (pronius vero crediderim agni vel ovis (2), quam etiam ab Aegyptiis mactatam ſcimus, & in ſacris luſtrationibus ab Etruſcis adlatam ex ſequenti Tab. CLXXII. conſtabit) vel potius eorumdem ſontium hominum elicito cruore perfuſos fuiſſe. Neque etiam mirandum, id muneris initiandi ſacris Bacchi, penes Etruſcas feminas Antiſtitas extitiſſe; quum ex Livio conſtet, occultis Bacchi myſteriis tum viros tum feminas initiaviſſe (3).

Quod vero in his Etruſcorum ſculpturis, praeviae ad Bacchi myſteria initiationes & expiationes celebrentur, praeter arcanam ciſtam, indicant etiam amphorae ſculptae in tympano aediculae; quamvis non negem a Tuſco artifice tamquam ornamenta adponi potuiſſe: tum etiam, quia in Deorum templis amphorae ſacrificales ſervabantur in uſum ſacri miniſterii. Quod vero me magis movet, obſervatuque dignum eſt, quod initiati manus decuſſatas, quae etiam vinculis colligatae ſunt, pedeſque habent cothurnis ornatos, qui maxime omnium Baccho tribuuntur: ac praeterea chlamyde, quam bulla in medio adſtringit, amicti viſuntur. Illud praeterea adnotandum, quod quum in curuli ſella eminentiore ſedeant, pedes, patriciis calceis ornatos, imponunt cumulo lapidum, qui pelle inſtratus cernitur, ut mihi, ipſa archetypa diligenter obſervanti, viſum eſt: neque id eſt inveriſimile, quum Suidas teſtetur (4), caeſarum victimarum pelles ſubſtratas fuiſſe pedibus eorum, qui piaculo polluti luſtrabantur: atque hinc colligimus, qua de cauſa id ſacrum ſuſcipiant viri non vulgares, ſed primarii Etruſcorum; ut piaculis expiati, iuſti evaderent, & ita futurae beatitudinis, ut miſeri credebant, pignus conſequerentur. Neque dumtaxat poſt mortem, verum etiam in vita aliis feliciores & honoratiores initiati habebantur. Porro duplex fuit luſtratio, ut oſtendit doctiſſimus Ioannes Marſhamus (5), vel expiatio a caede & a delictis, vel praeparatio ad ſacra maiora percipienda. Vtramque luſtrationem ſive expiationem haec Sepulcrorum anaglypha referre poſſunt. Haec pauca delibaſſe ſufficiat; alia mox in medium proferam, quum temporis anguſtiis conſulere non oportebit.

TA-

(1) Ex eodem Suida Tom. I. pag. 732. in eadem voce.
(2) Vide Strabonem Lib. XVII. pag. 803.
(3) Decadis IV. Lib. IX.
(4) Vide in voce Διὸς κώδιον. Tom. I. p. 604.
(5) Seculo XI.

TABVLA CLXXI.

SACRA CABIRIA

ſive SAMOTHRACIA *expiatoria, ab Etruſcis celebrata, ex antiquiſſimis monumentis expenduntur.*

CABIRIA ſacra, a Diis, quos Samothraces maxima religione proſecuti ſunt, nomen ac dignitatem accepere. Qui autem fuerint CABIRI DII, qui in libris Augurum Etruſcorum, teſte Varrone, DIVI POTES vocantur (1), ex dictis iam conſtare video. Horum ſacra occultaque myſteria adeo celebria, totoque fere orbe pervulgata fuere, ut plurimi etiam Heroes, inter quos Iaſon, Orpheus, Hercules, Caſtor, Pollux, Agamemnon, Vlyſſes aliique, iis initiari voluerint (2); credebantur enim imbuti iuſtiores fieri & ſanctiores, & in quibuſcumque periculis praeſentiſſimos habere Deos, & naufragio maxime eſſe prorſus immunes. Ex quibus omnibus erui ratio poteſt, cur in Sepulcris veterum Etruſcorum, tam frequenter pro emblematis hi Heroes ſculpti ſint, praeſertim Vlyſſes Sirenas praetervectus: & viri, itemque iuvenes ac pueri iiſdem ſacris initiati, ut in hac Tab. CLXXI. num. II. & in ſequentibus nunc primum cernimus. Iiſdem religionibus myſtice imbutus memoratur etiam Tarquinius, Demarati Corinthi filius, qui factionem Cypſeli fugiens, Tarquiniis conſedit, & in Etruria eadem myſteria, iam cognita, vel inſtauravit vel amplificavit: quique Deos Penates uno templo ac tecto colendos propoſuit ac coniunxit, ut notat Macrobius (3) ex Varrone (4).

Quo vero ritu ac caerimoniis, & quibuſnam praeſentibus haec ſacra CABIRIA initiati perciperent, ni fallor, haud obſcure indicat inſigne Sepulcrum marmoreum, Volaterris erutum in praediis Franceſchiniis, quod ipſe diligenter obſervavi, & me coram, ut & alia, delineari feci, quod exhibeo in Tab. CLXXI. num. I. Iuvenis, qui initiatur, laevo genu flexus, arae humili innititur, brevi tunica ſine manicis amictus. Pedes uſque ad genua nudos

(1) Lib. IV. Ling. Lat.
(2) Vide Diodorum Siculum Lib. V.
(3) Lib. III. Saturnal. Cap. IV.
(4) Rerum Humanarum Lib. II.

nudos habet, capite pileum gerit, qui ſectum ovum imitatur. Dextra & ſiniſtra, quod notatu dignum, tenet rotam, compluribus radiis, forte duodecim, conſtructam, quot ſigna caeleſtia habet Zodiacus: qua etiam rota, humana aetas, & converſio eius ad meliorem frugem, item iuxta veteres Aegyptios, ut docet Plutarchus (1), poteſt deſignari. Suſpicor etiam, CABIRIIS SACRIS initiatos, antequam a Sacerdote expiarentur, peccata ſua confiteri conſueviſſe; nam huius rei gratia ea ſacra ſuſcipiebant, ut integri vitae ſceleriſque puri evaderent. Mos fuit vetuſtiſſimus, ut ſontes homines, ad rotam adligati, ſcelera ſua confiterentur: quem indicat Ariſtophanes in Pluto (2): & adfert eius verba Suidas (3), qui notat, id etiam in proverbium tranſiſſe; nam Athenis erat rota, ad quam ſervi adligati poenas dabant. Igitur probabile eſt, ut dixi, huiuſmodi homines initiatos, rotam tenentes, ſcelus, quo foedati erant, palam aperuiſſe, ſeque obnoxios confeſſos eſſe, ut ita ſacrae expiationis capaces haberentur. Quod vero Myſtagogae, quum aliquos initiarent, peccati ſaltem gravioris confeſſionem poſtularent, in Apophthegmatis oſtendit Plutarchus, ac ſimiliter in Laconicis, cuius teſtimonium adfert Lomeierus (4).

Dum haec aguntur, Antiſtita, ornata monili (iam enim ex praecedenti Tabula apertum eſt, omni cultu ornatas Etruſcas Antiſtitas ſacra miniſtraſſe) rotam e manibus eius iuvenis, qui initiatur, divellere nititur: quaſi forſitan ita oſtendat, iam habita ſcelerum confeſſione, initiationem optime promereri. Adſtat etiam non procul e Furiis una, cothurnis calceata, veſte ſuccincta, lataque zona praecincta: ipſam Antiſtitam impellens dextra; laeva vero facem intentans, quaſi eum terreat, ſi peccata ſua fateri noluerit.

Ad dexteram, adprehenſis initiati capillis, irruit in eum diſtricto gladio vir nudus, qui necem non veram, ſed adparentem minitatur: non enim credibile, SACRIS CABIRIIS initiatos homines internecione deletos eſſe; ſed, ni fallor, levi vulnere percutiebantur, ut ſe, & aram quoque, proprio cruore reſpergerent, atque ita criminum, quibus obnoxii erant, remiſſionem conſequerentur. Prope percuſſorem adſtat Sacerdos CABIRORVM Deorum, qui luſtrationem fieri mandat, & ſedulus obſervat. Hunc Graeci *Coëen* vocabant: ad quem pertinebat luſtrare homines ſceleratos, ut docet Heſychius: Κοἰης Ιερεὺς ΚΑΒΕΙΡΩΝ ὁ καθαίρων φονέα, οἰς γὰρ Κόης. Coëes *Sacerdos* CABIRORVM, *homicidam luſtrans; aliis* Coës. Ex Hebreo fonte *Coës*, ideſt *Cohen*, valet *Sacerdos*, ut oſtendit vir

(1) In vita Numae edit. Pariſ. pag. 69. 70.
(2) Pag. 87. (43. editionis Baſil.
(3) Tom. 1. in voce ἐπὶ τροχοῦ. pag. 839.
(4) De vet. Gent. Luſtration. Cap. XXXIII.

vir magnus Bochartus (1). Ex hoc vero monumento intelligimus, Cabirorum Sacerdotem, eorumdem ſacrorum forſitan Regem apud Etruſcos, non per ſe, ſed per miniſtrum ſuum luſtraſſe ſontem hominem, ſive homicidam. Hi forſitan miniſtri ab Etruſcis CADOLI dicti ſunt, quorum meminit Dionyſius Halicarnaſſeus his verbis (2): Οσα δὲ παρὰ Τυῤῥηνοῖς, καὶ ἔτι πρότερον παρὰ Πελασγοῖς, ἐτέλουν ἐπί τε ΚΟΥΡΗΤΩΝ, καὶ Μεγάλων Θεων ὀργιασμοῖς οἱ καλούμενοι πρὸς αὐτῶν ΚΑΔΩΛΟΙ, ταῦτα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπηρέτουν τοῖς Ιερεῦσιν οἱ λεγόμενοι νῦν παρὰ Ρωμαίων ΚΑΜΙΛΛΟΙ. *Quae autem apud Etruſcos, ac prius etiam apud Pelaſgos, in* CVRETVM, *& Magnorum Deorum myſteriis peragebant ii, qui vocabantur* CADOLI; *haec miniſteria eodem modo Sacerdotibus praeſtabant, qui nunc a Romanis dicuntur* CAMILLI. CVRETAS eoſdem ac CABIROS & CORYBANTES fuiſſe iam ſatis exploratum eſt (3). Ex hoc etiam Etruſco Sepulcro perſpicuum eſt, qui fuerit huius generis Sacerdotum cultus: barbatus eſt, & tutulum capite gerit.

In Samothracia, hi, qui initiabantur, in antrum *Zeryntbium*, ſive ſpeluncam caliginoſam, Diis CABIRIS ſacram, deſcendebant: in qua etiam HECATES ſacra peragebantur, cui canes immolabant: quae ex Lycophrone, eiuſque Scholiaſte, Stephano, Suida, aliiſque pluribus auctoribus notat idem Bochartus (4). In his ſacris ſolemne etiam illud fuit, ut initiati in ſolio collocarentur, aliis interea Myſtis agitantibus in circulo choreas: quem ritum θρονισμὸν & θρόνωσιν dixere, cuius meminit Dio Chryſoſtomus (5). Id in his ſacris, vel etiam in honorem Bacchi, factum fuiſſe oſtendit adlata nuper Tabula CLXX. in qua viri, in curuli ſella valde eminenti ſedentes, ſacra ſuſcipiunt.

Myſteria CABIRIA ſive SAMOTHRACIA fuiſſe occulta & arcana, coactoſque initiatos ſilentii ſui iuſiurandum praeſtare ad aram, praeter complures auctores, docet Iuvenalis (6):

——— Iures licet & SAMOTHRACVM,
Et noſtrorum aras. ———

CABIROS Deos Etruſci cultu omnium maximo devenerati ſunt, eorumque numen non ſecus ac FVRIARVM, praeſentiſſimum habuere. Hos etiam, quemadmodum & Furias, cruciare apud Inferos noxios homines crediſſe, liquet e picturis Etruſci Sepulcri,

(1) Georg. Lib. I. Cap. XII.
(2) Ant. Rom. Lib. II. pag. mihi 92.
(3) Aſtorium de Diis Cabiris §. VII. & IX.
(4) Ibidem, loco ſuperius adlato.
(5) Orat. XII.
(6) Satyr. III. verſ. 144.

cri, prope moenia Corneti deteĉti : quod exhibetur in Dempſteriano Opere Tabula LXXXVIII. Picti in eo ſunt damnati variis tormentorum generibus, quos Furiae facibus adurunt, & cum uncinis accedunt, ut eos lacerent. Adeſt etiam cum Furiis unus e Diis CABIRIS, qui ſiniſtra confertum uncinis inſtrumentum, dextra malleum gerens, ad damnatum, in aëre manibus ſuſpenſum, accedit, ut lancinet & torqueat; quia, criminibus foedatus, ſacra forſitan CABIRICA, vel etiam EVMENIDVM ſuſcipere noluit. Eodem cultu veſtium, iiſdemque cum inſtrumentis, ut in picturis Etruſci Sepulcri, ſculptus eſt unus e CABIRIS Diis in nummo Theſſalonicenſium in Macedonia, qui peculiarem honorem his Diis praeſtitere, & CABIRIA certamina, de eorum nomine dicta, celebrarunt : ut etiam conſtat ex nummo Gordiani Pii apud Vaillantium (1). Forſan etiam, ille pictus in poſtremo ſegmento, qui palliatum hominem ad Orcum deducit & trahit, alter CABIRVS eſt; quum eodem veſtium cultu ſit exornatus.

TABVLA CLXXII.

SACRA MITHRIACA.

Solemnis Etruſcorum BAPTISMVS, *quo ritu quibuſve caerimoniis traditus ac ſuſceptus, ex antiquiſſimis monumentis oſtenditur.*

SOlemnem apud Etruſcos BAPTISMATIS traditionem per manus Sacerdotis, aliis ſacris Miniſtris adſtantibus, additis modulationibus, precibus & carminibus, ceteriſque caerimoniis, quas mox indicabo, nemo alius certe, quam Diabolus, nequiſſimus humani generis hoſtis, excogitavit docuitque: qui, ut inſanas gentes, divinae lucis expertes, in ſui ſervitium & obedientiam miſerandum in modum captivaret, luſtrandi complura genera, aëre, aqua, igne, ſanguine, aliaſque februationes monſtravit, ut Deum divinae legis conditorem ſapientiſſimum aemularetur. Callidiſſimas eius artes ita aperit Tertullianus (2): *Diabolus ipſas quoque res Sacramentorum, in Idolorum myſteriis aemulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, utique credentes & fideles ſuos; expiatio-*

(1) Imp. Num. Graec. pag. 91. 144.

(2) De Praeſcript. adv. haeret. Cap. XL.

tionem de LAVACRO *repromittit, & ſic adbuc initiat* MITHRAE*: ſignat ille in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quod & ſummum Pontificem in unis nuptiis ſtatuit? habet & virgines, habet continentes. Ceterum ſi Numae Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotii officia & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria & inſtrumenta & vaſa illa ſacrificiorum & piaculorum, & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſte Diabolus moroſitatem Legis Moſaicae imitatus eſt?* Addo etiam, Etruſcos, compluribus ſeculis ante Numam Pompilium, non ſolum in uſu habuiſſe BAPTISMA, verum etiam ſacram χειροτονίαν; nam Etruſcae Antiſtitae manus imponunt iis, quos initiant, ut alibi oſtendam, adlato Etruſcae Vrnae anaglypho opere. Conſtat enim, initiatos complura probationum genera experiri debuiſſe, antequam ſacris Deorum, ac praeſertim MITHRAE, admitterentur: quae mox conſiderabimus.

Quod vero adtinet ad BAPTISMI apud antiquiores gentes originem, aliqui ſunt, qui referunt ad pervulgatam illam de magno diluvio notitiam (1): quod Deus miſit, ut terram, ſceleſtiſſimorum hominum peſſimis criminibus foedatam ac corruptam, aquis luſtraret: eoque lubentius credunt, luſtrales aquas ex hoc fonte apud Ethnicos profluxiſſe, quod S. Petrus BAPTISMVM orbis Chriſtiani καθάρσιον, diluvio ἀντίτυπον eſſe dixerit (2).

Praecipuum hoc antiquiſſimae religionis caput apud Etruſcos, peculiarem ac valde luculentam diſſertationem poſtulat. Nunc vero paucis tangam, quae obſervatu digna ſunt; in aliud tempus lautiora daturus, atque hanc celeberrimam luſtrationem elucidaturus. Figurae, quae in Sepulcro marmoreo, relato num. I. ſculptae viſuntur, ſunt tredecim. Primum iuvenis, qui initiatur, nudo capite, praelonga veſte ſine manicis indutus, cingulo praecinctus cernitur: quem adprehenſum in ulnis ita tenet elevatque parte dextra eius Suſceptor, militari habitu & chlamyde amictus, caput habens pileo tutulato adopertum, ut arae rotundae, encarpiis coronatae, incubare faciat, & ut aqua ſuperfuſa, e capite eius in ipſam aram effluat. Ad ſiniſtram Sacerdos, ſive ſacrorum Rex tutulatus, ſacerdotalibus veſtibus & toga, duplici clavo diſtincta, conſpicuus, dextra manu pateram invergit ſuper caput eiuſdem iuvenis, qui initiatur, ſolemnique ritu eum baptizat. Laeva manu aliquid praefert: non veſtem, ſed forſitan faſciculum hyſſopi, quam in purgationibus magnae vis fuiſſe, etiam Ethnici obſervarunt

runt

(1) Vide Io. Spencerum de Leg. Hebraeor. Vol. II. Lib. III. Diſſert. III. Cap. II.

(2) Epiſtol. I. Cap. III. verſ. 21. & Geneſeos Cap. VII. verſ. 11.

runt adhibueruntque (1). Hinc inde circumſtant Myſtae, inter quos alii duo capite gerunt tutulum, ſacerdotale inſigne: e quibus alter, qui adſtat iuxta Sacerdotem baptizantem, utroque genu flexo, humi provolutus conſpicitur. Eſt etiam Myſta chlamydatus, qui praelongo conto ad aram admoto, omni conatu ita eam ſiſtit, ne collabi poſſit: vel hoc fieri ſolebat, ne ſacrum malo aliquo omine diſturbaretur: vel forſitan ut impediretur Sacerdos ſi fugam cuperet adripere; nam ita ſculptus videtur, ut pedibus non conſiſtat, ſed quaſi fugam ſimulet. In aliis huiuſce generis Etruſcorum ſculpturis, ſacrum BAPTISMA referentibus, ut in adlata num. II. arae quadratae confectae ſunt: quarum etiam in medio ardet ignis, qui, ut in adlata Vrna, in terram cecidit, quod veteres male ominoſum exiſtimarunt. Iuxta Suſceptorem tres alii Myſtae, qui & Epoptae dicebantur, circumſtant, quorum alter, eodem modo in terra poſtratus, pedes initiati retinere videtur.

Inter hos Myſtas duae etiam feminae adſiſtunt, officium ſuum implentes, vel, ut in aliis huic ſimillimis Sepulcris veterum Etruſcorum, ferculum vel agnum deferunt, vel cymbalum pulſant. In medio unus e collegio Vatum adſtat, tabulam utraque manu ſublatam deferens, e qua axamenta, ut reor, canit, nimirum carmina in laudem eius viri, qui BAPTISMA ſuſcipiebat. De his ita Feſtus: *Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis Sacerdotibus canebantur, in univerſos homines compoſita; nam in Deos ſingulos verſus facti, a nominibus eorum adpellabantur, ut* Ianulii, Iunonii, Minervii. Haec ſacra carmina, quae cantari ſolebant, in axibus ſeu tabulis deſcripta fuiſſe videmus: quod quidem Ioſephi Scaligeri opinionem in eum Feſti locum confirmare poteſt.

Interſunt etiam ſolemni ſacri BAPTISMATIS traditioni e ſuis collegiis Fidicen, qui fides citharae ſeu lyrae plectro pulſat, & Tibicen, qui canit paribus tibiis; nam ad tibiarum cantum mos apud Etruſcos fuit clarorum virorum res geſtas cantare. Hinc exemplum Romani accepere, qui in ſacris, praeſertim publicis, Tibicines & Fidicines, inſtitutis eorum collegiis, intereſſe ſanxerunt (2).

Etruſci BAPTISMATIS traditionem expreſſam eſſe in hac perinſigni Vrna marmorea, quae exſtat Perusiae in aedibus Nobilium Comitum Anſidaeorum praeteriit, neque obſervavit Ampliſſimus Senator Bonarrotius; nam pictor apud Dempſterum in Tab. IX. num. II. multa cum incuria & oſcitantia, uti & alia Sepulcra, quae BAPTISMATIS luſtrationem referunt, & Tabulam XXXVII. num. I. & II. delineavit; quare nil mirum, ſi haec oculatiſſimum

Vv 2 Bo-

(1) Ex Porphyrio de Abſtinen. Lib. IV. §. VI. (2) Roſinus Ant. Rom. Lib. III. Cap. XXXI.

Bonarrotium ſugerunt. Quum verſaret Peruſiae, contuli Dempſterianas Tabulas cum his archetypis: quae quum vidiſſem nec diligenter, nec fideliter expreſſa, rurſum, me praeſente, a meo pictore accuratiſſime delineanda curavi. Bonarrotius a pictore deceptus, qui longe ab oculis ſuis haec delineavit, cenſuit, in hac Vrna repraeſentari Bacchi myſteria; ei enim videbatur miles ille imaginem pueri Dionyſii in lebetem coniicere: ad fabulam reſpiciens, qua ferunt (1), Dionyſium puerum cum Curetibus choreas ducentem, crepundiis deceptum, dilaniatum fuiſſe: cuius membra primum in lebete elixaverint, & deinceps verubus infixa igne aſſaverint. Longe aliter res ſe ſe habet: equidem nullum heic lebetem cerno, ſed aram rotundam, in aliis Sepulcris quadratam, modo frigidam, modo ignitam: eum vero, quem luſtrat Sacerdos, non nudum, ſed tunica forſitan lanea, eaque alba ſatis longa veſtitum conſpicimus, qui color ſacris initiatis convenit. Ipſum anaglyphum marmoreum eſt in quibuſdam locis mancum & detritum; verum quae ſuperſunt, a ſchemate delineato, & in hoc opere edito, minime variant.

Accedit, quod complura huic ſimilia Sepulcra Peruſiae occurrunt: nulla vero cum hoc emblemate in aliis totius Etruriae urbibus obſervavi; quare ſuſpicari pronum eſt, Peruſiae frequentius haec ſacra Etruſcorum tradita fuiſſe: vel quia in ea urbe, quae inter Etruriae capita numerabatur, locus fuit peculiaris huic ſacrae luſtrationi deſtinatus: vel quia tam ſolemniter alibi non tradebantur: & forſitan ibi magnus Sacerdos & Rex huiuſce ſacri Etruſcorum in honorem DEI MITHRAE, ſedem habebat.

In altera Vrna marmorea, quae ſequitur, quaeque adſervatur in ſuburbana Villa Vgolinia, quarto a Peruſia lapide, orantis ritu iuvenis ille, qui initiatur, manus expandit: e cuius ſiniſtro brachio ſoluta corolla, e lauri foliis conſerta, dependet; nam lauri ramos in ſacris expiationibus adhiberi ſolitos, ſatis exploratum eſt (2). Illud vero obſervatu dignum, quod tum Sacerdos, tum etiam Miniſter prope eum ſtans, eo corporis motu ac geſtu ſculpti ſunt, ut fugam vel metum indigitent. Miniſter etiam, ut in aliis Vrnis, dextra manu firmum atque immobile tenet caput Sacerdotis BAPTISMA miniſtrantis: quod etiam fit, dum alio ritu piaculum Etruſcorum celebratur, ut videre eſt in alia Vrna apud Dempſterum Tab. XXXVI. Quid vero hic geſtus ſignificet, alibi explicabimus. Accedit ad ſacrum femina, ovem in ulnis deferens

pro

(1) Vide Clem. Alexandrinum in Admonit. ad Gentes, & Euſebium de Praeparatione Lib. II. Cap. VI.

(2) Ex Theocrito Idyll. XXIV.

pro expiatione peccati ; nam initiatus pecuniam λύτρον, vel huiuſmodi animalia legituma offerre debebat.

In hac baptiſmali luſtratione credi poteſt adhibita potius aqua marina, quam naturalis, vel e puteis vel e fontibus ac fluviis petita. Siquidem putabant, ut auctor eſt Proclus, aquam marinam vim purgandi magnam habere ; eo quod ſalis ſit particeps, qui aliquam in ſe continet ignis particulam : ideoque Gentilium Sacerdotes ea in luſtrationibus ſuis utebantur, eaque adſpergebant, quae luſtrare volebant: ſordes vero luſtrati hominis in mare proiiciebant (1). Res ſacras ſingulari puritate tractandas ipſi quoque Ethnici ſanxerunt ; quapropter nec vota nec ſacra facienda illotis manibus : neque ad ſacra accedendum, niſi puris ac mundis veſtibus : & vaſa dumtaxat munda in ſacro miniſterio adhibenda omni cum puritate cenſuerunt.

Ex adlato ſuperius Tertulliani teſtimonio apertiſſimum eſt, BAPTISMVM ad ſacra MITHRAE myſteria pertinuiſſe : quod etiam alibi idem Tertullianus declarat (2): *Nationes*, inquit, *ſacris quibuſdam per* LAVACRVM *initiantur, Iſidis alicuius, aut* MITHRAE. *Ipſos etiam Deos ſuos lavationibus efferunt. Ceterum villas, domos, templa, totaſque urbes adſpergine circumlatae aquae expiant paſſim. Certe ludis Apollinaribus & Eleuſiniis tinguntur : idque ſe, in* REGENERATIONEM *& impunitatem periuriorum ſuorum, agere praeſumunt*. Ex his vero genuinis Etruſcorum monumentis liquet, initiatum MITHRAE myſteriis, non ſolum aqua lotum ac baptizatum, verum etiam igne probatum fuiſſe ; nam in aliis ſculpturis idem Mithriacus initiatus aquam Baptiſmatis ita ſuſcipit, ut admotus ad aram a Suſceptore, ignis in ea accenſi flamma aduratur : quod quidem probationis genus, aliquando factum, aliquando etiam praetermiſſum, ex iiſdem Etruſcis Vrnis colligimus.

Haec in honorem DEI MITHRAE, quem Etruſci quoque peculiari religione coluere, eumdemque cum Sole credidere (3): cuius etiam ſimulacrum aheneum ſupra dedimus in Tab. XXXIIII. agebantur ab inſanis eius cultoribus : quae quidem a Perſis & Chaldaeis accepiſſe credibile eſt ; nam apud eos celeberrima MITHRAE myſteria fuiſſe compertum eſt. Aegyptiis quoque adſimile BAPTISMA, in ſacris Iſidis celebratum, colligimus ex Tertulliani ſuperius citato teſtimonio, & ex hoc Apuleii (4): *Sacerdos, ſtipatum me religioſa coborte, deducit ad proximas balneas : & prius ſueto* LAVACRO *traditum, praefatus Deûm veniam, puriſſime* CIRCVMRORANS *abluit*.

Mi-

(1) Ex Homero Lib. I. Iliad. verſ. 313.
(2) De Baptiſmate Cap. v.
(3) Ex Strabone Lib. xv. Suida, Heſychio.
(4) Metamorph. Lib. IX.

MITHRAE initiati ac Myſtae, tamquam novo militiae ſacramento auctorati, milites DEI INVICTI dicebantur; quare in his etiam Etruſcorum ſculpturis, tum Sacerdos, qui initiat, tum etiam Suſceptor initiati, ac circum aram adſtantes Myſtae, omnes militaribus ornamentis inſignes ſunt. Exſtat inter Donianas Inſcriptiones ara Romana (1), quam MITHRAE DEO INVICTO ex voto ſuſcepto dedicatam fuiſſe ſuſpicatus ſum, quod a L. Aponio Chryſomallo poſita fuerit OB GRADVM PERSICVM; quia a Perſis MITHRAE cultus & myſteria manarunt. Complures enim fuere gradus probationum, quas ſi initiati patienter ferrent, tunc demum perfectiora myſteria edocebantur: de quibus paullo inferius dicam.

TABVLA CLXXIII.

SACRA MITHRIACA
apud Etruſcos etiam igne peracta, ad purgationem & expiationem animae, & quo ritu, ex Etruſco Vaſe declarantur.

NOn minorem in igne quam in aqua purgandi vim ineſſe, veteres Etruſci credidere: e quibus elementis quum omnia conſtare arbitrarentur: nec ignorarent, aquis diluvii mundum purgatum renatumque, & in fine ſeculorum igne renovandum (2); ob id homines quoque criminibus obnoxios, ad meliorem frugem puritatemque vitae, per aquam & ignem reſtituendos eſſe non dubitarunt. Nullam in homine corporis partem expiatione vacare debere exiſtimarunt: linguam melle ab omni peccato expurgabant, ut tradit Porphyrius (3): per quinquaginta dies ieiunare, verſari in ſolitudine, biduum flagris caedi, in nives viginti dies immitti, & alia huiuſmodi per gradus perpeti voluerunt (4). Addit Gregorius Nazianzenus (5) in SACRIS MITHRIACIS cruciatus, ſtigmata notaſque, aut etiam myſticas VSTIONES initiatos ſuſtinuiſſe.

Quo nam autem modo hae uſtiones fierent, oſtendit Etruſcum

(1) Claſſ. 1I. num. 12. pag. 66.
(2) Scriptorum veterum teſtimonia adducit Lomeierus de Luſtrationibus veterum Gentilium Cap. XIX. quem vide.
(3) De Antro Nymph. pag. 260.
(4) Vide Phil. a Turre de Mithra Cap. V.
(5) Orat. 11I. Stileut. in Iulianum. Vide Cl. Montfauconium in Diar. Ital. Cap. XIV.

ſcum Vaſculum, picturis inſigne, ac maxime ſingulare, quod adſervatur in Muſeo V. Cl. Abbatis Ludovici Conſtantii: quodque peraccurate delineatum ad me miſit Clariſſimus Praeſul Ioannes Bottarius, de antiquitate optime meritus. Itaque, ut eius perrarum emblema deſcribam, cernitur DEI MITHRAE ſimulacrum impoſitum baſi & faſtigio valde eminenti, reconditumque in aedicula, duabus columnis ſuffulta. Neque vero, quia in adlata Tabula XXXIIII. ſpecie iuvenis MITHRAM effictum vidimus, cenſendum eſt, hanc effigiem ei minime convenire poſſe. Haud enim eum dedecet barba, quam vetuſtiſſimo exemplo ei Perſae & Chaldaei tribuerunt (1), atque etiam Aegyptii, qui pari modo Bacchum primum, antiquiſſimum, atque etiam Indicum, cum talari veſte (2), & Mercurium (3) barbatos effinxere: eoque modo Etruſci noſtri Ianum expreſſerunt: qui Dii, uti & MITHRA, idem ac Sol habiti ſunt (4). Maxime vero peculiaris eſt cultus veſtium; nam iiſdem fere, quae etiamnum apud nos in uſu ſunt, Sacerdotum veſtibus, palla ad imos pedes demiſſa, & pallio, veluti ſuperhumerali, amictus cernitur. His veſtibus DEVS MITHRA exornatur, vel quia tamquam princeps Sacerdos ea ſacra inſtituiſſe creditus eſt: vel etiam, quia Dii alba defluente, & veſte ſatis prolixa ſacris adparere cenſebantur: iidemque cum hoc ornatu, ad virtutem & maieſtatem magis teſtandum, ut adparerent, invocabantur exorabanturque (5).

Igitur ante imaginem MITHRAE, duo viri, ad imitationem eiuſdem Dei, cui ſe devovebant, cultumque & ſacra ſilentia iurabant, eodem modo barbati, ad focum in humo accenſum, ſimul expiantur; ſed diverſo plane expiationis modo. Nam, qui in dextra eſt, toto corpore nudus, velatis panniculo dumtaxat pudendis, iacet in carruca, manetque immobilis, ligatis manibus ac pedibus, quaſi reus, & criminum conſcius; pedibuſque dumtaxat ad ignem, qua in parte acrior eſſe ſolet, admotis, expiatur. Alter, qui laevam tenet, quaſi iam tyrocinium faciens, ad alios maiores gradus luſtrationis poſtea aſcenſurus, toto corpore liber, indutus tunica oblonga, pariterque ſuccincta & manuleata, laevo genu tantum humi flexo, dextro incurvato innixus, MITHRAM ſuſpi-

(1) Vide Iul. Caeſ. Bulengerum in Eclog. ad Arnobium Cap. VI. Philippum a Turre de Mithra Cap. III.

(2) Ex Diodoro Sic. Lib. III. & Lib. IV. pag. mihi 138. & 149. Pauſania in Corinthiacis Lib. II. Cap. XXX. Vide Bonarrotium ad Numiſm. max. mod. pag. 440. Muſei Flor. Tom. II. Gemm. Tab. VI.

(3) Vide quae obſervavi ad Muſei Flor. Tom. I. Gemm. Claſſ. IV. pag. 138.

(4) Ex Macrobio Sat. Lib. I. Cap. XVIII. & Cap. XIX.

(5) Ex Tibullo Lib. III. Eleg. IV. verſ. 35. Lib. IV. El. IV. verſ. 35. Propertio Lib. II. Eleg. XXI. verſ. 16. Adde Virgilium Aeneid. Lib. I. verſ. 404.

ſuſpiciens, iunctas manus ad extremum flammae apicem adurit. Perſpicue igitur videmus ex hac inſignis Vaſculi pictura, quomodo Etruſci SACRIS MITHRIACIS initiati, igne probati fuerint: ac pariter quanta & quam intolerabilia a ſuis cultoribus ſibi tribui voluerit Diabolus, qui eſt ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς. Id etiam faciebant miſeri homines deſiderio beatitudinis poſt mortem conſequendae; nam initiati ſacris hiſce myſteriis, poſt mortem ſtatim apud Elyſios in beatorum coetum admitti credebant: quare etiam Herculem, in Oeta monte combuſtum, ad Deos migraſſe, & ipſum Deum factum tradunt (1). Secus vero nocentes homines, qui nullum luſtrationis genus in vita percepiſſent, apud inferos pati poenas adſimiles luſtrationibus cum aëre, aqua, & igne inſtitutis, credebant, quas ita Virgilius deſcripſit (2):

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci laeta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.

Quamvis autem haec luſtratio, percepta ad ardentis ignis flammas, privata videatur, nullo adſtante Sacerdote, eamque praebente; tamen in loco religioſo peractam, ac forſitan in templo eiuſdem Dei MITHRAE, ante eius imaginem, quod auget huius probationis ſeu καθαρμοῦ dignitatem, ſuſpicari poſſumus. Fiebant pariter huiuſmodi luſtrationes non ſolum igne, verum etiam fumo & ſulphure, & taedarum ardentium mutua per manus traditione, quarum frequens mentio apud Lucianum. Interdum etiam peractae memorantur titione ardente ex ara ſumro, quum victima adolebatur, eoque in vaſe luſtralis aquae merſo: qua, ut docet Euripides (3) & Athenaeus (4), eos, qui adeſſent, conſperſos purificabant.

Quod vero vir ille τελεσχέμενος, nudus, in carruca poſitus ſit, dum igne expiatur, etſi id rei peragendae, & corporis commodo

(1) Vide Lucianum in Hermotimo Tom. I I. pag. 182.
(2) Aeneid. Lib. VI. verſ. 739. Vide etiam Servium ibidem.
(3) In Hercule fur. verſ. 928.
(4) Deipnoſoph. Lib. IX. Cap. XVIII.

modo fieri potuit; video tamen, Etruſcos tanto honore proſecutos eſſe homines ſacris myſteriis initiandos, ut eos ad myſteria in curru deducere & comitari conſueverint. Huius honoris & dignitatis eximium exſtat exemplum in Tabula XLVII. Operis Dempſteriani, e pictura inſignis Vaſis Etruſci deſumtum: in quo iuvenis, triumphantium more, corona redimitus, dextra craterem, ſiniſtra vel ſceptrum, vel potius aſpergillum praeferens, procedit, ut etiam explicat Cl. Bonarrotius (1), ad Cereris ſacra myſteria Eleuſinia celebranda, quae proculdubio Etruſcis cognita atque in uſu fuere: & quod obſervatu dignum, ſedet in curru alato, a dracunculis tracto, ad imitationem currus eiuſdem Cereris, cuius ſacris erat initiandus; nam eum praecedunt tres feminae, quarum proxima facem ardentem & hamulam praefert, altera craterem, tertia vero amiculum e capite tollit: deinde initiando occurrit Sacerdos coronatus: nec procul etiam poſita cernitur ara, ad quam profiteri & iurare debebat. Currum ſequitur altera femina cum face ardente: poſt hanc laureato capite venit ſacrorum Rex, tenens haſtam ſeu ſceptrum: demum femina lancem ſeu craterem oſtentat. Igitur perſpicuum eſt, apud Etruſcos in uſu fuiſſe, ut homines ſacris myſteriis initiandi, ſedentes in curru deducerentur, ac ſolemni pompa & comitatu honorarentur.

Memorant multi nobiles ſcriptores, cumprimiſque Virgilius (2), Strabo (3), Plinius (4), & ex eo Solinus (5), haud procul Vrbe Roma in Faliſcorum agro, perpaucas exſtitiſſe familias, quas *Hirpias* dicebant, quae ad Soractem montem, annuum ſacrificium in honorem Apollinis facientes, per ignem ambulare conſueverunt, quae tamen non adurebantur. Hoc ſacrum haud cenſeo in hoc eximio Vaſculo expreſſum eſſe; nam viri illi ab his longe diverſi videntur: nec aliud ſacrum, quam MITHRIACVM, cum probatione ignis peractum exhiberi, multa, quae adnotavimus, ſuadent.

Ceterum ſalitio per flammas, piaculi cauſa fiebat ad placanda Numina, quod a Romulo antequam aeternae Vrbis moenia conderet, & in Palilibus factum ſcimus (6). Id quoque factitatum conſtat a virginibus in honorem Perſicae Dianae, cuius templum ſummae religionis fuit Caſtabili Ciliciae oppido (7). Conſuevere etiam parentes, ut notum eſt ex divinis Libris (8), filios ac filias ſuas tranſducere per ignem, non ſolum ut eos purgarent; ſed ut hoc ritu idolorum ſuorum cultui aeternum conſecrarent.

(1) Ad Monum. addita Dempſt. §. x.
(2) Aeneid. Lib. xi. verſ. 785.
(3) Geograph. Lib. v. pag. 226.
(4) Hiſtor. Nat. Lib. vii. Cap. 1.
(5) Cap. 11. & vide Salmaſium pag. 60.
(6) Ex Dionyſio Halicarnaſſ. Lib. 1.
(7) Vide Seguinum in Numiſ. ſel. pag. 12.
(8) Regum Lib. iv. Cap. xvi. & xvii.

TABVLA CLXXIIII.

SACRA MITHRIACA cum effuſione ſanguinis ſuſcepta apud Etruſcos: an id etiam factum in honorem VENERIS, HECATAE, MATRIS DEVM *&* FVRIARVM*. De victima humana, iuvenum puerorumque immolatione.*

SIncera haec & genuina veterum Etruſcorum monumenta, quae exhibent MITHRIACOS initiatos, quos milites vocat Tertullianus (1), diſtricto gladio, non alieno, ſed proprio cruore in honorem DEI MITHRAE ſe expiantes; apertiſſime evincunt, Diabolum, infenſiſſimum CHRISTI Servatoris noſtri hoſtem, quamplurimis ſeculis ante exordium Chriſtianae religionis, ſeſe ei obiicere, & obviam ire omni ope & calliditate conatum eſſe. Etenim quia iam ab initio praeſenſerat, eum pretioſo ſuo ſanguine quandocumque redemturum humanum genus (2), innumeroſque Martyres inde prodituros, qui eius glorioſum nomen toto terrarum orbe palam confiterentur; idcirco ei ſe opponens, ſimulacrum ſuum, MITHRAE nomine, obcaecatis cultoribus adorandum propoſuit: & quemadmodum IESVS CHRISTVS Dominus noſter, virtute ſua, Sol, Ignis, Leo, Victor adpellari meruit; ita & hic vaferrimus hoſtis, Sol, Ignis, Leo, atque etiam Invictus dici voluit (3): quin etiam, ut novo militiae ſacramento deceptos omni fraude cultores ſuos obſtringeret, ac nefariae ſuperſtitionis iugo ſubiiceret, MITHRIACA ſacra ubique gentium invexit. His per varios gradus traditis, Baptiſmi ſacroſanctum myſterium adumbravit ac praevertit, expiationem delictorum, & interioris hominis renovationem de lavacro repromiſit, ut verbis utar Tertulliani (4). Inſuper divinae Euchariſtiae imaginem ingeſſit, propoſito in iiſdem ſacris pane & poculo aquae, ut conſideravit Iuſtinus Martyr (5): & hoc amplius publicam exegit ſcelerum confeſſionem, igneque ſuos initiatos probari praecepit: quae omnia

quum

(1) De Baptiſmo Cap. v.

(2) Vide D. Auguſtinum in Cap. 1. Ioannis Tract. VII. num. 6. edit. Bened. Tom. III. part. 2. pag. 344.

(3) Phil. a Turre de Mithra Cap. v.

(4) De Praeſcriptionib. Haeretic. Cap. XL.

(5) Apolog. II. pag. 98. edit. Pariſien. Graecolat. MDCXV.

quum patienter tuliſſent, ad penitiorum myſteriorum religionem iam provectis, ſummam in vita & poſt mortem felicitatem ſpopondit, quam dare minime potuit. Haec omnia dum cernimus apertiſſime teſtata in vetuſtiſſimis ſculpturis Etruſcorum, e quibus maiores noſtri orti ſunt, gratias omnipotenti Deo agamus perpetuas, qui nos, ineffabili ſua pietate, de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum, fecitque genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis [1].

Igitur ex octoginta gradibus ſuppliciorum, forſitan praecipuus ac ſummus fuit, cruentum illud martyrium, quod ficte ſubire cogebantur, qui MITHRIACA SACRA perficere voluiſſent; nam iuvenis ille initiatus, ut cernere eſt in Tab. CLXXIIII. num. 1I. palmam, ſuae confeſſionis & teſtimonii praemium, laeva tenet: dextra vero quum gerat diſtrictum gladium, eo ſe percuſſiſſe indicat, & ſuo ſanguine aram DEI MITHRAE reſperſiſſe, cui flexo dextro genu innititur. Neque vero ſolam palmam arbitror in praemium traditam his initiatis, qui ſanguinem ſuum profudiſſent; verum honoris cauſa pileum quoque, ſive mitram & tiaram Perſicam, quam in his Etruſcorum monumentis peculiari ornatu factam cernimus, quam etiam in his tantum cruentis ſacris initiati praeferunt; ceteros vero homines, reliquis minoris ordinis SACRIS MITHRIACIS devotos, caput nudum habere videmus. Hoc inſigne capitis Mithriacorum militum indigitare videtur Tertullianus, qui exprobrans fidelibus, quod caput, diademati Chriſti reſervatum, roſis & auro damnarent, ita ait [2]: *Erubeſcite commilitones eius* (CHRISTI) *iam non ab ipſo iudicandi, ſed ab aliquo* MITHRAE *milite: qui quum initiatur in ſpelaeo, in caſtris vere tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi* MIMVM MARTTRII, *dehinc capiti ſuo accomodatam, monetur obvia manu, a capite depellere, & in humerum, ſi forte, tranſferre, dicens,* MITHRAM *eſſe coronam ſuam; atque exinde numquam coronatur: id quod in ſignum habet ad probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacramento: ſtatimque creditur* MITHRAE *miles, ſi deiecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit. Agnoſcamus ingenia Diaboli, idcirco quaedam de divinis adfectantis, ut nos de ſuorum fide confundat & iudicet.*

Ex his Tertulliani verbis explicari forſitan poteſt, qui ſit alter iuvenis, qui dextram manum ita capiti ſuo imponit, ut ex eo videatur in humeros reiicere pileum, quo coronatur. Hoc geſtu facile teſtatur, ſe iam probatum eſſe, ſolumque MITHRAM agnoſcere coronam ſuam. Siniſtra eius manus, iniuria vel tempo-

(1) Ex Epiſt. D. Petri Cap. 1I. verſ. 9.

(2) De Corona milit. in fine.

rum vel foſſorum, trunca eſt, nec facile eſt divinare, quid ea praetulerit.

Haec mihi conſideranti, illud mirari ſubit, Diabolum feminas quoque ad hoc nefarium martyrii genus non inſtigaſſe, ut etiam hoc capite divini AGNI gloriam aemularetur, quem tot inclytae virgines, ſanguine effuſo, cum martyrii palma ſecutae ſunt; nam in antiquiſſimis hiſce aliiſque ſculpturis, quae in Etruria frequenter erutae ſunt, praeſertim in agro Volaterrano finitimiſque locis, & circa caſtrum Pognam, his MITHRIACIS SACRIS humano cruore foedatis, numquam feminae initiatae obſervantur: eae tamen adſtant, ut vidimus, tamquam miniſtrae, ſolemni Baptiſmati ceteriſque luſtrationibus, quas elucidavimus ad Tab. CLXX. CLXXI. & CLXXII. Has coniicit egregius Antonius Van-Dale adpellatas fuiſſe *Matres Sacrorum*, quemadmodum Sacerdos Sacrorum Mithriacorum, *Pater*, atque etiam *Pater Patrum*, & *Pater Patratus* vocabatur; id teſtante Eunapio & vetuſtis inſcriptionibus (1).

Iuxta initiatum, mitra & palma donatum, notanda eſt praealta columella ordinis Ionici, in qua ſuperpoſita eſt nux pinea. Hanc inter myſteriorum ſymbola praecipuum locum habuiſſe, ſcimus ex Clemente Alexandrino (2), qui arcanas Gentium initiationes aperit ac refellit. Ad eamdem columnam adligata eſt veſtis militis Mithriaci, quae e clavo ſeu bulla dependet, quod multis de cauſis factum puto: forſitan ut initiatus meminiſſet, ſe MITHRAE DEO eiuſque ſacris iureiurando devinctum & obligatum fuiſſe. Id a me dictum, quia idem amiculum retinet initiatus, idemque columellae pariter adligatum cernitur. Ceterum in more poſitum fuiſſe ex Ariſtophanis Scholiaſte conſtat (3), ut homines veſtimenta illa, quibus induti erant, dum initiarentur myſteriis alicuius Dei, huic dedicata ſuſpenderent: alii contra ad faſcias infantium ea reſervabant, ut his involuti, aut liberi a faſcino eſſent, aut ſub eorum Deorum, quibus illi initiati fuerant, tutela eſſent. Alii numquam exuebant, donec omnino detrita ac diſſipata evaneſcerent. Exſtat apud me adſimilis Etruſca Vrna marmorea, ſed mutila, in qua unus ex circumſtantibus, dum MITHRIACVS ſanguinem fundit, in utrumque genu in terram proſtratus, aliquid agere videtur: forſitan quia ſanguis ille effuſus excipi ſolebat a myſtis, in varios uſus ſervari ſolitus.

Peractis ſacris, initiati ſive luſtrati, palmam tenentes, felicitatem ſuam teſtabantur, laetis vocibus clamantes: ἔφυγον κακὸν,

εὗρον

(1) De orig. ac rit. ſacri Taurobolii Cap. IV.
(2) In Admonit. ad Gentes pag. 11. & 12.
(3) Hunc citat & illuſtrat Van-Dale ibidem Cap. IV. pag. 50. 51.

εὗρον ἄμεινον: *effugi mala*, *reperi meliora*, uti ex Demoſthene (1) adnotarunt docti homines. Hinc obſervandum eſt, quod in compluribus titulis, quos in memoriam perceptorum myſteriorum ponere initiati ſolebant, frequenter illa adclamatio legitur FELICITER: & in alio penes Gruterum TAVROBOLIVM PERCEPI FELICITER. Fuit enim Taurobolium & Criobolium his ſacris valde adfine, de quo non eſt hic diſſerendi locus, quum ex his Etruſcorum ſacris, ſecutis temporibus, ortum habuiſſe facillime credam. His enim nunc primum adlatis Tuſcorum vetuſtiſſimis monumentis, manifeſte evincitur, MITHRIACA SACRA, compluribus ſeculis ante Chriſtum natum, non in Etruria ſolum, verum & in tota Italia viguiſſe, nec aliunde ad Romanos perveniſſe quam ab Etruſcis, atque a primaevis Italis: quod dum negat Antonius Van-Dale (2), hac in re valde alucinari perſpicuum eſt; ſed ei venia danda, quia haec ſincera Tuſcorum anaglypha opera, quae nuper in Etruria inventa ſunt, minime vidit.

MITHRIACIS initiatis ab adſtantibus quoque Epoptis & Myſtis adclamatum FELICITER & VIVAT, ad quae procul dubio Tertullianus adludens, ait: *Talia initiatus & conſignatus VIVES IN AEVVM*; nam in praeſenti ſummam animi tranquillitatem, priorum moleſtiarum vacationem augurabantur ſpondebantque: & poſt mortem meliora ſperare hortabantur. Haec promiſſa colligimus ex Apuleio, ſacris Iſidis initiato (3): *VIVES autem beatus, VIVES in mea tutela glorioſus: & quum ſpatium ſeculi tui permenſus, ad Inferos demearis, ibi quoque in ipſo ſubterraneo ſemirotundo, me, quam vides, Acherontis tenebris interlucentem, Stygiſque penetralibus regnantem, campos Elyſios incolens ipſe, tibi propitiam frequens adorabis. Quod ſi ſedulis obſequiis, & religioſis miniſteriis, & tenacibus teſtimoniis numen noſtrum promerueris; ſcies, ultra ſtatuta FATO TVO ſpatia, vitam quoque tibi prorogare tantum mihi licere.*

His breviter explanatis, ad alia ſacra, MITHRIACIS, ut reor, adfinia, in hac inſigni Vrna cineraria, Volaterris eruta, perveſtiganda, gradum facio. Cernitur ad dexteram, non longe a Mithriaco milite, Dea, quae nudo corpore aliſque expanſis adſtat, non ad Mithriacum initiatum, ſed ad alium iuvenem, qui gladio pectus ſuum vulneribus caedit, blando ore converſa. Amiculo caput obnubere videtur, quo ad dextrum latus recidente, eoque collecto manu dextera, pudenda ſua contegit. Non in hac tantum Etruſca Vrna, ſed etiam in aliis viſitur haec Dea: nec tantum moni-

(1) Oratione de Corona. Cap. 1. pag. 12. & 13.
(2) De origine & ritibus ſacri Taurobolii
(3) Metamorphoſ. Lib. XI.

monili , verum etiam armillis ornata Etruſco more , quae caput quoque ſuum amiculototum velat obnubitque . Iuvenis ille identidem & gladium & clypeum gerit , uti alibi obſervabimus . Haud ita facile dixerim , quae nam haec Dea eſſe poſſit . Credi haud difficulter poſſet VENVS MITHRA ſeu MITRA , cuius meminit Herodotus , agens de cultu Deorum apud Perſas (1) ; verum quum pervulgatam apud has gentes Solis adpellationem ſiluerit , vero admodum ſimile cenſet Philippus a Turre , vir eximii iudicii & eruditionis , eum memoria lapſum , vel ignorantia Perſicae linguae , vel falſa traditione deceptum , MITHRAE nomen , quod Solis erat , Veneri tribuiſſe . Credendum potius Straboni oculato teſti , qui in Perſide verſatus eſt , religionemque Perſarum curioſe perveſtigavit , licet eorum ſacra occulta non viderit , qui Perſas Solem tantum MITHRAM vocaſſe , coluiſſeque adfirmat : teſtatur etiam , eos coluiſſe Lunam , & Venerem , & Ignem , & Tellurem , & Ventos , & Aquam (2). Quare ſi quis teſtimonio Strabonis hanc Deam credat Venerem , quam Etruſci , Perſarum exemplo , coluere , ac forſitan ſacra communia cum DEO MITHRA vel valde adfinia retinuere , dummodo non dicamus & ipſam *Mithram* , ſive , ut aliqui volunt , *Mitram* adpellatam fuiſſe , cuius nemo unus praeterquam Strabo meminit , non refragabor .

Probabile eſt , quod ea ſit VENVS INFERA , ſive , ut Romani dixere , LIBITINA , eadem ac PROSERPINA ſeu HECATE , cuius imagines ſupra dedimus in Tabula LXXXII. & LXXXIII. Hanc Argivi Τυμβωρύχον dixere ; quod ſepulcra effodiat , reique funerariae praeſit , ut docet Clemens Alexandrinus (3) . Eadem etiam dicta Επιτυμβία : cuius , ut auctor eſt Plutarchus (4) , Delphis fuit pulcherrimum ſimulacrum , ad quod , dum ſacras libationes faciebant , manes evocabant defunctorum ; quare hinc coniecturae locus haud improbabilis , quod Etruſci ante eius imaginem inter ſepulcra defunctorum ſanguinem hominum ad id mercede conductorum , effundere conſueverint , ut ita pro mortuis expiationem facerent . Porro Venus Libitina Lunam ſignat , quatenus eſt corruptionis cauſa : eamque idcirco tum principio vitae , tum fini praeeſſe crediderunt (5) . Accedit Pauſaniae teſtimonium magnae auctoritatis , qui Venerem Οὐρανίαν , *Caeleſtem* , e Parcis unam crediſſe mortalium vetuſtiſſimos adfirmat (6) , & quidem natu maximam , quippe quae rerum praeſit generationi ; quemadmodum etiam Fortunam

(1) Lib. I. Cap. CCCXXXI.
(2) Geograph. Lib. XV. pag. 732.
(3) In Admonit. ad Gentes pag. mihi 24.
(4) Vide in Cauſis &c.
(5) Voſſius de Idol. Lib. II. Cap. XXVII.
(6) In Atticis Lib. I. Cap. XIX.

nam eſſe unam Parcarum (1), eamque ſororibus poteſtate antecellere, tradit (2). Nec mirum, hanc Deam cruentis hiſce expiationibus cultam fuiſſe; quandoquidem obcaecati illi homines, his perceptis luſtrationibus, ad novam vitam ſe renaſci & regenerari credebant: quibus rite perfectis, quaſi natalem diem novae militiae celebrarent, oleo odorato perfundebantur (3), epulis reficiebantur, ut vidimus, mel guſtandum praebebatur: nec ſolum palma, ſed etiam mitra, &, ut apud alias quoque nationes in more poſitum, coronis pulcherrimis donabantur (4).

Quia vero in Theſauro Romanarum Antiquitatum (5) complures arae & tituli leguntur, qui oſtendunt MITHRAE ſacra cum ſacris MAGNAE DEVM MATRIS coniuncta, iiſdemque ſimillima fuiſſe; haud erit, opinor, abſurdum conicere, eam Deam alatam, eſſe poſſe CYBELEN, quae ex Phoenicum Theologia eadem eſt ac VENVS, Aegyptiis vero ISIS: quemadmodum SOL MITHRA idem eſt ac OSIRIS ſive SERAPIS (6). Porro in Magnae Deae ſacris, Gallos (ita initiatos vocabant) virilia ſibi teſta Samia exſecuiſſe, brachia etiam & lacertos ferro cruentaſſe, proprioque cruore praeſentis Deae ſimulacrum adſperſiſſe, iam apud eruditos probe exploratum. Satis erit Statii verſus adferre (7):

Sic Thryga terrificis genitrix IDAEA *cruentum*
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro
Scire vetat: quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineoſque rotat crines, ac vulnera curſu
Exanimat. ——————————

Idcirco eiuſdem Deae ſimulacrum, quod portatile fuiſſe videtur, in flumine lavare ſolitos legimus, ut ſanguinis maculas delerent.

Neque etiam ab his ſacris abludit nux pinea ſuperpoſita columnae, ut cernimus in adlata Vrna Etruſca. Memorat Lampridius (8), Commodum Imperatorem Sacra Mithriaca homicidio vero polluiſſe: Bellonae ſervientes vere exſecare brachium praecepiſſe, ſtudio crudelitatis: Iſiacos vero pineis uſque ad perniciem pectus tundere coëgiſſe. Initiatis Deae Syriae, quae eadem eſt Magna Deûm Mater, ut auctor eſt Lucianus (9), lingua incidebatur: iidem-

(1) In Achaicis Lib. VII. Cap. XXVI.
(2) Vide Voſſium ibid. Lib. II. Cap. XLIV.
(3) Ex Iulio Firmico.
(4) Vide Suidam in voce Ατύκη.
(5) Vide Gruterum pag. XXVIII. 2. 6.
(6) Vide Voſſium de orig. & progr. Idolol. Lib. II. Cap. X.
(7) Thebaid. Lib. X. verſ. 170. Vide Voſſium de Idolol. Lib. II. Cap. LIII. Saubertum de Sacrificiis Cap. XXVII. Lomeierum de Luſtration. Cap. XXII. Reineſium in Synt. Inſcr. Claſſ. I. num. 40. 41. 42. 220.
(8) Cap. XIX.
(9) De eadem Dea Syria.

iidemque verberabantur caedebanturque. Perpauca haec de ſacris eiuſdem Deae delibata ſufficiant: mox nonnulla ſubiiciam in explicatione ſequentis Tabulae CLXXV.

Cruentis hiſce ſacris praeſens adſtat, ut cernitur, in ſiniſteriore Etruſcae Vrnae parte altera Dea alata, induta ſuccincta veſte, cum faſciis ad pectus decuſſatis, quae facem, ut in funeribus fieri ſolebat, inverſam laeva tenet, dexteram vero manum, ut mos eſt miſerantium, ad initiatos protendit. Habitus ipſe & corporis ſpecies unam eſſe e FVRIIS haud obſcure declarat. Cum magna Deûm matre probe FVRIA coniungitur. Nam Diodorus (1), dum narrat originem ſacrorum Cybeles apud Phryges, qui quum nihil de cadavere Attidis vetuſtate conſumti haberent, imaginem adoleſcentis fecere, quam, lamentis & planctu honoribuſque aliis ad funus eius accommodatis, proſequerentur, memorat etiam, ob piaculum a ſe commiſſum, FVRIAS placaſſe. Neque abſurdum eſt, aliorum etiam Etruſcorum monumentorum teſtimonio (2), coniicere caeſam humanam victimam in honorem EVMENIDVM, earumque numen fuſo humano cruore placatum fuiſſe: quod etiam veteres ſcriptores teſtantur. Immane hoc ſacrificium, praecipue in funeribus virorum principum, uſurpatum fuiſſe arguit Cl. Bonarrotius (3); ut non tantum gladiatorum, qui tamquam humanae victimae habebantur, ſed etiam mactati hominis ſanguine Numina Tartarea erga defunctorum manes mitiora & propitia redderentur. Iuxta FVRIAM erecta eſt parva columella ſive cippus, in quo vetus veſtimentum, forſitan hominis initiati, impoſitum eſt: quae columella ſepulcrum vel manalem lapidem deſignare poteſt. Hunc enim, ut Feſtus docet (4), putabant eſſe oſtium Orci, per quod animae inferorum ad ſuperos manarent, qui manes dicuntur. Fiebant etiam fuſo humano ſanguine expiationes ſcelerum in honorem defunctorum, quorum animas, ſanguinis cupidiſſimas, ab Acheronte evocari credebant.

In altera Vrna Etruſca marmorea, Volaterris pariter effoſſa in praediis Franceſchiniis, puer e matris ſinu abreptus, quae in medio cernitur moerore tabeſcens, Diis immolandus ducitur. Adſtat etiam Sacerdos ſtricto gladio, quem vir chlamydatus adgreditur, eumque cohibere conatur. Feralem hunc ſacrificandi ritum vetuſtiſſimum eſſe, ante Abrahami tempora uſurpatum, & a Saturno traditum, compluribus ſcriptorum teſtimoniis adſtruit Ioannes

(1) Biblioth. Hiſt. Lib. III. pag. 135.
(2) Vide apud Dempſterum Tab. LXXXI. num. 1.
(3) Ad Monum. addita Dempſter. Operi §. XXIII.
(4) Vide pag. XCI. *Manalem lapidem*.

nes Marshamus (1). Deo *Moloch*, qui idem eſt ac Saturnus, ubique gentium vetuſtiſſimi mortalium, primique omnium Phoenices, Syri, Poeni, Pelaſgi, Etruſci & Latini humanas victimas, ac praeſertim pueros, immolare conſueverunt: quae viris doctis adeo perſpecta ſunt, ut de his fuſius diſſerere omnino ſit ſupervacaneum (2). Hercules, ut ferunt, in Italiam reverſus, ſuaſit, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent: inferrentque, non hominum capita, ſed oſcilla, ad humanam effigiem arte ſimulata, & lumina pro viris accenderent.

Quia vero in his feralibus Vrnis Etruſcorum haec puerorum immolatio exhibetur; veriſimilius eſt, has victimas in parentalibus defunctorum, in honorem Ditis patris ceterorumque Deorum Infernorum mactatas fuiſſe: quod etiam legentibus Dionyſium Halicarnaſſenſem (3) & Macrobium perſpicue liquet (4). Memorantur etiam viri principes ipſique Reges pro ſalute populorum, & ad propellenda urbium mala, peſtem ſcilicet, famem, aliaque exitia, immolati: quod & ab Etruſcis factum forſitan indicat Vrna, adlata in Dempſteriano Opere Tab. LXXXI. num. 1. ni etiam in hac velimus, Diis Inferis piaculum factum, caeſa humana hoſtia, repraeſentari: quae alibi fuſius & accuratius expendemus.

T A B V L A   C L X X V.

S A C R A   A C H E R O N T I C A

Sacra DEAE BELLONAE, ANCHARIAE *ſive* FVRINAE, *quae apud Etruſcos in uſu fuere, ex antiquiſſimis monumentis illuſtrantur.*

QVaenam fuerint SACRA ACHERONTICA, quove ritu & caerimoniis ab Etruſcis facta, ſicuti eorum auctor Tages inſtituit, nunc primum (quod neque a Dempſtero, neque a Bonarrotio declaratum fuiſſe video) auctoritate vetuſtiſſimorum marmorum, anaglypho opere exſculptorum, oſtendere in animo mihi eſt. Horum diſerte meminit Servius (5):

(1) Seculo v. pag. 77. 78.
(2) Vide Voſſium de orig. & progr. Idol. Lib. II. Cap. XI.
(3) Rom. Antiquit. Lib. 1. pag. 30.
(4) Saturnal. Lib. 1. Cap. VII.
(5) Ad Lib. VIII. Aeneid. verſ. 398.

traditque, ut rite fierent, Acheronticos libros a Tagete compoſitos Etruſcos habuiſſe, qui Sacra Deorum Inferorum, & Fatorum ſortes, averruncationes & impetrationes, aliaque praeſcripta continebant; nam ab Acheronte Tagetem prodiiſſe forſitan crediderunt (1). Lubet eius verba adferre, quia frequenter apud antiquos ſcriptores memorantur Etruſcorum libri ACHERONTICI; ſed de ACHERONTICIS SACRIS rarior mentio habetur. *Sed ſciendum ſecundum Haruſpicinae libros & SACRA ACHERONTIA, quae Tages compoſuiſſe dicitur, ſata decem annis quadam ratione differri.*

Quod vero SACRA ACHERONTICA (hoc nomine nuncupata ab Acheronte inferi regni fluvio) ad placandos Inferos Deos, & pro defunctorum Manibus fierent, ex Arnobio, ita contra gentes diſſerente, intelligimus (2): *Neque, quod Magi ſpondent, commendatitias habere ſe preces, quibus emollitae neſcio quae poteſtates, vias praebent ad caelum contendentibus ſubvolare: neque quod ETRVRIA in libris ACHERONTICIS pollicetur certorum animalium ſanguine, Numinibus certis dato, divinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta haec caſſa ſunt, & inanium ſomenta votorum: ſervare animas alius niſi Deus omnipotens non poteſt.* Fuſo igitur circa aras & ſepulcra Deorum Manium ſanguine, putabant Etruſci, hominum animas divinas fieri, eaſdemque evocatas ex infero ſpecu, in coetu beatarum collocari. Arnobius, ut opinor, id quod ſua tempeſtate fiebat adnotavit, confutavitque: at primo ac vetuſtiore aevo, humano ſanguine humanaque victima caeſa, ab Etruſcis parentatum eſſe extra omnem dubitationis aleam evincunt monumenta iam adlata, & quod nunc illuſtramus in Tab. CLXXV. Nam in hoc Sepulcro pro ferali emblemate ſculpti ſunt ſex homines, militari habitu inſignes, qui enſe & clypeo ſeu pelta armati, mutua caede digladiantur, ſuoque ſanguine aram in medio poſitam, cui genibus & pedibus inſiſtunt, lymphatico furore perciti, reſpergunt. Ex his duo ſemianimes, vulneribus acceptis in terram collapſi cernuntur: ceteri mutua nece ſe vulnerant. Quam hic mos ſit vetuſtus, ex eo etiam conſtat, quod ſapientiſſimus Legiſlator Deus haec omnino fieri vetuit Iudaeis (3): *Super mortuo non incidatis carnem veſtram: neque figuras aliquas aut ſtigmata ſaciatis*; id enim in carorum funere faciebant Syri, Scythae, aliaeque barbarae gentes (4). Id etiam apud Graecos in more poſitum; nam Achilles apud Homerum duodecim adoleſcentes Tro-

(1) Vide Voſſium de orig. & progr. Idol. Lib. I. Cap. XL.

(2) Lib. II. adverſus Gentes.

(3) Levitici Cap. XIX. verſ. 28.

(4) Vide Plutarchum in conſolatione ad Apollonium. Lucianum de Luctu.

Troianos Patrocli Manibus mactari iuſſit. Quia vero id nimium immane ac ſaevum viſum eſt, ideo ſontes homines, vel captivos vel perditos ſervos alioſve peregrinos mercede conductos, ſatius accipere conſultum eſt; quod ita adnotavit Tertullianus (1): *Officium mortuis hoc ſpectaculo facere ſe veteres arbitrabantur, poſteaquam illud humaniore atrocitate temperaverunt. Nam olim, quoniam defunctorum animas* HVMANO SANGVINE *propitiari credebant, captivos vel malo ingenio ſervos mercati, in exequiis immolabant: poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare; itaque quos paraverant armis, quibus tum & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi diſcerent: mox edicto die inferiarum apud tumulos enecabant; ita mortem homicidiis conſolabantur. Haec muneris origo; ſed paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem, quia ferrum voluptati non ſatisfaciebat, niſi & feris humana corpora diſſiparentur*. De Acheronte apud Tartarum fluvio, eius nomine ſituque, nihil dico; quum de eo Florentinus Cicero Benedictus Averanius luculenter diſſerat (2).

In Dempſteriano Opere Tab. LI. num. I. & II. Tab. LII. num. I. & II. & in aliis tribus ſequentibus complura Etruſca Sepulcra adferuntur, quae hoc ipſum emblema exhibent: &, ut arbitror, ad SACRA ACHERONTICA ſive piacula pro defunctis peracta referenda ſunt; in his enim non duo, ſed quatuor vel ſex homines, e quibus aliqui interdum exornati chlamyde viſuntur, vel ſe ipſos ad aram, vel alios circumſtantes vulneribus caedunt. In his quoque unus Buſtuariorum ſeu arae ſeu rudi ſaxo, taeniis quibuſdam quaſi reticulato opere revincto, innixus, ſibi vel aliis caedem intentat. Cetera vero Sepulcra, ut in Tab. LII. num. II. LIII. num. I. & II. LIV. num. I. & II. & Tab. LV. in quibus ara in medio poſita non cernitur, ni mea me fallit opinio, non ad SACRA ACHERONTICA, ſed ad funebres ludos pertinent. Hinc arguit Ampliſſimus Senator Bonarrotius (3), morem accepiſſe Romanos ab Etruria conducendi Gladiatores, qui in funeribus principum virorum ludos committerent, ſuoque ſanguine Manibus defunctorum parentarent.

Neque vero humano tantum ſanguine litatum Diis Inferis & Manibus, verum etiam fuſo caeſarum victimarum cruore, inlatiſque lactis, vini melliſque libamentis: quae dum peragerent, Deos Manes (Graecis Δαίμονες) ab Orco evocabant. Magna ſiquidem ſanguinis, cum hominum, tum animalium, habita eſt ratio, ad quem bibendum convolare animos exſangues putabant:

 quod

(1) Lib. de Spectaculis.
(2) Diſſert. LXXXIII. in Anthol. num. 14.
(3) Ad Monum. add. Dempſtero §. XXVI. pag. 39.

quod etiam apud Graecos ſolemne fuiſſe, tota oſtendit Homeri Νέκυα.

Quia vero in multis veterum Etruſcorum Sepulcris, quae paullo ante protulimus, frequenter, ut vidimus, pro emblematis ſculpta ſunt ſacra Mithriaca, quae tum pro ſe, tum etiam pro expiatione defunctorum percipiebant; haud ſane erit improbabile, quod in hoc ipſo Sepulcro exhibeantur SACRA BELLONAE, quibus qui initiabantur, ſe vulnerantes, aram eiuſdem Deae vel ſimulacrum proprio cruore adſpergere cogebantur. Habuit enim BELLONA, maximum ac praecipuum Etruſcorum numen, ſacra quaedam peculiaria, orgia, myſteria & ciſtas, item Ciſtophoros, ſacroſque Miniſtros & Hierarchas, qui ſacris initiationibus rite tradendis praeerant: quae quidem myſteria adeo celebria fuere, tantoque cultu tota Etruria frequentata, ut etiam ſub Caeſarum imperio, florentibus Romanorum rebus, diutius viguerint, ut oſtendi ad inſigne monumentum Ciſtophori aedis Bellonae Pulvinenſis, in Tab. VIII. inter Inſcriptiones Donianas relatum. Illud etiam me movet, quod viri illi, militaribus armis ornati, choreis circumire aram Deae videntur, inſano quodam furore correpti; idque accidebat, quia divino ſpiritu impleri ab eius numine credebant: eaque de cauſa abſinthium bibere ſolebant (1); quare vaticinia rerumque futurarum eventus, dum haec agerent, praedicebant. Haec ſacra in hunc modum egregie deſcribit & irridet Prudentius (2):

Sunt SACRA, quando voſmetipſi exſcinditis,
Votivus & quum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exſerit FANATICVS,
Sectiſque MATREM brachiis placat Deam:
Furere ac rotari ius putatur myſticum:
Parta ad ſecandum dextra fertur impia:
Caelum meretur vulnerum crudelitas.

Eodem modo ſaevitum in ſacris magnae Deûm Matris Ideae, Iſidis, Dianae Tauricae & Triclariae: ſiquidem probe compertum eſt, ut docet Apuleius (3), *BELLONAM*, *Matrem Deûm*, *Iſidem*, *Dianam*, *Venerem*, *Deam Syriam*, unum idemque numen veteres credidiſſe. Omitto, quae ad haec ſacra illuſtranda maxime pertinent, de BELLONARIIS BELLONAEQVE FANATICIS, Iuvenalis (4) & Ti-

(1) V. Gyraldum Synt. XVII. Hiſt. Deor.
(2) Periſtephan. verſ. 1056.
(3) Metamorph. Lib. XI.
(4) Satyr. IV. verſ. 285.

Digitized by Google

Tibulli (1) loca, itemque Tertulliani (2) & Lactantii (3), quae centies in libris repetita leguntur.

Haud igitur veriſimile eſt, in hac Etruſca Vrna, aliiſque ſimillimis apud Dempſterum, BELLONAE quoque ſacra exhiberi: humanoque ſanguine Deam placatam in ſacris Parentalibus ſive ACHERONTICIS; quum & ipſa inter Infera Numina cenſeatur, ſedemque ſuam apud Tartarum habeat: e quo cum reliquo choro ſolet emergere, ut fingit Seneca (4) & Petronius, qui eam ita deſcribit (5):

At contra, ſedes Erebi qua rupta dehiſcit,
Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et BELLONA minax, facibuſque armata Megaera.

In eodem Etruſco Sepulcro utrimque ſculptae ſunt, uti & in utroque latere (quorum emblemata vide in Dempſteriano Opere Tab. L. num. I. & II.) FVRIAE, ſcelerum ultrices Deae, quae piacularibus ſacris maxime gaudent: alterae minaci geſtu faces iactare videntur: alterae vero ardentes lampadas tenent, & ſupra tumulos quoſdam, ni fallor, erigunt. His luſtrare ſolitas mortuos, ſimulac ad infera regna deiecti ſunt, teſtatur Papinius de Amphiarao, quem vivum abſorpſerat humus, ſic canens (6):

Necdum illum trunca luſtraverat obvia taxo
EVMENIS, aut furvo PROSERPINA poſte notarat
Coetibus aſſumtum functis. ————

Mercurio quoque, animarum ad Inferos ductori, ut videre eſt in adlata ſuperius Tabula XXXVIIII. facem Etruſci dederunt.

Si quis vero cenſeat, in SACRIS ACHERONTICIS Etruſcos humano cruore placare conſueviſſe non ſolum BELLONAM, verum etiam FVRIAS, earumque maximam FVRINAM DEAM, quae ut vidimus ad Tab. XII. & XIII. eadem eſt ANCHARIA, non repugnabo. In hoc enim Sepulcro, praeter uſitatum Etruſcorum morem, non duae FVRIAE, ſed quatuor ſculptae ſunt: quae id forſitan denotare poſſunt, quaeque alii poſt me impenſius excutient.

Imaginum honorem a Diis ad homines quoque illuſtres fato functos prorogarunt Etruſci, Romani deinde imitatores latius ampli-

(1) Lib. I. Eleg. VII. verſ. 40.
(2) De Pallio Cap. IV.
(3) De falſa Rel. Lib. I. Cap. XXI.
(4) In Hercule Oet. verſ. 1311.
(5) Satyric. Cap. CXXIV. pag. 591.
(6) Thebaid. Lib. VIII.

amplificarunt. In Sepulcris icones cum virorum, tum feminarum nobiliſſimarum frequenter viſuntur, & quidem eodem ſemper habitu corporis ita recumbentium, ut in laevo Vrnae cornu caput, in dextro pedes habeant. Quantus fuerit veterum Etruſcorum luxus, hinc etiam argui poteſt. Siquidem pretioſis inſident ſtragulis, varioque opere elaboratis: pulvillis ornatiſſimis laevo cubito incumbunt, eo prorſus more, ut in tricliniis diſcumbere, atque in lectis epulari ſolebant. Viri interdum nudo pectore, reliquo corpore & capite operto cenatoria veſte, genio indulgent, hilares, coronis varii generis ornati, e collo vero ad pectus pendentibus corollis tamquam torquibus, ſeu laneis pretioſiſſimis, ſeu floreis, quas unguentis perfundebant. Convivarum more ſcyphos, vel pateras manibus gerunt: in hunc modum ab Etruſcis expreſſi, quaſi cupientes funebrium epularum participes fieri, vel quaſi iam Deorum immortalitate donati, apud Elyſios in deliciis & conviviis beatam vitam tranſigant. Interdum etiam toto corpore iacentes repraeſentantur, quaſi exoptata apud Elyſios beatitate & quiete iam potiti. Quid de feminis, quae omni cultu ornatiſſimae ſemper inducuntur? Anulos digitis praeferunt non ſecus ac viri, armillas, mitras, fibulas complures, inaures, totumque muliebrem mundum gerunt: flabella, ſpecula, vaſcula unguentaria oſtentant: interdum quoque aviculas, quas in deliciis habuere: non raro etiam malum punicum tenent, perinde ac Veneri, Iunoni ac Proſerpinae ſimiles, quibus Etruſci hoc immortalitatis ſymbolum dedere. Sed de his alibi etiam diſſerendum erit.

Plura heic dicenda eſſent cum de ceteris ſacrificiis, tum etiam de Miniſtris Sacrorum, qui apud antiquos Etruſcos magno in honore fuerunt: nimirum de Rege ſacrorum, ſive de Pontifice Maximo, de Sacerdotibus, de Auguribus, de Haruſpicibus, eorumque numero & Collegio, de Flaminibus, de Saliis, de Camillis, de Vatibus, de Arvalibus, quos ab Etruſcis duxiſſe originem, & ab his Romanos accepiſſe ſuſpicor: item de Fecialibus, deque ceteris ritibus & caerimoniis, quas in re divina facienda Etruſci inſtituerunt. Plura etiam adferenda de templis, de victimis, de vaſis ſacrificalibus, de ſacris donariis, de pompis, de hymnis & ſacra Muſica veterum Etruſcorum. Sed quia hic liber iam mole laborat ſua, aliaque notatu digna mox dicenda ſuperſunt, iam manum de tabula tollere invitus cogor, & in aliud tempus has curas reiicere: quod deinceps eo lubentius faciam, ſi haec iam in medium adlata, & pro tenuitate ingenii mei illuſtrata, viris eruditis accepta fuiſſe intelligam.

TA-

TABVLA CLXXVI.

ETRVSCA ARVLA TRIPES ex aere, in agro Cortonenſi nuper eruta: ſerpente & aviculis exornata. Cui nam Deo ſuffitibus adolendis dedicata fuerit, inveſtigatur.

EXimia ac propemodum ſingularis Ornatiſſimi Equitis Galeotti Coratii, Patricii Cortonenſis, in me humanitas, qui hanc Tabulam, ſua impenſa aeri diligenter inciſam, veluti perennem amicitiae ſuae teſſeram, mecum communicavit, ita me devinxit, ut hanc inſignem ARVLAM ETRVSCAM pro coronide huius Claſſis adiicere operae pretium duxerim. Ea profecto non ultimum eſt lectiſſimi Muſei Coratii ornamentum. De elegantiſſimo eius Tuſcanico opificio dubitare neminem poſſe arbitror. Pedes eius recurvi, qui gryphi ſimillimi ſunt, aliaque inter eos adiecta ornamenta, & folia, quae adſurgunt ex inferiore coronide, ſerpens miro artificio abſolutus, egregie expreſſis internitentibus undique maculis, ſtructura denique ipſa, & ingenium, non aliam quam Etruſci opificis manum perſpicue declarant. Suffitibus, in honorem illius Numinis, cui dedicata erat, adolendis inſerviſſe manifeſtum eſt; nam in ſummo quadratae menſae cernitur cratera, odorum capax, qui a ſacra facientibus incendi ſolebant. Quomodo vero ſacra odoramenta ſummis digitis in arula immitti ſolerent, intelligi poteſt ex anaglypho marmoreo, quod adfert Fabrettus (1), in quo femina ſtans ad aram tripodem, Genio ſacra facit. In quatuor menſae angulis prope crateram inſident quatuor aviculae, quae quum incubare, non vero pedibus inſiſtere videantur, forſitan columbas referre poſſunt. Altera avicula arulae fulcro adrepens, ſurſum aſcendere nititur. Si columbae ſint, erit, ut arbitror, conſentaneum ſuſpicari, hanc arulam VENERI GENETRICI ſaciam fuiſſe, quam deſignant eaedem ſacrae aves, fecundae generationis indices (2). Sed quid cum VENERE ſerpens columellae ſeu fulcro eiuſdem arulae circumvolutus? Nuſquam me legere memini, ſerpentem Veneri ſacrum eſſe,

(1) Inſcr. ant. Cap. v. pag. 360. num. XII. (2) V. Aelianum de animal. Lib. IV. Cap. I.

eſſe; quamvis non negem, id fieri potuiſſe. Huic difficultati conſuli poteſt, ſi non columbas, ſed cornices eſſe dicamus, quas haud difficulter repraeſentant, uti me monuit idem ſplendidiſſimus Eques Coratius. Quae quum ita ſint, AESCVLAPIO potius adſignandum videtur hoc donarium; nam ſerpens vigilantiſſimum animal in eius tutela eſt: eique multis de cauſis tribuitur, quae ſupra ad eius imaginem in Tab. XXXVII. adnotavimus. Cornix vero Aeſculapio adſcribitur; quia animal longaevum, quodque hominum quatuor aetates ſuperat: eaque de cauſa habitum ab Etruſcis optimae valetudinis ſymbolum, atque AESCVLAPIO dignum. Hanc avem manu praefert idem Aeſculapius, ut oſtendit antiqua gemma penes Fabrettum de Columna Traiani differentem pag. 211. quam etiam gemmam illuſtrat Aeliani auctoritate. Eamdem avem pro ſymbolo datam quoque Hygiae, nuper obſervavi in numiſmate maximi moduli, quod exſtat in Muſeo Mediceo.



MV-



MVSEI ETRVSCI

CLASSIS IIII.

ETRVSCORVM MILITIAM
FOEDERA . TRIVMPHOS . LVDOS . VENATIONES NVPTIAS . CONVIVIA . MVSICAM ET FVNERA COMPLECTENS.

DISSERTATIO IIII.

DE MORIBVS INSTITVTISQVE TVSCORVM QVORVM ETHOLOGIA ILLVSTRATVR.

QVale ac quantum terra marique fuerit opulentiſſimum TVSCORVM imperium, qua virtute & potentia per omnem Italiam feliciter propagatum, breviter & accurate exponam, ſi eximium Livii proferam teſtimonium, qui libro primo ita ſcribit: *TVSCORVM, ante Romanum imperium, late terra marique opes patuere: mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadria Tuſcorum colonia, vocavere Italicae gentes.*

Graeci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes, incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare; poſtea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, colonis miſſis: quae trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpes tenuere.

Parva haec forſitan videbuntur, ſi cum primordiis aeternae Vrbis conferantur: neque enim haec ſuae felicitatis & magnitudinis originem aliis quam Etruſcis debet, qui imperii ſedem deligentes, eam auſpicato condiderunt, ut ab Alcimo, Hiſtorico vetuſtiſſimo apud Feſtum, memoriae proditum eſt (1). Aucta Etruſcorum fama ac potentia, rebuſque, regnante Iano, legeſque tradente, feliciter conſtitutis, ultra etiam Etruriae fines terra marique proferre imperium auſi ſunt. Siquidem proximas Siciliae regiones, quamplures inſulas in mari Tyrrheno ſitas, Sardiniam, Ligures, Campaniam fere totam, Picenum totum, Rhaetiam, Galliam Ciſalpinam, Vmbriam, debellatis Vmbrorum trecentis oppidis, ut auctor eſt Plinius (2), occuparunt: veteres Cumanos ſuis ſedibus expulerunt: cum Gallis & Latinis populis ſtrenue dimicarunt (3): bella cum antiquiſſimis Italiae exteriſque gentibus fere perpetua geſſerunt: Romulo, contra Sabinos ad internecionem uſque pugnanti, ea auxilia praebuere, ut vinceret; quum dextro cornu praeeſſet Romulus, laevo Lucumo Etruſcus, rei bellicae peritiſſimus, ut auctor eſt Dionyſius (4). A Tyrrhenis Romani omnem ferme belli gerundi diſciplinam, adparatus, phalangas, atque pugnas, & in aciem ducendi exercitus ſcientiam didicerunt, uti ex Athenaeo colligi poteſt (5). Inita cum Carthaginienſibus ſocietate, ſexaginta navibus inſtructi adverſus Phocaenſes pugnarunt, eorumque potentiam fregerunt, teſte Herodoto (6). Navalibus proeliis expeditionibuſque utroque mari Hadriatico & Tyrrheno in ſuam ditionem redacto, inventis anchoris, gubernaculis, roſtris, ac navium munimentis, eo potentia, rerumque geſtarum gloria provecti ſunt, ut Lunenſem portum in Etruria praecipuum ac nobiliſſimum conſtituerint (7). Romanos ſibi decimas quotannis ſolvere coegerunt: aequalibus animis opibuſque cum his quingentis annis proeliati ſunt: demum, rerum omnium copia, luxu & conviviis marceſcentes, e tanto felicitatis deiecti faſtigio, victi victoribus obedire compulſi ſunt. Ea enim, collabente Etruſcorum virtute & imperio, apud illos invaluit conſuetudo, ut ſingulis diebus

(1) Lib. XVI. vide etiam Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. I. Cap. IX.
(2) Hiſt. Nat. Lib. III. Cap. XIV.
(3) Ex Strabone Geograph. Lib. V.
(4) Antiquit. Rom. Lib. II.
(5) Lib. IV. Cap. VIII.
(6) Lib. I.
(7) Strabo Lib. V. Plinius Lib. III. Cap. V.

diebus bis menſae lautiſſimae ponerentur, lectique floridi, & varia pocula argentea, magnaque formoſorum ſervorum adſtaret multitudo, qui ſumtuoſis veſtibus induti convivis miniſtrabant. Nihil dico de ludis theatralibus & ſcaenicis: nihil de hiſtrionibus & mimis: nihil de acroamatis: nihil de reliquis ſpectaculis, quibus Etruſci, genio ſuo & voluptati indulgentes, mirifice delectabantur; quare nil mirum, ſi a priſca gloria & nominis celebritate deſciſcentes, Romanis ſervire coacti ſint. Verum, quum haec doctis viris ſatis cognita perſpectaque ſint, ſatius ac conſultius puto, ſi ſingula, quae in hac Claſſe illuſtrare mihi propoſui, ex ipſis Etruſcorum genuinis ac ſinceris monumentis cum ordine oſtendam. Primum omnia arma deſcribenda eſſent: veſtes item militares, thoraces, clypei, ocreae, galeae, haſtae, lanceae, conti, unci praegrandes, gladii, ſecures, faces, quibus etiam vetuſtiſſimis temporibus in bello Tuſci uſi ſunt. Animalia quoque ferociſſima, ut leones, in proelium adducere conſueverunt, ſicut Etruſca Vrna apud Dempſterum in Tab. LXXI. num. 1. oſtendit. Sed quum haec aliaque Etruſcorum arma diligenter & erudite illuſtraverit Philippus Bonarrotius vir doctiſſimus, eadem iterare ſupervacaneum exiſtimo; eumque eruditus lector adire poterit.


TABVLA CLXXVII.

GALEA EX AERE non Phoeniciis, ſed Etruſcis characteribus inſcripta, illuſtratur.

Haud praeterire poſſum in hoc opere GALEAM illam, Etruſco opificio & raritate inſigniſſimam, quae olim in Andreinio, nunc in regio Muſeo Mediceo adſervatur. Tota conſtat ex aere, non percuſſo, ſed fuſo, quod eſt maxime mirandum. Ea adpenſa, duplicataque bucula (nam altera deeſt) pondus conficit ſex librarum Florentinarum. Petrus Andreas Andreinius, veterum elegantiarum admirator & conquiſitor eximius, dum viveret, identidem adfirmabat, ſe Neapoli pretio comparaſſe, accepiſſeque, inventam ſua tempeſtate fuiſſe apud antiquas Cannas, Romani exercitus clade celeberrimas, nunc

nunc *Canuſium*, ut Leander memorat. Hinc, Antonio Maria Salvinio, praeceptore meo, viro doctiſſimo, eodemque Andreinio, dum viverent, auctoribus, eas litteras, quae in interiore ora eiuſdem GALEAE inciſae ſunt, Phoenicias eſſe dixi; ſed paucis ab hinc annis, ad Etruſcas antiquitates animum adpellens, amicis meis, dum occaſio data eſt, ſententiam aperui meam, eaſque litteras non Phoenicias, ſed revera Etruſcas eſſe me animadvertiſſe teſtatus ſum: quod nuper ex Academicis Etruſcis adnotavit (1) Vir Nobiliſſimus F. Ioſeph Claudius Guyot de Marne, Hieroſolymitani Ordinis Commendator: qui tamen fallitur, adfirmans eas litteras inſcriptas eſſe in marmore Punico, quae revera in hac aerea GALEA inciſae ſunt.

Igitur ſi ſingulae litterae cum iam editis Etruſcis inſcriptionibus conferantur expendanturque, non cum Phoeniciis, ſed cum Etruſcis probe convenire comperiemus. Ita vero ſe ſe habent: ſiquidem curavi, ut ex archetypo ectypographice expreſſae, in hoc ſchemate & in Tab. CLXXVII. quam accuratiſſime exhiberentur.



Prior littera ↑ quomodo reddenda ſit, cum Bonarrotio (2) ingenue fateor ignorare. Forſitan duplex 1 nempe P valet: an reddi poſſit M neſcio. Huic alia fere ſimilis littera inciſa occurrit in ſuperiori Tabula CLXX. num. 1. quae, ut videtur, praepoſita eſt notis quibuſdam numeralibus: in hoc vero differt, quod ea ſuperne arcuatur; at ea, quae in hac GALEA ſcripta eſt, in acutum apicem adſurgit. Tertia littera, quae ſequitur ↓ in hunc modum ſcripta, in aliis quoque Etruſcorum monumentis invenitur, ut puto, duas complectitur litteras V & ↓. nimirum V & L. Igitur priore littera excepta, quae forſitan indicat quot bella ſtrenuus ille Etruſcorum dux, qui ea uſus eſt, confecerit, reliquae a me in hunc modum interpretantur: PVL KERNA.

Lubet etiam divinationes quaſdam meas ſubiicere; quandoquidem excitare doctorum hominum ingenia ad inveſtigandas Etruſcae Linguae voces, nemo eſt qui vetet: quin potius omnes ſummopere hac aetate deſiderant. Igitur PVL, ſi a Graeco fonte Etruſcarum vocum, ſi non omnium, plurimarum ſaltem interpretatio petenda eſt, quod etiam probabilius videtur, poteſt idem ſignificare quod πολεῶν, videlicet *urbium*. Conſtat enim etiam apud

pri-

(1) Vide Tom. I. Diſſert. II. pag. 31. (2) Ad Monum. add. Dempſt. §. XLI.

priſcos Latinos v in o mutua vice converti, ut POPLICOLA factum etiam PVBLICOLA, & frequenter in hunc modum in antiquis ſaxis. Quod vero ſequitur KEPNA, ſonat quaſi κεραύνος *fulmen:* ideſt *urbium fulmen:* vel etiam PVL, ſi ἀπὸ τοῦ πόλεμου ducendum ſit, ſonat *belli fulmen*. Hoc enim titulo decorari ab Etruſcis meruit dux ille fortiſſimus, qui hac GALEA, & quidem pluribus in locis contuſa, in nonnullis fracta, in bello uſus eſt: quique, ut arbitror, eam ita inſcriptam inter militaria dona, quae victoribus dari etiam ab Etruſcis ſolebant, ut oſtendit Senator Bonarrotius (1), ſuae virtutis inſigne praemium & monumentum obtinuit. Iam ſatis perſpectum eſt, hoc praeconium ab aliis uſurpatum in mentione virorum militarium: ita & Virgilius (2) & Lucretius (3) Scipionem utrumque Africanum, *belli fulmen* adpellant:

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.

Nam duces rei militaris peritiſſimi, ſicut fulmina, momento temporis altiſſima quaeque percellunt, ſcindunt, evertunt. Apud Pauſaniam (4) Ptolemaeus adpellatus eſt cognomento κεραυνὸς *fulmen*, propter eximiam in bellicis rebus gerendis celeritatem.

Inſculptae litterae in hac ETRVSCA GALEA, ſi docti viri has divinationes nolint admittere, facile notabant ducis nomen: quod tum in galeis, praeſertim puris, quae nulla praeferebant inſignia vel ſymbola, ut ex his, qui eas geſtabant, dignoſci poſſent, tum etiam in clypeis inſcribi ſolebat: cuius rei complura adferre poſſem, ſi vacaret, exempla, ex antiquitatis penu depromta.

Etruſcam eſſe GALEAM, praeter inſcriptionem, indicat etiam ipſum Tuſcanicum opificium, quod quoties contemplor, admirabundus ſumma ſemper voluptate perfundor. Huic alia ſimilis eſt, quam habet miles, expreſſus in Etruſca Vrna, quae adfertur in ſequenti Tab. CLXXVIII. In utraque non criſta, non conus in vertice, ſed grana ſimul collecta, & tota galea caput conveſtit. In interiori labro, in poſtica parte duo anuli mobiles adnexi ſunt, ut ex his traiectis loris ſuſpendi poſſet: ut videre eſt etiam in militibus iter facientibus ſculptis in marmorea Traiani columna, qui galeam ſcuto appenſam ferunt: idque etiam Etruſcos milites facere conſueviſſe oſtendit Tabula CIIII. ſuperius adlata num. I. & II. Alia adferre non lubet, ne, quae ſcripſimus, iterum inopportune recoquere videamur.

TA-

(1) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXVII.
(2) Aeneid. Lib. VI. verſ. 843.
(3) Lib. III. verſ. 1047.
(4) In Atticis.

Digitized by Google

TABVLA CLXXVIII.

FOEDVS
ab Etruſcis ictum iunctis dextris, ex anaglypho Vrnae emortualis illuſtratur.

ETruſca Vrna marmorea emortualis, quae adfertur in Tabula CLXXVIII. nuper inventa eſt Volaterris in praediis Franceſchiniis. FOEDVS referre videtur, ictum iunctis dextris, ſolemnibuſque verbis conceptum. Quomodo vero hoc emblema defunctorum Manibus conveniat, alii accuratius inquirent. Forſitan quia in foederibus ſanciendis iurantes, non ſolum ſuperos & terreſtres, ſed etiam INFERNOS Deos teſtes foederis invocabant ac deprecabantur: idque etiam faciebant, quum bellum indicerent, ut memorat Livius (1): *Iupiter & tu Iuno, Quirine, Diique omnes caeleſtes, voſque terreſtres, voſque* INFERNI *audite: ego vos teſtor*. Fiebat etiam ſepulcri mentio a Feciali, dum iuraret: ſumtoque in manibus lapide, poſtquam de foedere conventum erat, ita fabatur (2): *Si recte ac ſine dolo malo hoc foedus atque hoc iuſiurandum facio, Dii mihi cuncta felicia praeſtent: ſin aliter aut ago aut cogito, ceteris omnibus ſalvis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis,* IN PROPRIIS SEPVLCRIS, *ſolus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidet*. Igitur, ſi in rebus maxime obſcuris divinari non omnino abſurdum cenſetur; hoc emblema ſculptum facile crediderim in Etruſca Vrna ſepulcrali, ut fidei & ſanctitatis religioniſque erga defunctos ſervandae, praeſertim ut ſacrae inferiae ſtatis temporibus mitterentur, ſpectantibus eſſet luculentiſſimum monimentum.

Multa in hoc pulcherrimo anaglypho notari poſſunt, quae ad militiam, & militaria ducum ornamenta pertinent. Illud principe in loco animadvertendum, Etruſcos in bello vexillum in haſta ſuſpenſum elatumque gerere conſueviſſe. Id inſigne praefert miles ille, qui fraeno cohibet currentem equum, cuius pectus gemmato duplici monili, vel pectorali variis bullis ex ebore undique diſtincto, ornatur. Forſitan hic equus χρυσήνιος, dono dandus adducitur;

(1) Decad. I. Lib. I. Vide Ioannem Roſinum Antiq. Romanar. Lib. x. Cap. II.

(2) Lib. XXII. de foedere icto inter Carthaginienſes & Romanos.

tur ; nam ſingulari equo Etruſcos in bello uſos eſſe, nondum conſtat ex antiquis monumentis : conſtat tamen ex adlatis in Dempſteriano Opere Tabula LXX. num. I. & II. pugnaſſe in proeliis Etruſcos Heroes nonniſi biiugis vel quadriiugis curribus vectos, antiquiſſima conſuetudine, quae maxime apud Aegyptios viguit, uti divinae Litterae teſtantur : eaque etiam ex Homero apertiſſime elicitur, qui Achillis, Hectoris, Diomedis & Rhaeſi equos & currus eorumque aurigas deſcribit (1). Ille vero miles ſquamata lorica armatus, qui ſingulari equo vectus pugnat, ut cernitur in Vaſe Etruſco penes Dempſterum Tabula LXV. non Etruſcus, ſed barbarus eſſe videtur, quod etiam adfirmo de alio expreſſo in ſuperiore Tabula CXXXVI. huius operis.

Redeo ad Etruſcum Vexillarium. Hic haſta ſuſpenſum gerit quadratum velum, in quo ſuſpicor vel ducis, vel cohortis, ſeu phalangis nomen ſcriptum fuiſſe, vel aliquod ſymbolum, quod adſpicientes milites, in acie ſua continerentur, eoque praelato proficiſcerentur. Ex hoc enim vexillo colligimus, Etruſcos in bello per varia ſigna in ordinem diſpoſuiſſe exercitum. Hoc vexillum, quod inſecutis temporibus *labarum* dixere, ab Etruſcis Romani, ut hinc lubet arguere, acceperunt : &, ni fallor, etiam aquilam haſtae praefixam ab his in bello praeferre didicerunt ; quandoquidem Plinii auctoritate (2) & Vaſis Etruſci Bibliothecae Vaticanae, quod alibi proferam, ſceptrum regium & conſulare, aquila praepeti ornatum Etruſci monſtrarunt : quos & hac in re Romani imitati ſunt.

Non ſolum milites, verum & duces, more priſcae militaris diſciplinae, intectis pedibus adſtant : duces brevi tunica & trabea ſive chlamyde ornantur, quam fibula ſeu bulla in medio pectoris adſtringit : at reliquorum militum chlamydia in humero dextro fibula ſeu bulla ſubnectuntur. Singuli cingulo inſignes ſunt, bullis vel clavis gemmiſve diſtincto : quae quidem ſtrenuis militibus, bello egregie functis, aurea donabantur, ut etiam docet Virgilius (3). Haec inter militaria ornamenta enumerat Claudianus (4) :

Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aſpera, gemmataſque togas, virideſque ſmaragdis
Loricas, galeaſque renidentes hiacynthis,
Geſtatoſque patri ſcapulis radiantibus enſes,
Et vario lapidum diſtinctas igne coronas
Dividis ex aequo. ——————

Ex

(1) Loca enumerat Ever. Feithius Antiquit. Homericarum Lib. IV. Cap. XI.
(2) Vide Plinium Hiſtoriae Nat. Lib. VIII. Cap. XLVIII. & Lib. IX. Cap. XXXIX.
(3) Aeneid. Lib. IX. verſ. 359.
(4) Lib. II. de laudibus Stiliconis.

Digitized by Google

Ex his ducibus ac militibus, uno excepto, qui ſingularem haſtam, reliqui duas velitares praeferunt: gladium quoque non diſtrictum nudumque, ut pugnantes ſolent, ſed inverſum ac tectum vagina nonnulli dextra gerunt. Signiferum ſequuntur buccinatores duo: & quod obſervatu dignum, raroque in aliis anaglypticis ſculpturis Etruſcorum occurrit, ne quid dicam de Graecis & Romanis, hi qui ſunt ordine primi, ſtatura valde minores expreſſi ſunt: qui vero ſecundo ordine ſuccedunt, maiores ita eminent, ut clarius adpareant: quod nolui praeterire, ut hinc ex antiquiſſimis Etruſcorum ſculpturis, in diſpoſitione ſingularum figurarum, rudimenta quaedam naſcentis proſpectivae dignoſcamus, quae nonniſi ſero inventa, ſculptoribus ac pictoribus innotuit. Quod adtinet ad buccinatores, quibus Etruſci in bello uſi ſunt, hi, dum FOEDVS iunctis dexteris firmatur, tubis aereis canunt. Tubam bellicam, ut obſervant Athenaeus (1) & Iſidorus (2), Etruſci, in rebus excogitandis ſagaciſſimi, invenere. Origo eius a buccina ſeu concha praedonum Tyrrhenorum accepta creditur, qua in navali re uſi ſunt, ut facilius eius ſono, ſocios per mare diſperſos ad praedam convocarent: eiuſque uſum primus omnium Tyrrhenus Herculis filius monſtravit, ut docet Hyginus (3). Hinc ad terreſtria certamina traducta eſt: eaque duplex fuit, recta, quae etiam in uſu fuit apud Tuſcos, ut oſtendit Tabula VI. num. IV. & Tabula CXXXIII. num. I. ſuperius adlata, quaeque Bellonae claſſicum canenti tribuitur: altera reflexa & ductilis, qua hi buccinatores concinunt, & ex ſequenti bula CLXXVIIII. liquido conſtat, eam quoque Etruſcos adhibuiſſe in triumphali pompa.

Canentibus igitur buccinatoribus, ceteriſque ducibus ac militibus adſtantibus, dextras foedere iungunt Dux exercitus & Fecialis. Toga calceiſque indutus Fecialis laevam manum tenet. Penes Feciales omne belli indicendi paciſque conſtituendae arbitrium fuit: hi namque publicae fidei praeerant, bellaque concipiebant iuſta, iidemque omnium gentium conſenſu ſacroſancti erant, eoſque violare nefas habebatur. Ab Homero θεῖοι κήρυκες frequenter adpellantur. Hos etiam Etruſci divinis honoribus proſecuti ſunt: & ſtatuas ex aere, ni fallor, auro etiam intectas, eis poſuere, ut argumento eſt illa ſtupendi artificii ac maxime inſignis aerea ſtatua, quae Muſeum Mediceum nobilitat (4). Eam in hoc opere, iterum duplici ſchemate accuratius expreſſam, proferre decreveram; ſed

quia

(1) Lib. IV. Deipnoſoph. verſus finem.
(2) Lib. XVII. Cap. IV.
(3) Fab. CCLXXIV.
(4) Interim adlatam vide apud Dempſterum Tab. XL. & in Muſeo Florentino Tab. LXXXI.

quia eam peculiari diſſertatione illuſtrare meditor , in alio volumine mox adducam . In limbo eius veſtis , Etruſcis characteribus exarato , ſcriptum eſt : MƎꟼꟼVƧ ⅃AIƧƎƎ . *Veſial ſuprem* . quae Celeberrimus Ludovicus Bourguetius FECIALIS SVPREMVS interpretatur . Huic ſtatuae cultu ſimillima eſt Fecialis imago , ſculpta in hac Vrna : in eo differt , quod ille ſine barba , hic barbatus effictus eſt . Feciales , eorumque in bellis indicendis , paceque firmanda caerimonias, Romani ab Etruſcis accepere : at dextras iungere , ad fidem declarandam , Etruſcos a Perſis didiciſſe pronius eſt credere , quae alibi luculentius expendam .

Quoniam vero nil ſine ratione in monumentis veteres inſculpere conſueverunt , ſuſpicor , in hac Vrna cineraria expreſſum eſſe foedus illud memorandum , quod Romulus cum Tito Tatio fecit [1] : quo confecto , Iani ſimulacrum duplicis frontis effictum eſſe memorat Servius [2] , quaſi ad imaginem duorum populorum , qui foedere (cui Ianus praeeſſe credebatur) ſimul coiere . Forte etiam vir ille togatus Caelium Vibennium Etruſcum refert, bello egregium , qui cum expedita manu Romulo contra Latinos praeſidio venit [3] : ideoque exhibetur Romulo ſpondens ac paciſcens , iunctis dextris , ſe ei ſuppetias laturum . Poteſt etiam cum ferali emblemate , quod huic ſepulcro non male convenit , illud congruere , quod de Mezentio Etruſcorum rege memorant Livius [4] , Iuſtinus [5] , aliique veteres ſcriptores [6] , qui florentibus Etruſcorum opibus , Caere , opulento tum oppido , imperitans , iam inde ab initio minime laetus novae origine Vrbis , & tum nimio plus tutam , quam eſſet accolis ſatis , rem Troianam creſcere ratus , haud gravate ſocia arma Rutulis iunxit . Siquidem , quum Aeneas cum patre in Italiam veniſſet , & propter invaſos agros contra Latinum Turnumque pugnaſſet , in quo proelio periit Latinus ; Turnus poſtea ad Mezentium confugit , eiuſque fretus auxilio bella renovavit , quibus Aeneas Turnuſque pariter rapti ſunt : migraruntque poſtea in Aſcanium & Mexentium proelia , in quibus , quum ſingulari certamine dimicaſſent , Mezentius occubuit : vicit autem Aſcanius Iulius , qui Aeneam *Indigetem* adpellavit , quod cum Mezentio pugnans nuſquam adparuiſſet . Haec , ut opinor , melius cum hoc ferali Vrnae emblemate conveniunt : ideoque , ſi haec admittentur , vir ille toga amictus erit Mezentius , qui cum Turno de coniungendis cum Rutulis , quibus ille imperabat , armis ſuis , data dextera paciſcitur .

(1) Ex Livio Dec. I. Lib. I.
(2) In Virgilium Aeneid. Lib. XII. verſ. 198.
(3) Livius ibid. Alex. Gen. Lib. V. Cap. III.
(4) Lib. I. Dec. I.
(5) Lib. XLIII. Cap. II.
(6) Ovidius Lib. IV. Faſtor.

TABVLA CLXXVIIII.

TRIVMPHVS ET OVATIO *Etruſcorum inventum : eius pompa ſive adparatus e vetuſtiſſimo Vrnae ſepulcralis emblemate elucidatur.*

PArta de hoſtibus inſigni victoria, revertentibus in patriam fortiſſimis ducibus, TRIVMPHVM, egregiae virtutis praemium, decrevere Etruſci reges: idque tanto conſilio ac prudentia factum fuiſſe cernimus, ut potius ſapientiae, quam militaris claritudinis & gloriae inſigne monumentum ſpectantibus videretur. Siquidem triumphalem currum, omni ornatu cultuque elegantiſſimum, lictores cum faſcibus praecedere iuſſi: quibus inſignibus declararunt, triumphantem in tanto honoris & gloriae faſtigio collocatum, de re publica optime meruiſſe. Faſces vittis religati ſunt, haud ornati ſecuribus, ut etiam in ara Etruſca apud Dempſterum Tab. XLVI. lictores tamen ibi alio cultu veſtium inſignes. Bulla & torque aureo triumphantis collum ornari, anulum tamen ferreum in digito praeferre imperarunt: ſervumque in eodem triumphali curru cum duce clariſſimo triumphante vehi placuit, a quo identidem moneretur, ut poſt ſe reſpiceret, & ſe hominem eſſe meminiſſet; quemadmodum etiam exhibetur in hoc Vrnae ſepulcralis rariſſimo emblemate, quod obſervavi in Villa *ad Bonazam* Nobilium Giacominiorum, meque praeſente diligenter delineandum curavi. Aequam hanc triumphantis & ſervi fortunam, quam Etruſci ſapienter praeſcripſere, adnotavit Plinius (1), qui triumphum deſcribens, haec ſubiungit: *Vulgoque ſic triumphabant, & quum corona ex auro Etruſca ſuſtineretur a tergo, anulus tamen in digito ferreus erat: aequa fortuna triumphantis, & ſervi coronam a tergo ſuſtinentis.* Audiendus etiam Tertullianus (2): *Hominem ſe eſſe etiam triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonetur; ſuggeritur enim ei a tergo: Reſpice poſt te: Hominem memento te. Et utique hoc magis gaudet tanta ſe gloria coruſcare, ut illi admonitio conditionis ſuae ſit neceſſaria.* Atque hanc eſſe cauſam arbitror, cur

(1) Lib. XXXIII. Cap. I. (2) In Apologet. Cap. XXXIII.

Digitized by Google

cur in hoc pulcherrimo ſepulcro marmoreo, pro emblemate ſculptus ſit triumphans, ſtans in curru quatuor equis vecto, cumque triumphali lictorum & tubicinum pompa; nimirum, ut id ſpectantes viatores, humanae conditionis, humanaeque gloriae caducitatis admonerentur: & Elyſiorum gaudia perpetua atque immortalia, ut credebant, poſt fata exoptarent. Videmus etiam ex hac ſculptura Etruſca triumphantem, quaſi haerentem, obtutuque defixum reſpicere in ſervum: quem Iſidorus (1), aliique ex eo, comice nimis, carnificem vocant: caputque eiuſdem triumphantis obvolutum panno: quod factum crediderim, ne clamantium ac plaudentium laetis vocibus triumphator delinitus, ſuperbe ſe efferret, atque aliquid ſupra mortale faſtigium (nam & minio eius facies pingebatur (2) more Deorum, quorum ſimulacra feſtis diebus in tenſis circumducebantur) ſe eſſe crederet: ideoque nimia gloria & felicitate inſoleſceret. Nemo eſt veterum auctorum, qui de hac conſuetudine velandi capitis triumphantis ducis meminerit, quam heic perſpicue expreſſam cernimus. Triumphantem ducem ſequitur pediſequus ſervus, brevi tunica ſine manicis & pallio indutus, qui e manubrio pendentem arculam ſuſtinet. In hac faſcinum, invidiae triumphantium medicum, ut ait Plinius (3), reconditum fuiſſe arbitror, qui etiam interdum e curru pendere ſolebat: geſtabantque triumphantes amuleta collo dependentia, contra invidiam incluſa bullae: quae, licet ſit Etruſcorum inventum, ea tamen hunc triumphantem ducem carere videmus. Siquidem triumphus honorum omnium ſummus, & cum divinitate conferendus cenſebatur: ipſique triumphantes non homines, ſed quaſi egreſſi humanae conditionis terminos, Dii quodammodo exiſtimabantur; quare quum in clariſſima gloriae luce verſarentur, aliorum invidiam, nimiae felicitatis vindicem, metuebant: ſuamque ipſi ſuperbiam elationemque animi formidabant. Hinc captis Veiis, Camillus, teſte Livio (4), ita precatus fertur: *Vt ſi cui Deorum hominumque nimia ſua fortuna populo Romano videretur, ut eam invidiam lenire ſuo privato incommodo, quam minimo populi Romani liceret*. Immenſum hunc gloriae ſplendorem, ut temperarent Etruſci, non ſolum pari fortuna ſervum in eodem curru cum triumphante procedere voluerunt; verum & triumphalem pompam ducere ac praeire iuſſerunt perſonatos viros, referentes Satyros, Bacchantes & Mimos, qui inconcinno corporis motu, ſcommata & dicteria in triumphantem ducem iactarent, iocoſaque ſaltatione & ludicra muſica

 opi-

(1) Orig. Lib. XVII. Cap. II.
(2) Ex Plinio Lib. XXXIII. Cap. VII.
(3) Lib. XXVIII. Cap. IV.
(4) Lib. V. Cap. V.

opinionem hanc ſummi honoris & dignitatis in iocum verterent, ſpectantiumque mentes ab invidia revocarent. Quamquam vero id perſpicue non eliciatur ex hoc anaglypho, plane omnium vetuſtiſſimo; id tamen ab Etruſcis factum fuiſſe compertum habeo ex auctoritate Appiani Alexandrini (1), qui memorat, lictores puniceis veſtibus indutos praeceſſiſſe triumphantem, chorumque Cythariſtarum & Satyrorum, Etruſco more, cinctorum ornatorumque, coronas aureas detuliſſe, itemque ludiones cum cantu & tripudio geſticulaſſe. Accedit pictura inſignis Vaſis Etruſci, quod adfertur in Dempſteriano Opere Tab. XLVIIII. quae, ut etiam advertit Bonarrotius (2), id ipſum evincit.

In hoc marmoreae Vrnae emblemate, duo tantum tubicines & duo lictores cum faſcibus puris, nec laureatis, neque etiam ſecuribus ornatis, omnem Etruſci triumphi pompam conſtituunt: deinde ſequuntur quatuor equi, elegantiſſimis monilibus ſeu pectoralibus ornati, iunctique ornato currui, in quo ſculptus gryphus, animal Soli ſacrum: denique triumphantem monitor in eodem curru ſtans, & alter ſervus pediſequus comitantur: quae pompa & adparatus triumphalis, quum minime ſit ſplendidiſſimus atque ampliſſimus, ſpecimen exhibet, ut mea fert opinio, triumphi illius modeſtiſſimi, quem Etruſci multis ante Romam conditam annis inſtituerunt. Nam in Etruſco Vaſe, apud Dempſterum adlato in Tabula XLVIII. quia forſitan non eſt tam antiquum, pompa ſplendidior expreſſa eſt. Vir ille, qui triumphum agit, laurea redimitus ſedet, non ſtat in quadriga: torque ornatus & tunica picta abſque manicis indutus conſpicitur: togamque ſiniſtro brachio ſuſtinet, dextra longius ſceptrum ſeu haſtam tenet. Comitatur pompam vir laureatus, cum tunica, undulato opere texta, & haſtam tenet: qui forte cenſendus eſt dux aut miles alter, qui ob res bene geſtas, ſecundis honoribus ornatus, comes datus ſit triumphanti. Miles armiger, pariter laureatus, galeam triumphantis praefert. Pompam & currum praecedit tubicen cum aerea tuba Tyrrhena, in plures ſpiras circumvoluta, qui gratulationis officia a viro iuxta aedificium ſedente ſuſcipit. An id aedificium referat potius templum, quam triumphalem arcum, alii expendent. Lubentius crediderim templum Iovis, in cuius gremio triumphantes coronam deponebant. Alter vero, qui e regione ſedet, forſitan eſt Augur; nam triumphos nonniſi auſpicato agebant.

Conſecutis temporibus, nullis terminis triumphum eiuſque pompam circumſcripſere Romani: pro corona ex auro Etruſca, quae

(1) De Bello Punico pag. 35.

(2) Ad Monum. add. Dempſtero §. XXX.

quae ſuſtinebatur a tergo, ut auctor eſt Plinius (1), innumerae propemodum aureae coronae praelatae, additae laurus faſcibus, lauro redimiti milites, iuncti currui interdum ſex equi, non raro etiam leones & elephantes: circumlata urbium, montium & fluviorum ſimulacra, ſparſae frondibus & floribus viae, cremata odorum & thuris magna copia, adiecti captivi ante currum incedentes, currus aureus triumphalis undique gemmis diſtinctus, aliaque ſexcenta ornamenta, ut luxuriantis reipublicae potius magnifica deliramenta, quam priſca illa virtutis decora videantur.

Nec TRIVMPHI ſolum, verum etiam OVATIONIS auctores extitiſſe Etruſcos, notat Dempſterus (2). Sex millibus hoſtium interfectis, vel ut minimum quinque, ex lege triumphali, moris erat & inſtituti Etruſci triumphare: ovare vero his conceſſum, qui minus inſigni cauſa hoſtem in acie profligaſſent. Primum ovantes urbem pedibus ingredi ſolitos, notat Plinius (3): aucta paullatim apud Tuſcos triumphali pompa, auctum quoque ovationis decus, ideoque equis invehi ovantes conſueverunt. Id apud Etruſcos in more poſitum fuiſſe, docet idem anaglyphum emortualis Vrnae; nam prope triumphantis currum, alter dux victor, ornatus galea, quae quodammodo Phrygium pileum refert, equo monili gemmato, freniſque inſigni inequitat. *Ovare*, ab ove, quae poſt ovationem in ſacrificio, pro gratiarum actione peracto, mactari ſolebat, derivatum docet Plutarchus in Marcello: at veriſimilius Feſtus ab *o o* gemina littera, nimirum a fauſta illa adclamatione laetoque clamore, quem faciebant redeuntes ex pugna milites victores, derivat. Ovantibus virtutis ergo datam ovalem coronam myrteam, obſervat idem Feſtus. Ovatio denique concedebatur, quum bella non erant indicta, aut ſine ſanguine confecta.

Ex hac igitur inſigni ſculptura colligimus, qui fuerit vetuſtiſſimus omnium TRIVMPHI & OVATIONIS adparatus & pompa apud Etruſcos: a quibus haec omnia Romanos accepiſſe, deinde etiam ampliaſſe, iam in confeſſo eſt; accedente praeterea Appiani Alexandrini & Strabonis auctoritate, quorum inſignia teſtimonia Dempſterus elucidat (4). Tropaea vero apud Etruſcos utrum fuerint in uſu, nunc expendendum eſſet; ſed quia nondum in publicum prodiere Tuſcanica monumenta, quae id declarent, in alium locum haec perveſtiganda reiicimus: conſtat tamen victores bellica ſpolia & arma, itemque triumphalia ornamenta in templis Deorum ſuſpendiſſe & conſecraſſe (5).

TA-

(1) Lib. XXXIII. Cap. I.
(2) De Etr. Reg. Lib. III. Cap. XXXVII.
(3) Lib. XV. Cap. XXVIIII.
(4) De Etrur. Reg. Lib. III. Cap. XXXVI.
(5) Tab. XXVIII. & XXXII. apud Dempſt. & Bonarrot. ad Monum. add. §. XXV.

TABVLA CLXXX.

LVDVS TROIAE

Ludi equeſtres, curules & gladiatorii Etruſcorum, ex antiquis ſculpturis ac picturis illuſtrantur.

Victorum ducum Etruſcorum triumpho eiuſque pompa, uti vetuſtiore aevo inſtituta eſt, breviter illuſtrata, ad ludos varii generis gradum facio; hos enim Tuſci triumphantes, amicti triumphali veſte, edere conſueverunt, peracto ſacro in honorem Iovis ceterorumque Deorum: quorum auſpiciis parta de hoſtibus victoria adſcribebatur, ut adeptae gloriae reparataeque publicae ſalutis, geſtientibus laetitia ſpectatorum animis, monumentum exſtaret ſempiternum. Cur vero Etruſci, eorumque exemplo Romani, non in vaſculis tantum, quae praclaris victoribus dono dabantur, verum etiam in ſepulcris, ut in adlatis Tabulis cernimus, hoſce ludos pingere atque inſculpere voluerint, non una eademque occurrit cauſa, quae adſignari poſſit. Ea cumprimis facile, ut reor, fuerit; quia hiſce emblematis, in quibus cum gaudio luctus multorum frequentiſſime miſcebatur, hominum vita fragilis & caduca, ludo per omnia ſimilis (1): itemque fatum & mors, quae omnes manent, non obſcure declarabantur; nam exultantibus gaudio ſpectatoribus, laudis & gloriae cupidi decurſores ex equo deiecti, mortem identidem oppetebant, ut in hac Vrna cernimus: idque etiam aurigis, athletis, gladiatoribus & beſtiariis accidebat; quare publica illa voluptas & gaudium, beatorum apud Elyſios, ut credebant, laetitiam, riſum & tranquillam vitam: luctus vero, mortem atque humanae vitae viciſſitudines, quae evitari a mortalibus minime poſſunt, deſignabant, ſpectanteſque ita erudiebant.

Horum ſpectaculorum ludorumque origo, quorum Etruria, non ſecus ac ſuperſtitionis, parens fuit, ab Heroicis temporibus petenda videtur, in qua iidem Heroes, ut Hercules & Theſeus aliique fecere (2), luctare, decurrere, currus in Olympicis agitare, certare curſu, diſco, ſaltu, ceteriſque gymnicis exercitatio-

(1) Terentius in Adelph. Act. IV. Sc. VII. (2) Ex Diodor. Sicul. Bibl. Lib. IV. pag. 155.

tionibus operam dare, quammaxime gloriati ſunt, quaſque etiam inſtituiſſe memorantur (1).

Prima vero ludorum cauſa, ut videtur, fuit religio; nam ut homines, feriantibus animis, ab humanis occupationibus abſtracti, ocioſam mentem ad Deum converterent, recteque eum colerent, Muſicam, variaque Muſica certamina invenere; id vero fieri maxime credebant gaudendo, dies feſtos agitando, Poëtica ac Muſica certamina exercendo, mente philoſophando, comparandae virtutis ſtudio, corpore ludos exercendo, quemadmodum ex Strabone colligimus (2).

Mortalium omnium primi, qui in Italiam haec ſacra certamina, ludoſque omnis generis invexere (Curetibus (3) id tribuunt nonnulli) Etruſci, divinae religionis auctores atque amplificatores ingenioſiſſimi, extiterunt: quod iam omnes fatentur. Hi Muſicam in ſacris Deorum adhibendam, eorumque divinas pompas, harmonico concentu agendas, Paeana in honorem Apollinis, Pyrrhichen armatam ſaltationem & choreas, quo nam modo celebrare oporteret, praeſcriptis muſicis modis, inſtrumentis, carminibus primi monſtrarunt, de quibus loco magis opportuno diſſeram. Hi ludos theatrales, ſcenicos: hi athleticos, gladiatorios, funebres, equeſtres, pedeſtres, curules docuere, quibus acceptos referunt Romani, qui ab hac natione cultiſſima belli paciſque ſtudia deſumſere. Id Livius diſerte memorat (4): *Ludicrum, equi pugileſque, ex Etruria maxime acciti*. Ludos quoque ſcenicos, ac ludiones ex Etruria accitos, qui more Tuſco ad tibicinis modos haud indecoros motus ſaltarent, idem Livius (5) narrat: additque cauſam, ut graſſante peſte, irata Numina placarent. Tacitus quoque expreſſe adfirmat (6), a Tuſcis non hiſtriones tantum, verum etiam equorum certamina Romanos eſſe mutuatos. Id nonniſi religionis cauſa, ut ſupra monebam, Etruſcos factitaſſe notat Tertullianus (7): *Igitur in Etruria inter ceteros ritus ſuperſtitionum ſuarum, ſpectacula quoque religionis nomine inſtituunt: inde Romani accerſitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut ludi a Lydis vocarentur*.

Hiſce eximiis veterum ſcriptorum teſtimoniis, accedit auctoritas ſculptorum marmorum, pictorumque Vaſculorum, quae tum in hoc opere, tum in Dempſteriano adferuntur, quae ad ludos Etruſcorum illuſtrandos maximo certe ſunt adiumento. In inſigni Vrna cineraria, Etruſcis litteris inſcripta, Peruſiae nuper eru-

(1) Vide Hyginum Fab. CCLXXIII.
(2) Geograph. Lib. X. pag. 467.
(3) Vide Val. Max. Lib. II. Cap. IV. num. 4. eiuſque interpretes.
(4) Lib. I. Decad. I.
(5) Lib. VII. Decad. I.
(6) Annalium Lib. XIV. num. 21.
(7) Libro de Spectaculis Cap. II.

eruta, quae exhibetur in Tabula CLXXX. etſi temporum iniuria ac vetuſtate aliquantulum ſit labefactata, inſculptos cernimus LVDOS EQVESTRES EQVORVMQVE CERTAMINA, quibus agendis tractandiſque valde praeſtantes extitiſſe Etruſcos, aperte intelligimus. Propter anguſtias marmoris, licet Etruſcus ſculptor maiorem equitum militumque pedeſtrium numerum exhibere non potuerit; cernimus tamen diviſas bifariam acies concurrere ad ſimulacrum pugnae: quod etiam conſecutis temporibus ſervatum docet Livius, qui has decurſiones deſcribit (1). Siquidem ex his aliqui intecto capite, thorace armati, aliqui etiam brevi tunica ſuccincti, equis inſidentes, curſu quamociſſimo decurrunt. Pedeſtres aliqui pugnant partim nudo capite, partim galea tecto, & clypeis armati. Dum haec aguntur, alii equites, amicti chlamyde ſtantes viſuntur, qui equum ducunt: forſitan, opinor, ut alteris equitibus decurſione ſua functis, poſt editum primum ludicrum ſpectaculum, ſuccedant. Nudus ille vir, qui conſpicitur in caput praecipiti lapſu deiectus, equorumque pedibus protritus, haud dubie defuncti ſupremum fatum, adeoque hos funebres ludos priſco Etruſcorum inſtituto circa rogum ſive ſepulcrum celebratos deſignat.

Vetuſtiſſimum hoc ſpectaculum Latini dixere TROIAE LVDVM, quem celebrare conſueverunt non in funeribus tantum, in memoriam decuſque ſempiternum egregiae virtutis Heroum; verum etiam ob memorandum aliquod factum, uti ex Virgilio conſtat (2), qui hoc certamen ab Aſcanio editum fingit, quum Albam moenibus cinxiſſet, a quo Latinos accepiſſe tradit. Quamquam vero haud ita facile indicari poſſit auctor, qui in Etruriam haec certamina equeſtria invexit; tamen ex hac inſigni ſculptura evincimus, apud Etruſcos in uſu fuiſſe. Id etiam non obſcure colligimus ex eodem Virgilio, qui parem laudem Aeneae & Tarchonti tribuit in celebratione horum ludorum in honorem defuncti Pallantis, quibus etiam funeris ignem ter circa rogum decurrentes ululanteſque luſtrabant. Conſtat enim ex eodem Virgilio (3) & ex Strabone (4), Tarchontem Etruſcorum ducem ac regem fuiſſe, ab Aty Tyrrheni filio praefectum duodecim urbibus, quas condidit, Tarquiniiſque urbi nomen dediſſe. Audiendus igitur Virgilius (5):

Iam pater Aeneas, iam curvo in littore Tarchon
Conſtituere pyras: huc corpora quiſque ſuorum

More

(1) Lib. x. de Bello Macedonico.
(2) Aeneid. Lib. v. verſ. 596.
(3) Loca Virgilii affert Th. Dempſterus, qui plura de Tarchonte Etruſco ſcribit, quem vide de Etruria Regali Lib. II. Cap. XXXII.
(4) Lib. III. Geograph. pag. 151.
(5) Aeneid. Lib. XI. verſ. 184.

Digitized by Google

More tulere patrum : ſubiectiſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine caelum .
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos : ter maeſtum funeris ignem .
Luſtravere in equis , ululatuſque dedere .

Igitur, quum Virgilius memoret, Tarchontem Etruſcum TROIAE LVDVM cum Aenea celebraſſe in funere Pallantis, ſive is Tarchon ille ſit, quem omnium primum Tyrrhenus rei Etruſcarum urbium praefecit, ſive alius poſterior, eodem cum nomine, & quidem Etruſcus; perſpicuum certe eſt, eum, utpote rituum & conſuetudinum Etruſcae nationis peritiſſimum, probe ſciviſſe, huiuſmodi ludum apud Tuſcos ſolemnem ac frequentem fuiſſe.

Vetus fuit lex & conſuetudo, praeſertim in hoc ludo ceteriſque, qui motum corporis exigunt, rite ſervata, ut equites peditesſque armati laevos orbes agerent, circumque ſiniſtram primum motu facto, deinde ad dexteram decurrerent: quod, accedente Statii auctoritate (1), obſervat Turnebus (2), Budaeus (3), Kirchmannus (4) aliique: idque etiam in Circorum decurſionibus obtinuit, ut notat Fabrettus (5), ſeu ex principio naturalis motus, ſeu fortaſſe ex militari diſciplina; nam circuitio ad ictum inferendum commodius ad laevam, quam ad dexteram fieri viſa eſt. Id etiam ab Etruſcis uſurpatum in hoc equeſtri certamine, manifeſte oſtendit ſculptura huiuſce emortualis Vrnae, in qua equites a laeva in dexteram decurrunt. Decurſio ut accuratius in orbem fieret, in dextra Vrnae parte adſurgit praealta turris rotunda, non quadrata, ſuperne pinnis coronata, cum ſpecula maiore in medio, & quatuor aliis praeſertim in utroque latere valde anguſtis.

Hinc Circi & Circenſium ludorum exemplum a Tuſcis Romanos accepiſſe perſpicuum eſt. Primus omnium, qui Romanis Circenſes ludos monſtravit, ut auctor eſt Livius, fuit Tarquinius Priſcus, Tarquiniis Etruſcorum urbe profectus, qui deſignato Circi loco, equos pugileſque ex Etruria accivit. Quod enim Circenſes ludos ediderint Tuſci, uſique ſint quadrigis & bigis, ludiſque curulibus, manifeſte oſtendunt antiqua Etruſcae gentis monumenta, quae Bonarrotius indigitat atque illuſtrat (6). Aliud etiam in Dempſteriano Opere Tabula LXVIIII. adfertur inſigne monumentum num. 1. huic Vrnae Peruſinae valde ſimile, in quo

Bbb Cir-

(1) Theb. Lib. VI. verſ. 213.
(2) Adverſar. Lib. V. Cap. VIII.
(3) Adnot. in Pandect. prior.
(4) De Funerib. Rom. Lib. III. Cap. III.
(5) De Col. Traian. Cap. VI. pag. 144. 146. 147.
(6) Ad Monumenta addita Dempſtero §. XXXVI.

Circenſes ludos curules & equeſtre certamen, exhiberi arbitror: non vero Amazonum proelium, ut ſuſpicatur Bonarrotius (1). Siquidem praeter equites decurrentes, cernitur etiam currus: equi vero, quum ſit marmor eo loci fractum, deſiderantur. Pugnantes & decurrentes equites nonnulli militaribus armis inſignes, galea caput armatum habent: nonnulli vero tunicati, caput quodam panno, in ſpeciem cuculli, circumvolutum gerunt: quod factum opinor, ut ita facilius ludentium factiones diſtinguerentur.

LVDOS CVRVLES & AGONIA ſive AGONALIA edere conſueverunt Etruſci, quod & Graeci fecere, menſe Ianuario, ob laetitiam ineuntis anni, in honorem Iani, cuius numen maximo cultu venerabantur, eiuſque in feſto munera ſibi invicem miſſitabant: quod etiam a priſcis Latinis factum fuiſſe conſtat (2). De his Corippus (3):

Dona Kalendarum properant vicina mearum
Vos veſtris adſtate locis, properate, parate,
Promiſſaque die noſtros ſpectate CVRVLES.

His addendi ſunt gladiatorii ludi; quandoquidem Herodotus ludorum omnia genera Etruſcos in Italiam invexiſſe memoriae prodidit (4). Maxime vero Gladiatores omnium primi Etruſci invenere (5). Horum ſpectacula non ſolum in funeribus & in conviviis, verum etiam in publicis ludis & theatris (quae in Etruriae urbibus extitiſſe perſpicue oſtendunt rudera & ingentes ſubſtructiones, quae Arretii & Volaterris adhuc viſuntur) triumphantes duces, aliique principes viri edere conſueverunt. Gladiatorum funebres ludi frequenter in ſepulcris Etruſcorum ſculpti occurrunt: at Gladiatorum munera a triumphante edita, ut obſervat Bonarrotius, exhibet pictura inſignis Vaſis Etruſci, quae apud Dempſterum adfertur in Tabula XLVIII. noſque ad ornatum huius Claſſis IV. in principio propoſuimus.

Ad Tabulam CLXXVIIII. revertor, in qua, quod memoria excidit, notandum, alterum tantum lictorum, qui faſcibus in ſiniſtro humero impoſitis, triumphantem praecedunt, gerere etiam bacillum, quo a dextris populum, ut opinor, ſubmoveret, ne viam impediret.

A TA-

(1) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXXVI. pag. 48.
(2) Vide Corradini Veteris Latii Lib. I. Cap. XXV.
(3) Lib. II.
(4) Lib. I.
(5) Ex Nicolao Damaſc. apud Athenaeum Lib. IV. pag. 155.

Digitized by Google

A TABVLA CLXXXI. AD CLXXXV.

SALTATIO ARMATA Ludi gymnici & venationes veterum Etruſcorum. In natali NOVI SOLIS *ſacra & ludi Mithriaci celebrati, ex anaglyphis ſculpturis marmoreae Cathedrae arcuatae illuſtrantur.*

COelium montem priſci auctores Varro (1), Feſtus (2) & Dionyſius (3) tradunt ab Etruſcis occupatum fuiſſe, atque a Coelio Vibennio, Etruſcae gentis duce, qui eum ſibi delegit, poſt eius mortem adpellatum fuiſſe; nam antiquitus Querquetulanum cognominarunt, quod talis ſilvae frequens ſecundusque eſſet, teſte Tacito (4). Igitur in eius clivo, qui Euro-Auſtrum reſpicit, atque interiacet Lateranenſi Baſilicae & muris Vrbis, anno CIƆ.IƆ.CC.XXXII. effoſſa eſt marmorea Cathedra arcuata, anaglypticis ſculpturis inſignis, quam exhibeo in Tabulis CLXXXI. CLXXXII. CLXXXIII. CLXXXIIII. CLXXXV. Ea nunc exſtat Romae in Muſeo Principum Corſiniorum. Viri antiquitatis periti, inter quos vir Celeberrimus Antonius Maria Lupi Societatis Ieſu Presbyter, nemini ſecundus, civis & amicus meus ſuaviſſimus, eiuſdem Cathedrae anaglypha Etruſci artificii eſſe, fabulaſque ſive ignotas hiſtorias praeferre ſuſpicantur (5). Mihi quoque nonnihil Etruſci opificii praeferre viſa eſt. Peraccurate delineatam ab Equite Hieronymo Odam, eam ad me miſit vir Praeſtantiſſimus Ioannes Bottarius, Praeſul a ſecretiori Clementis XII. Pontificis Maximi Sacello.

Quod vero haec Cathedra, quam MITHRAE INVICTO dedicatam fuiſſe auguror, ex nonnullis coniecturis, quas mox adferam, Etruſci artificis manum redoleat, ex eo intelligo, quia praeter

(1) Lib. IV. Ling. Lat.
(2) Lib. III.
(3) Lib. II. Antiquit. Rom.
(4) Lib. IV. Annal.
(5) Diſſert. ad Epitaphium Severae Martyris pag. 43.

coronides & maeandra, aliaque ornamenta, quae in monumentis Etruſcis ſaepenumero occurrunt, complures figurae, ut viri, qui inequitant armati cum peditibus: itemque virgo Ciſtophora & ſacrificuli, qui ad ſacrificium procedunt: & venationes eodem fere modo exhibentur, ut in Vaſculo ex argento inaurato, Etruſcis litteris inſcripto, quod nunc exſtat in Theſauro Mediceo, atque in eius patera, quae adferuntur apud Dempſterum in Tab. LXXVII. & LXXVIII. Hoc Vaſculum manu Etruſca omnium antiquiſſima caelatum eſſe cenſet Cl. Bonarrotius (1).

In ſuperiore zona, quae anaclinterium intrinſecus ornat, ut exhibent adlatae Tabulae CLXXXI. & CLXXXV. ſex equites cernimus, equis inſidentes, quos, ut antiquiore aevo mos fuit, nullis nec frenis nec velis regunt. Armati ſunt galea, clypeo & gladio, induti vero brevi tunica. Singulis equitibus praeeunt pedites, iiſdem armis, ac praeterea haſta lati mucronis, inſtructi. Hi, ut puto, ad ludos proficiſcuntur, in honorem DEI MITHRAE celebrandos, quem coluiſſe Etruſcos, ex adlatis monumentis ſatis ſuperque conſtat. Siquidem ita armati decurrere ſolebant, & circa aram, in qua ſacer ignis ardebat, Deo ſacra facientes, ſaltabant ſaltatione armata, quam Pyrrichen dixere. Saltantes, variis geſtibus vel arationem vel aliquid aliud repraeſentare ſolebant, uti videmus etiam in adlato Vaſculo apud Dempſterum Tabula LXXVIII. Ad tibiarum duplicium concentum, ad muſicos modos & hyporchematum cantum ſaepenumero haec ſaltatio fiebat, ut cernitur in eodem Vaſculo: in quo tum a dextra verſus laevam, tum a laeva verſus dexteram, mutua vice ſaltationem agunt, ut Zodiaci referant imaginem quamdam, cuius motus caelo diverſus adparet, ab occaſu ad exortum (2).

In altera zona, qua anaclinterium eiuſdem marmoreae Cathedrae ornatur, inſculpta eſt venatio. Tres apros, diverſa via fugientes, venatores cum canibus, armati ſagittis & venabulo lato ferro, ut eos confodiant, inſequuntur. Apri & cervae & tauri ſilveſtres, uſitatiores apud Etruſcos ferae, quas venari conſuevere. Vſi etiam ſunt aliis inſtrumentis venatoriis, nempe verubus, ſecuribus & malleis, & duplici haſta & clypeo, uti in aliis Etruſcis ſculpturis ac picturis animadverti.

In tertia zona, quae inferiorem Solii partem ornat, nil notatu dignum, praeter flores & folia, ut videntur, hederacea, occurrit. In infima vero zona, totius ſculpturae eiuſque eruditionis cardo

(1) Ad Monumenta addita Dempſtero §. XXXII. pag. 55. 56. & 69.

(2) Vide Caelium Rhodiginum Lib. V. Cap. III.

cardo in eo verſatur, ut explicemus, quem referat, quidve ſignificet vir ille magnae ſtaturae, qui nudus corpore, brevibus brachiis, ingenti capite, in aram ita incumbit, ut in ea non ſe abſcondere, ſed potius, ni fallor, ex ea adſurgere paullatim videatur. Diu multumque mecum animo cogitavi, qui nam vir ille ita expreſſus eſſe poſſet. Tandem, ex multis ea coniectura veriſimilior viſa eſt, quod facile referre poſſit DEVM INVICTVM MITHRAM, cuius natalem diem veteres Etruſci, ac deinde Romani, Perſarum atque Aegyptiorum exemplo, ut erudite oſtendit vir doctiſſimus Philippus a Turre (1), equorum decurſione, ludiſque Circenſibus celebrare conſueverunt. Natalis eius dies, in vetuſtis Kalendariis conſignatus (2), multa cum celebritate & laetitia agebatur VIII. Kalendas Ianuarias, nimirum die vigeſimaquinta Decembris. Siquidem Sol, integro Zodiaci circulo per anni tempeſtates emenſo, quum ad extrema hiberni tropici delapſus eſt, tunc quaſi ab imo & profundo loco emergens, ad ſuperiora revertitur, novumque curſum inchoando, quodammodo renaſci videtur. Id etiam adnotavit Iulianus Imperator, de hac ipſa die ſolemni nativitatis MITHRAE, id eſt SOLIS, diſſerens (3), ut obſervat idem Philippus a Turre. Nam Solem, anni curriculum permeantem, veluti per aetatum vices tranſire fingebant antiqui: & ita quum ad eius finem perveniſſet, tamquam completo vitae ſpatio, ad ſenectutem delapſum eſſe dicebant. Ita eum ad Deorum conſiſtorium accedentem deſcribit Capella (4): *Facie autem, mox ut ingreſſus eſt, pueri renidentis, in inceſſu medio iuvenis anheli, in fine ſenis adparebat* OCCIDVI. Quum igitur occiduus Sol in extrema ſenectute, dum novum curſum inſtaurat, quaſi in novam vitam prodeat; nil mirum quod denuo naſci crederetur, iſque DIES eius NATALIS adpellaretur. Nam vere tunc *parvus & infans videtur, qualem Aegyptii proferunt ex adyto*, ut ait Macrobius (5), qui luculentius rem noſtram adtingit (6). *Quum* (inquit) *ad minimum diei* SOL *pervenit ſpatium: quod veteres adpellavere brumale ſolſtitium, brumam a brevitate dierum cognominantes. Ex quibus latebris vel anguſtiis rurſus emergens, ad aeſtivum hemiſphaerium tamquam* ENASCENS, *in augmenta porrigitur*. Alia, quae erudite obſervat idem Philippus a Turre, de natali die SOLIS eiuſque feſto, ne taedio lectores adficiam, praetermitto.

Praeter quatuor equites, quatuorque pariter milites pedeſtres ad decurſionem properantes, in honorem MITHRAE vel in Circo vel

(1) De Mithra Cap. VI. pag. 225.
(2) Vide Aegil. Bucherium de doctr. temp. pag. 288. Lambecium Tom. IV. Bibl. Caeſ. pag. 300.
(3) In Oratione IV.
(4) Lib. I. de Nupt. Philol. pag. 20.
(5) Lib. I. Saturnal. Cap. XVIII.
(6) Vide ibidem Cap. XXI.

Digitized by Google

vel circa eius aram celebrandam, qui forſitan quatuor anni tempora deſignant, editos quoque, propoſitis eximiis praemiis victoribus, ludos gymnicos, & venationes ſacrumque peculiari ritu peractum, cernimus. Recte vero nec ſine conſilio factum videtur, ut idem SOL, giganti quodammodo ſimilis, ex ara ſe ſe adtollens atque exſurgens exprimatur, & hac ſpecie ſculptus ſit in quarta zona inferiore huiuſce marmoreae Cathedrae, ut oſtendatur ex inferiore hemiſphaerio ad ſuperius eo temporis adſurgere.

Prope aram NASCENTIS SOLIS adſtat iuvenis aperto capite, brevi tunica amictus, qui dextra ſublata manuque aperta eum evocare atque excitare videtur, forſitan etiam cantatis de more quibuſdam carminibus, & fauſtis adclamationibus: ſiniſtra vero breve iaculum tenet, quaſi radiorum Solis in novo ortu haud multum activam virtutem notet. Hiemis tempus indicant apri in altera zona ſculpti, quos venatores occidere conantur; nam Adonidis fabula ab Apro interemti, ex priſca Mythologia nihil aliud praefigurat, quam Solem, quum in hiemalibus ſignis moratur, quae nobis videntur inferna, ut obſervat Macrobius (1): qui etiam memorat, Aſſyrios & Phoenices Venerem Architidem eximia religione deveneratos eſſe, & hanc propter Adonidis interitum lugentem lamentantemque induxiſſe, eamdemque eo reddito, ab Inferiſque revocato laetantem: qua fabula nihil aliud ſignificare voluerunt, quam terram Sole, quem Adonis exprimit, hiemalia ſigna peragrante, quodammodo triſtari: ad laetitiam rurſus hilaritatemque componi, quum illis decurſis, ad alteram ſigniferi partem tranſit (2). Maximus primuſque Deorum omnium Ianus ab Etruſcis cultus, idem ac Sol a Macrobio cenſetur: ideoque *Tatuleius* & *Cluſius* adpellatus (3), quod ortus mundum aperire videatur, occidens vero claudere: ideoque quia ortum & occaſum, meridiem & ſeptentrionem illuſtrat, tum bicipitem, tum quadricipitem expreſſere.

Interim SOLE NASCENTE iuxta eius aram, Etruſco ordine ac ſymmetria exſtructam, quae etiam altera, in qua ardet ſacer ignis, humilior eſt, in ſignum publicae laetitiae, ludi gymnici duplicis generis ſpectantur: iiſdemque duo Agonothetae ſive Gymnaſiarchae praeſunt ſedentes, ut clarius adlata Tabula CLXXXIIII. oſtendit. Ita quoque in Hypogeo Etruſco, quod prope Cluſium detectum eſt anno CIↃ.IↃ.CC.XXXIV. picturis undique exornato, quas alibi proferam, dum pugiles Etruſco more, ut etiam tradit Athe-

(1) Saturnal. Lib. I. Cap. XXI.
(2) Vide Benedictum Averanium Diſſert. X. in Euripid. num. II.
(3) Saturnal. Lib. I. Cap. IX.

Athenaeus (1), ad tibiarum concentum certant, in medio poſita eſt columna, in qua, ut opinor, praemia victoribus danda proponi ſolebant: ſedenteſque Agonothetae in ſua ſede, eodem fere modo interſunt, & virgam tenent. Hoc vero notandum, quod in hac ſculptura veſtiti, in Cluſina vero pictura nudi pugiles decertant. Ante eoſdem Agonothetas, in hac Cathedra expreſſos, binae haſtae humi defixae viſuntur: quae, ut arbitror, praemia eſſe poſſunt eorum, qui luctantur; nam eorum, qui halteribus armati certant, in medio propoſita eſt galea, quae cur tantae magnitudinis facta ſit, adhuc mihi ignotum. De halterum forma, Halteriſtarumque certamine, quum nonnulla ad Monumenta addita Donianis Inſcriptionibus, nuper editis, obſervaverim, non vacat ea rurſum heic procudere. Halteres in uſu apud Etruſcos fuiſſe, hoc loci adnotare lubet: quod eo magis credibile eſt, quia ceſto, bubulis loris contexto, manus quoque armaſſe perſpicue oſtendunt Etruſcae monetae, ſive pondera, quae apud Dempſterum in Tabula LX. num. II. & IV. edita obſervantur (2).

Quae ſuperſunt anaglypha in infima Cathedrae ſeu Throni zona, primum oſtendunt in celebrando NATALI DIE SOLIS, ſacrificium ſolemni ritu & caerimoniis peractum fuiſſe. Primum iuxta arborem, quatuor tantum maioribus foliis frondoſam, ad indicandam temporum inſtaurationem renovationemque, ara ſublimior ſacro igne accenſa eſt. Inſunt in eadem ara ſacrificalia quaedam inſtrumenta, quae mihi ignota ſunt. Ad ſacrificium accedit iuvenis equo invectus, qui, quod notatu dignum, hoc tantum in loco equum frenis ac loris moderatur. Forſitan is eſt Sacerdos SOLIS INVICTI MITHRAE, elegantiore prae ceteris veſtium cultu inſignis, qui honoris cauſa, ad hoc ſolemne ſacrum peragendum, equo vectus proficiſci ſolitus: vel potius eumdem SOLEM exprimit, qui ſacrificio ſibi praeparato praeſens advenit. Iam enim perſpicuum eſt ex aliis monumentis, Etruſcos crediidiſſe, ſingulis hominum actionibus praeſentes Deos adeſſe, praecipue vero ſacris in honorem divini Numinis peractis: quod etiam luculenter oſtendit Senator Bonarrotius, diſſerens de Epiphania Deorum apud veteres Tuſcos (3). Victima, in hoc ſacro immolari ſolita, taurus fuit, quem, abſoluta ſacrificii pompa & circumductione, inſtita ſacra ſeu vitta coronatum, nec dubium etiam, ut mos erat, cum cornibus inauratis, ad aram immolandum adducit popa ſeu victimarius, qui laeva acierem, ut ait Feſtus, ſive ſecurem defert.

Tau-

(1) Deipnoſoph. Lib. IV. Cap. XIII.
(2) Vide etiam Bonarrotium ad Monum. addita Dempſt. §. XXXVIII. pag. 80.
(3) Ibidem §. XXII. pag. 30.

Taurum ſequitur alter iuvenis e ſacro MITHRAE famulitio, dextra ſtimulum, laeva cymbium, forte ad colligendum taurinum ſanguinem, portat. Sequuntur alii duo, lagenam ad fundendum vinum, vel arferiam innexam conto, ex eoque humeris ſuſpenſam, ferentes: poſterior vero gerit ad haec etiam capedunculam. Hos ſequitur Canephora, velato capite longiori panno, amicta ſtola ſuccincta, quae ciſtam ſacris arcanis plenam capite defert, dextra quoque vaſculum portat. Agmen claudunt duo viri ſimul euntes, eodem modo ornati palliolo, latitantibus brachiis ac manibus: qui vel ſacrificuli eſſe poſſunt, vel potius hymnologi, vel mimi & hiſtriones, qui in hunc fere modum palliati in compluribus Etruſcorum Vaſculis inducuntur; nam poſt ſacra, ut diximus, ludi omnium generum ad populos exhilarandos edebantur. Illud praeterea adnotandum hoc loci videtur, de quo ſuperius monebam, in hiſce quoque MITHRAE ſacris, ſacrificulos omnes nudis pedibus rem divinam peregiſſe.

In his annuis ſacris, ut opinor, erat aliquis, qui ad aram, ut in marmore exhibetur, SOLIS perſonam indutus, eum geſtu niſuque quaſi e profundo emergentem NASCENTEMQVE repraeſentabat. Hanc vero Cathedram, Thronum, Solium, quove alio nomine adpelles, SOLI MITHRAE INVICTO ſacrum fuiſſe arbitror. In hoc etiam eiuſdem Numinis Epoptae honoris cauſa, quaſi ὁμόθρονους, Diis aequales ſeſſores, ut reor, initiatos ſedere faciebant, poſtquam SACRA MITHRIACA, emenſis omnium probationum gradibus, percepiſſent: idque in hac Cathedra myſtice agebatur, ut intelligerent, non ſecus ac SOLEM in hiemali Solſtitio, exuto ſenio, ad novam melioremque vitam renatos eſſe. Haec initiatorum *collocatio in ſolio*, agitantibus circum choreas aliis Myſtis, Θρονισμὸς ſive Θρόνωσις dicebatur, cuius, ut obſervat Ioannes Meurſius (1), meminit Plato in Euthydemo, ad quem locum reſpexit Proclus (2). Meminit etiam Dio Chryſoſtomus (3), Heſychius aliique (4). Haec praeſertim fiebat in ſacris Samothracibus & Cabiriis, quae, ut diximus, ad expiationem animarum Dii Cabiri ſive Corybantes, qui idem ſunt (5), inſtituerunt. Deſcripſerat huius in ſolio collocationis ritum Orpheus ſive Nicias Eleates, ut alii volunt, & Poëma Θρονισμοὺς inſcripſerat, de quo Suidas (6). Praeterea initiatorum caput oleae germine coronabatur (7), eorumque ven-

(1) Lib. IV. Graec. Feriat. pag. 175.
(2) Theol. Plat. Lib. VI. Cap. XIII.
(3) Orat. XII.
(4) Vide Robinſonum Lib. V. quem citat Aſtorius de Diis Cabiris §. XII.
(5) Vide Clementem Alexandrinum in Protreptico.
(6) Vide Tom. II. pag. 719. in voce Ὀρφεύς.
(7) Adeundus Proclus in Platonem de Rep.

venter faſcia purpurea circumligabatur (1). Horum ſacrorum arcana prodit nobis Arnobius (2): *Oblivioni etiam* CORYBANTICA SACRA *donentur, in quibus ſanctum illud myſterium traditur: frater trucidatus a fratribus*. Firmicus (3): *In ſacris Corybantum parricidium colitur; nam unus frater a duobus interemtus eſt*. Idem etiam: *Qui fraternum deſiderat ſanguinem, Corybantum ſequatur inſtitutum*. Id hoc loci, quia paullo ante exciderat, nolui praetermittere; nam in adlato ſuperius Sepulcro Etruſco Tab. CLXXV. mutua caedes circa aram a ſex militibus patratur; quare facile crediderim, haec quoque SACRA CORYBANTICA in eodem Sepulcro repraeſentari: quae Etruſci dubio procul uſurparunt, tum pro expiatione ſuorum ſcelerum, tum etiam defunctorum ſibi carotum.

TABVLA CLXXXVI. CLXXXVII. CLXXXVIII.

MVSICA ET POËSIS ANTIQVA Etruſcorum: Ludi Scenici, Tragoedi, Comoedi, Ludiones perſonati, Hiſtriones, Mimi, Saltatores ceterique artifices, ex vetuſtis monumentis illuſtrantur.

MVSICAM, Deorum inventum divinumque opus, Romanos gentium victores, non ab aliis quam ab Etruſcis accepiſſe, Strabo teſtatur (4). Siquidem quum Tuſci Citharodia atque Auletica arte, canendiſque modis praeſertim Lydiis mirifice praecellerent, eorum exemplo Romani, Numa auctore (5), Collegia Fidicinum & Tibicinum inſtituere, qui publicis ſacris praeſto eſſent (6). Quod vero Etruſci Muſicam ſummo in honore ac pretio habuerint, caeleſtemque eius originem eſſe crediderint, ex eo lubet arguere, quia omnium primi ſimulacra Deorum Melopoeiae inventorum, cum muſicis inſtrumentis ſculpta, Italis gentibus monſtrarunt, eaque adoranda poſue-

(1) Ex Apollonii Scholiaſte Lib. I. ubi agit de Samothracum myſteriis.
(2) Lib. IV. adverſ. Gent.
(3) De errore prof. Relig.
(4) Geograph. Lib. V. pag. 220.
(5) Vide Plutarchum in vita Numae, & in Quaeſtionibus Romanis pag. mihi 277.
(6) Gruter. CLXXV. 10. Reineſ. Cl. I. 167.

poſuerunt. Iam enim ex adlatis ſignis conſtat, eos Apollini & Muſis citharam ac plectrum, Pani tibias & fiſtulam, Baccho quoque eiuſque famulis haec aliaque muſica organa pro inſignibus tribuiſſe & conſecraſſe. Quam ob rem quum crederent Deos muſicis cantibus & modulationibus magnopere delectari: putarentque identidem, ſacra rite facientibus adeſſe praeſentes; Muſicam in ſacris adhibendam eſſe ſanxerunt. Putabant etiam muſicis cantilenis, homines primum agreſtes, omni exuta feritate ac ruditate, ab humanis occupationibus abſtractos, ad Deum colendum converſos eſſe. Igitur cum ipſa religione ac pietate in Deos, Muſicam apud Etruſcos ortum atque initium habuiſſe, veriſimile eſt.

Perſpicue id teſtantur adlata tum in Dempſteriano, tum in hoc opere antiqua Etruſcorum monumenta. Omnium muſicalium organorum antiquiſſima fuit fiſtula, ex pluribus calamis compacta, ac primum quidem paribus, poſtea imparibus: ad cuius ſonum cantumque, & ad carminum meliſmata, ſacras choreas in honorem Deorum agitare conſueverunt, uti iam oſtendimus ad Tabulam CLX. Poſtea etiam choreae agitatae ad tibiarum & fidium concentum, & dum ſacra ad aras Deorum fierent, ut in ſuperiore Tabula CLXXII. & apud Dempſterum Tab. XXXVI.

Neque etiam ſacros conventus habere, pompas Deorum celebrare, ſacra libamina offerre, hymnos cantare ſolitos ſine muſicis inſtrumentis exploratum eſt. Iam ſacra Mithrae, ab initiatis ſuſcepta ad ſynodiam tibiarum & fidium, atque etiam ex tabula pugillari cantata ſacra carmina & preces, perſpicue oſtendit Vrna Peruſina, ſuperius illuſtrata atque edita in Tab. CLXXII. Qua vero celebritate Paeana in honorem Apollinis caneretur, oſtendit inſigne Vas Etruſcum, editum a Dempſtero Tab. LXIII. in quo adhibitam lyram & tibias duplices cernimus: ac praeter Citharoedum, Cithariſtriam & Hymnologum, Nomothetem quoque, & ſacrarum modulationum moderatrices feminas intereſſe perſpicuum eſt. Quid de Saliis, Poëtis, Cantoribus, Choraulis, Fidicinibus, Thymelicis, Symphoniacis, Sabulonibus, Sambuciſtis, Phonaſcis: quid de Choragiis & Chori moderatoribus dicam? Quanta hinc ſeges eruditionis colligi poteſt, ſi quis accuratius de his omnibus, deque priſca Etruſcorum Muſica diſſerere velit! de qua paucis quidem, & ſatis ieiune, ad hoc tempus tractatum eſſe probe video. Quid de ſacris Bacchi Orgiis? Quanto cum adparatu muſicorum inſtrumentorum ea celebrata novimus ex elegantiſſimis Etruſcorum Vaſculis, Dempſtero additis Tab. XI. XII. XVII. & XVIIII. In his lyram, tibias, buccinam, tympana, cymbala, crota-

crotala, ſcandulas aliaque harmonica organa adhibita cernimus, quae ampliſſimus Bonarrotius luculenter illuſtrat.

Neque vero in ſacris tantum, ſed & in conviviis, in nuptiis, in funeribus MVSICA uſi ſunt veteres Tuſci: idque antiquiore aevo factum religionis cauſa, quia in his Deorum & Heroum laudes canebantur. In bello etiam Heroes & milites perſtrepente buccina tubaque pugnare ſolitos, ex adlatis monumentis obſervavimus. Puto etiam, Epinicia in laudem victorum cantata fuiſſe. Pugilum certamina, ad concentum tibiarum a Tyrrhenis edita, oſtendunt antiquiſſimae Etruſcorum picturae & ſculpturae, traditque Eratoſthenes apud Athenaeum (1). In funeribus Tragicam ſaltationem (Graeci Εμμέλειαν vocarunt) ad graviorem maioris fiſtulae cantum, exhibitam fuiſſe oſtendit Etruſca Vrna, quae Peruſiae exſtat, a Dempſtero edita in Tabula LXXIII. Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia & aequitate libido atque ſuperbia luxuſque invaſere, nullus Muſicis acroamatibus modus fuit, praeſertim in conviviis, quae ſplendidiſſima ac ſumtuoſiſſima fuere: quaeque primum ad virtutem tendebant, omnia in luxum converſa.

Haud etiam abſurdum erit ſuſpicari, Muſicos ludos habuiſſe veteres Tuſcos. Muſici certaminis fidem, ut arbitror, facit adlatum ſupra in Tabula LXX. pulcherrimum Vaſculum ex Vaticana Bibliotheca, in qua Hymnologus ſive Poëta pictus cernitur: cui, quod omnium aures carminum & cantus dulcedine pellexiſſet, Muſarum una, Calliope princeps, ut videtur, in aëre ſuſpenſa adparet, citharamque argutis digitis percurrit; quaſi Muſarum celebratione & laude dignus deſignetur ille Poëta, cui idem Vaſculum in Muſicis Poëticiſque certaminibus pro praemio, honoris cauſa, datum fuiſſe auguratus ſum.

Apud veteres Tuſcos ſicuti Muſica, ita etiam Poëſis eſt antiquiſſima, & cum religione ipſa nata videtur. Memorant priſci auctores Saliorum carmina, quae ſaltantes canebant in honorem Deorum: cuius inſigne ſpecimen, ut paullo ſuperius monebam (2), adfert Macrobius (3), quod neſcio an alii ante me obſervaverint. Alterum ſpecimen Etruſcae Poëſis nobis aperuit Adrianus Scrieckius Rodornus (4) in Tabula Eugubina, Etruſce ſcripta, quam Gruterus primum edidit (5): eaque prima eſt in Dempſteriano Opere. Lubet quinque priores lineas adferre, quas, ut ipſe ait, auxilio Teutonicae linguae, quam quidem Hebraicae

(1) Deipnoſoph. Lib. IV. Cap. XIII.
(2) In ſuperiore Diſſert. III. Claſſis III. pag. 301.
(3) Saturnal. Lib. I. Cap. IX.
(4) Origin. in Indice III. in voce HETRVSCA poſt Lib. V. Monitorum ſecundorum edit. Ypris Flandr. MDCXV. in fol.
(5) Pag. CXLII.

valde adfinem credit, interpretatus eſt, iuxta Alphabetum a Bernardino Baldo concinnatum :

VYIƎϽA : VYIMAKƧƎ : ƧAJdΦVDYƧ : YNVDADƎ : VYIϽVYDV1
VYAKƎƧVD1 : ADBƎYAIIDY : IYNAƧƧ : AMAIYDƎY : KƎMVNI
ƧƎNVMƎV1 : ƎNVƧƎϽ : AMVJd⅁D⅁ : ƎƧƎƧ : VD1VƧ : KƎqƎ
KƎƧI : AYANƎYƎ1 : AJdΦVDYƧ : VYIϽVYDV1 : ƧƎdIq1V1
:ƎNVMƎV1 : ƧVqI1AK : YNVD⅁D⅁D⅁ : VYIƎϽqA

Rūdfûcifū ȇdâdūnf ſfdōblás ȇſkâmîfû âcēifū
īnûmȇk fȇdfiamá frânſı ſdiafēgdā rdûſȇcāſū
ēpȇk ſūrdû ſȇſe ēdȇolûmá cȇlūnē rūemūnēs
Rūrpibȇs rūdfûcıfū ſfdūōblâ rȇfēnâſâ íſȇk
āpkiſū ēdēdȇdūnf cârıpūs rûȇmūnē.

Rubicunde flagrans ignis . ardor circunfuſe . faciens ſuperne inflationem . aquis egrediens ignis . ſilvarum ignis .
In veſtra potentia . facientes flammam violenter . quae deverrebat tranſpenetranti igne .
Plana rudia . confidenteſque camporum flores . viarum altarum Romanarum .
Etruriam propinquam . rubicunde flagrans ignis . facto ſuper flatu . deplanajti horribiliter .
Voranti igne . ardore circumfuſo . conglomeratus ſupra altitudinem . Romanam .

Quae ſi vera ſint, intelligimus Etruſcos Haruſpices & Augures in expiatione fulminum ſacra quaedam carmina cantaſſe, quae in eadem Eugubina Tabula ſcripta eſſe putat idem Scrieckius Rodornus.

Adiatos priores quinque verſus huiuſce Tabulae I. quae apud Eugubinos extat, ut huius rei experimentum facerem, convertere volui, expoſitis litteris iuxta interpretationes & expoſitiones legeſque praeſcriptas in Alphabeto, primum a Bonarrotio, deinde a Bourguetio concinnato, exempli gratia, primum verſum in hunc modum:

PVR̄TV̆KĪT̄V : ĔRĂRVN̄T : STRV̆ĔB̄L̄AS : ĒSKĀMĪTV̆ : AKĒĪTV

ſinguliſque verbis, aurium iudicio, adpoſita temporis vel brevis vel longi menſura, comperi carminis quaſdam leges cum metro in modum hexametrorum continere.

Quod vero hae Tabulae Eugubinae, maxima ſaltem ex parte, ſacra carmina continere poſſint, ex eo haud difficile argui poteſt,

teſt, quia ad modum carminum, non proſae ſcriptae ſunt: quilibet etiam verſus ab alio diſtinctus, ſeorſum incipit deſinitque, poſt ſe relicto vel maiore vel minore ſpatio; non enim ſingula verba ſimul coniunguntur & continuantur, ut in ſoluta oratione fieri ſolet; quare & in reliquis quoque Tabulis Eugubinis, ubi verſus non ſunt adeo longiores, carmina eodem modo ſcripta eſſe crederem. Probabile igitur videtur, has Eugubinas Tabulas, potius continere ſacra quaedam carmina, vel pro fulminum tactique loci expiatione, vel ſacras preces carminibus conceptas ad averruncanda mala, puta peſtem, famem, ſiccitatem, nimiam pluviam, aliaſque armentorum & agrorum & populorum calamitates, quam communes cum finitimis populis pactiones, vel circa fines, vel circa alia, ut ſuſpicatur Bonarrotius (1) aliique etiam augurati ſunt. Profecto dum ſacra apud Etruſcos agerentur, adlatas tabulas ſcriptas in hunc modum, atque ex ipſis lectas & cantatas fuiſſe ſacras preces carminibus conceptas, perſpicue oſtendit edita ſuperius Vrna Tab. CLXXI. num. 1. in qua ſacra Mithriaca exhiberi, ſolemniterque Baptiſmum initiatis tradi, accedente ſcriptorum fide & auctoritate, obſervavi. Illud praeterea adnotandum eſt, quod muſicae modulationes tibiarum & fidium fiunt, dum ſacra traduntur, & ſacrae preces canuntur a Lectore ſeu Cantore Mithriaco: quare ad muſicum concentum nonniſi ſacra carmina cani potuiſſe, nemo eſt qui non videat. In hunc fere modum carminibus forſitan conceptam ſuſpicor Eugubinam Tabulam VI. quae apud Dempſterum exhibetur, continetque Pelaſgorum ſacras preces ſive Litanias, ad avertendam ſiccitatem omnium deterrimam, aliaque pecoris & agrorum maxima infortunia, Iovi potentiſſimo ceteriſque Diis ſolemniter decantatas, quas maximo litteratorum plauſu nuper interpretatus eſt vir doctiſſimus Ludovicus Bourguetius.

Ad MVSICAM Theatralem gradum facio. Hanc veteres Tuſcos adhibuiſſe in Scenicis ludis, conſtat ex adlatis monumentis apud Dempſterum. In Vrna prolata in Tabula LXXIII. in qua ſcena Etruſcorum exhibetur, duo Mimi ſaltant, pariterque muſicis canunt inſtrumentis, fiſtula nimirum, e ſeptem calamis imparibus compoſita, & alia fiſtula minori diverſique ſoni, ut videtur. Lubet Livii inſignem locum adferre (2): quo conſtat, quo tempore quave occaſione Romani ab Etruſcis acceperint ludos ſcenicos, & quantum iampridem in his edendis, nec ſine muſicis modulationibus, Tuſci excelluerint. *Inſequenti anno, C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone conſulibus, peſtilentia fuit: eo nihil dignum memoria actum, niſi quod*

(1) Ad Monum. add. Dempſt. §. XLVI. (2) Decad. 1. Lib. VII. in princip.

quod pacis Deûm expoſcendae cauſa, tertio tum poſt conditam Vrbem lectiſternium fuit : & quum vis morbi nec humanis conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, LVDI *quoque* SCENICI, *nova res bellicoſo populo (nam Circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia coeleſtis irae placamina inſtituti dicuntur. Ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, & ea ipſa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, Ludiones ex Etruria acciti, ad Tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Tuſco dabant. Imitari deinde eos iuventus ſimul inconditis inter ſe iocularia fundentes verſibus coepere : nec abſoni a voce motus erant; accepta itaque res, ſaepiuſque uſurpando excitata. Vernaculis artificibus (quia* Hiſter, *Tuſco verbo* Ludio *vocabatur) nomen Hiſtrionibus inditum : qui non, ſicut ante, Feſcennino ſimilem verſum, compoſitum temere ac rudem alternis iaciebant; ſed impletas modis Satyras, deſcripto iam ad Tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius poſt aliquot annos, qui ab Satyris auſus eſt primus, argumento fabulam ſerere, idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, quum ſaepius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem quum ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat : inde ad manum cantari Hiſtrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipſorum voci relicta. Poſtquam lege hac fabularum, ab riſu ac ſoluto ioco res avocabatur, & ludus in artem paullatim verterat; iuventus, Hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactitare coepit : quae inde exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt : quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit iuventus, nec ab Hiſtrionibus pollui paſſa eſt : eo inſtitutum manet, ut auctores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tamquam expertes artis ludicrae, faciant. Inter aliarum parva principia rerum, ludorum quoque prima origo ponenda viſa eſt; ut appareret, quam ab ſano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam venerit. Nec tamen ludorum primum initium, procurandis religionibus datum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit.* Haec, quae Livius memorat, evenere anno ab Vrbe condita CCCXCIV. ſi attendas Faſtos Conſulares Anonymi.

Iam igitur ab initio, quum valida Etruſcorum res eſſet, ſpectacula omnia, atque haec inter Theatralia, nimirum Tragica, Comica & Satyrica, religionis cauſa, ut ait Tertullianus (1), inſtituta eſſe conſtat : quorum fama longe lateque ita percrebuit, ut ab his Romani omnes ludicras artes didicerint. Celebre eſt Volumnii nomen, qui Tragoedias Tuſcas ſcripſit, teſte Varrone (2), Etruria nondum imperio populi Romani ſubiecta, quo tempore Roma non-

(1) De Spectaculis Cap. II. (2) Lib. IV. de Ling. Lat.

nondum Tragoediae uſum noverat. Tuſci omnium primi Tragicas perſonas, Tragicam ſaltationem, adhibitam quoque in funeribus, ut oſtendit Etruſcum Sepulcrum in Tabula LXXIII. penes Dempſterum, Tragicos cothurnos, veſtes, perſonas, faces, aliaque ad Tragicum Choragium pertinentia, invenere. In Choris Tragoediae, quod & ab aliis poſtea factum novimus, Furias cothurnis indutas, faces iactantes, Etruſcos introduxiſſe arbitror: quae forſitan eo prorſus modo, ut in Tragica Scena inducebantur, frequenter idcirco in ſepulcris ſculptae occurrunt. Tragicarum perſonarum uſus apud Etruſcos quam fuerit antiquus, perſpicue oſtendit fictilis Vrna addita Operi Dempſteriano (1). Inde etiam uſus apud Tuſcos invaluit, ut columnis, ad ſepulcrorum ornatum, quaſi humanae imbecillitatis indices, perſonae ac larvae Tragicae imponerentur: quod etiam a Romanis uſurpatum fuiſſe in funeribus & in ſepulcris exploratum eſt.

Quemadmodum in Choris Tragoediae, ad exhilarandos ſpectatores, ludicra ſaltatio cum Melopoeia, tibiarum & fiſtularum cantus praecipuum locum obtinuit, uti iam antea monuimus; ita & in Choris Comoediae, tum viros, tum feminas pſallentes & canentes muſicis modis, Ludiones quoque perſonatos, introductos conſtat ex compluribus Etruſcorum monumentis: inter quae non ultimum locum occupant, quae in hiſce Tabulis CLXXXVI. CLXXXVII. & CLXXXVIII. nunc primum a me proferuntur: quibus alia etiam, quae ſuperſunt valde inſignia, addi poſſunt, alibi proferenda.

Quae vero fuerit Etruſci Proſcenii ſpecies, quaeve ornamenta, oſtendunt tres paterae adlatae in Tabula CLXXXVI. quas archetypis paullo minores propoſui, ut Tabulae anguſtiis conſulerem. Patera, quae in medio eſt, adſervatur Cortonae in locupletiſſimo Muſeo Corazio. Tribus columnis exornatum Proſcenium cernimus, impoſitoque columnis Ionici ordinis epiſtylio, ac Tuſcanico parergo, e maioribus foliis compoſito. In altera patera tribunal quoddam cum rotundo faſtigio columellis & baſi impoſitum exſurgit. In altera patera, quaedam tabula, forſitan verſatilis, defixo humi veru impoſita, adnotanda eſt, in qua, ut arbitror, ordine quodam ſcripta vel picta erant, figuriſque minoribus expreſſa (quod etiam fieri ſolitum notat Athenaeus (2)) hyporchemata, variaque ſaltationum genera, quae fieri debebant in exodiis, quae Romani, Etruſcorum & Oſcorum exempla ſecuti, invexere. Nam Exodiarii moeſtitiam ex Tragicis affectibus conceptam, riſu excitato in

(1) Vide in fine Praefationis Tom. I.

(2) Deipnoſoph. Lib. XIV. Cap. VI.

in ſpectatoribus, ſaltatione, obſcenis corporis motibus, geſticulatione, vel ludicra vel loquaci, ridicula denique verſibus intexta iacientes, diluebant (1). Inſigniora Tragoediarum themata, Etruſcis maxime nota, ut iam ex adlatis Tuſcanicis ſculpturis oſtendimus, fuiſſe reor, Oreſtis facinora, fatum Andromedae, Perſeum Meduſae interfectorem, Medeam in Iaſonem & in filios neci datos ſaevientem, Tyrrhenos in delphines a Baccho converſos, aliaque huius generis argumenta, in quibus elucubrandis forte Volumnius Tuſcarum Tragoediarum ſcriptor, magnam nominis celebritatem conſecutus eſt, ut Varro commemorat. Sed ut redeam ad tabulam Comicam ſeu Tragicam, quae adnexa eſt tigillo humi defixo, ut videre eſt in propoſita patera num. v. aliam huic ſimilem obſervare non pigeat, ſculptam in eximia Gemma nuper edita in Muſeo Florentino (2): in qua vir inclinans ſe, ſchemata quaedam ſive Comoediae ſive Tragoediae argumenta, ſive exodiorum ordinem & partes, ſtilo inſcribere videtur. Adnotandi etiam Saltatorum Etruſcorum galericuli, quos gerunt, in modum pilei Phrygii, & tibialia reticulato opere confecta, quae inde in Scenam Romanam cum reliquis ornamentis migrarunt (3).

Veſtis brevis eſt, exomidi ſimilis, abſque manicis, itemque ſuccincta, ut Saltatores ad motus concinnos ludicroſque edendos expeditiores eſſent. Scuta quaedam (forte Caſtorum ſaltationem imitantur) ſeu levia tympana poſt ſe habent, quae, ut ſuſpicor, alterno pede ſaltantes pulſabant. In patera, quae num. III. in medio propoſita eſt, Mimae puellae exodia agunt, ſcite manibus loquacibuſque digitis geſticulantes: altera compoſito crine, altera galericulo comta, humilioribus denique ſoccis ambae inſignes.

Alia ſuperſunt Etruſci Proſcenii ornamenta, ianua nimirum & pulpitus ſive ſuggeſtus, in quo fabulae perſonatae repraeſentabantur. Ianuam ſculptam exhibet Etruſca Vrna ſaepius memorata apud Dempſterum in Tabula LXXIII. quae etiam ianuam Orci & Sepulcri denotare poteſt. Ea rudi ornatu effecta eſt: ſecutis temporibus Scenam ornatiorem Romani aperuere: aulaeis, velis, encarpis, capitibus bubulis, ceteriſque ornamentis, quae Vitruvius commemorat, mirifice auctam. Huius exemplum nuper nobis exhibuit in Tabula II. Vir Cl. Franciſcus Ficoronius, bono antiquariae eruditionis augendae natus, in opere de Scenicis Perſonis: in quo rariſſimis monumentis mirum in modum Scenici

ludi

(1) Ex antiquo Iuvenalis Scholiaſte. Vide Bulengerum de Theatro Lib. I. Cap. X.

(2) Vide in Tom. II. Tabula LXXXVI. num. II. pag. 135. 136.

(3) Vide Cl. Ficoronii librum *Le Maſchere Sceniche, e le Figure Comiche degli antichi Romani*. Tab. XI. editum Romae, anno MDCCXXXVI. cum Tab. LXXXIV.

ludi ; vetuſque Comoedia & Tragoedia , earumque Chori illuſtrantur .

Etruſcos Hiſtriones ac Mimos perſonatos in pulpito ſive ſuggeſtu fabulas & diverbia egiſſe, perſpicue declarat Etruſcum Vaſculum, editum in Tabula XC. in fine Dempſteriani Operis. Siquidem Mimi duo , nani homunciones perſonati , nudipedes , cum fictitio gibbo & ventre , in pulpito rem agunt , obſcenis , ut arbitror , ſcommatis : dicteriis , iocis & facetiis ſpectatores ad riſum excitantes ; nam alter ciſtulam vimineam ferens , vel caveam , in qua deliciarum cauſa aves peregrinae ſervari ſolebant , adſtat , immani verpe proludens. In altera eiuſdem Vaſculi parte duo viri palliati , fabulam agunt : alter pallio totus obvolutus : alter vero e pallio exſerto dextro brachio , baculo innititur. In hunc modum perſaepe Comoedi palliati tenentes baculos in Vaſculis Etruſcis picti obſervantur ; ita enim tum in Scenam , tum in convivia prodibant & ſpectabantur . Horum exemplo Rhapſoedi ſive , ut vult Euſtathius , Rhabdoedi in theatris , & in conviviis inducti , carmina Homerica recitantes , vel aenigmata , nugas , garrulaque verba effutientes , ut auctor eſt Suidas (1) , virgas & baculos praeferebant.

Pulpitum non rude , ſed longe Etruſco opere ornatiſſimum , lubet animadvertere in parvis ſigillis ex aere , duplici ſchemate cum antica tum poſtica parte delineatis in Tabula CLXXXVI. num. I. & II. quae adſervantur in Muſeo Corazio Cortonae , eiuſque in agro eruta ſunt . Tres Mimos ſive Hiſtriones perſonatos repraeſentant , pedibus alatis , vel diſtortis inverſiſque , ad exhilarandos ſpectatores : quod frequenter feciſſe Etruſcos , oſtendit inſignis Vaſculi Etruſci pictura apud Dempſterum in Tabula XLVIIII. Obſcenam forſitan fabulam agunt , & , ut reor , adulterium. Conſtat enim , Deorum probra ſpecioſiora & adulteria , quemadmodum illud Veneris & Martis , Sole auſpicante , Mimos in Scena ſaltaſſe , & expreſſiſſe obſcenis motibus corporis & geſtibus (2) . Prior figura feminam refert adulteram riciniatam , ſive capite cooperto rica : ea virum blando geſtu complectitur , atque ita demulcet , ut eum oſculari ſe velle videatur : altera figura in medio , eſt adulter , qui blanditias reſpuens , nolle ſe fingit , refugitque , iniecta capiti , quod retrahit , dextra manu . Hunc leno , cum ridicula perſona immaniter hianti , poſt humeros , ut auguror , ad adulterium ſollicitat , admotaque manu impellit . Haec , quod plures agerent perſonae , diverbia dicebantur .

(1) Tom. III. pag. 254. in voc. Ῥαψῳδία.
(2) Ex Luciano de Saltatione. Vide etiam D. Cyprianum Lib. II. Epiſt. II. Caſſiodorum Lib. IV. Var. Epiſt. ultima.

Perſonatos Deos & Heroas induxere Etruſci in pompis & in Orgiis Deorum, atque in ſacris ſolemnibuſque conventibus & feſtis, itemque in triumphis, in conviviis & in theatris: quod oſtendunt complura Vaſa elegantiſſima, quae apud Dempſterum proponuntur. In Tabula XII. vides Faunos perſonatos cum Dionyſiarcha, qui Liberum Patrem refert, quique ramos geſtat, ut fieri ſolebat in Orgiis & feſtis Bacchi. Alii Fauni & Bacchantes perſonati ſaltant & vaſcula deferunt, excitante eos Cithariſtria ad Bacchicam ſaltationem, ut in Tabula XVII. In alio Vaſculo Tabula XX. Circes & Vlyſſis fabula picta eſt: & Comoedi cum baculis acroamata recitant. In alio Vaſculo Tab. XLVIIII. Bacchi triumphum & pompam referunt viri perſonati, ſimul cum feminis incedentes. In altero Vaſe in Tabula LXXIV. forſitan Iovem perſonatum, in throno ſedentem, comunt atque exornant duae feminae, quae Charites vel Nymphae eſſe poſſunt. In altera eiuſdem Vaſculi facie Minerva Tritonia Neptunum, vel etiam eumdem Iovem, in quadriga vectum, comitatur.

Id ut in hoc quoque opere ob oculos ponerem, ſelegi eximium Vaſculum ex Bibliotheca Barberinia, quod habes in Tabula CLXXXVII. Illud iampridem Michaël Cauſeus (1), longe tamen aliter expreſſum, aliterque explicatum, evulgavit: nos vero ex archetypo diligenter delineatum accepimus. In altera eiuſdem Vaſculi facie perſonati Ludiones referunt Bacchum, cornu & ramos manibus praeferentem. Baccho Silenus ſeu Satyrus vinum offert, paratus miſcere e vaſculo, quod gerit. Adſtat Libera Dea ſeu Ceres, ni fallor, velatis manibus. In altero proſpectu perſonati item tres Ludiones Deos comites referunt, Mercurium cum caduceo & talaribus in pedibus: Herculem cum clava, arcu & pharetra: demum Minervam cum aegide & fimbriata veſte, quae dextra haſtam, ſiniſtra galeam praefert: ad pedes animal, forſitan cerva, obſervatur.

Pertinent etiam ad Proſcenii Etruſci decora & ornamenta (2), columellae & arae, non humiles, ſed excelſae, utpote Diis caeleſtibus ſacrae: Iovi primum, quem Hiſtriones invocabant antequam prodirent in Scenam: idque priſco more factum, indicat Plautus (3):

> *Etiam Hiſtriones, anno, quum in proſcenio hic*
> *Iovem invocarunt, venit.* ————

dein-

(1) In Muſeo Romano Sect. V. Artic. I. Tab. I. & II. pag. 101. & 102.

(2) De his Iulius Caeſ. Bulengerus in Deſcript. Theatri Romani & Graeci pag. 217.

(3) In Prologo Amphitruonis verſ. 91.

Digitized by Google

deinde Baccho, cui praeſertim ludi Scenici ſacri erant (1). Ponebantur etiam arae Apollini in Comoediis, & quidem ad dexteram: ad laevam vero ei Heroi Deove, aut illi Deae, in cuius honorem ludi celebrabantur. Hae arae coronis decorabantur: idque ex Terentio colligitur, qui ait (2):

Ex ara hinc ſume verbenas tibi.

Verbenae imponebantur aris Apollinis, hederae vero aris Bacchi. Verum in omnibus Etruſcorum monumentis arae purae ſunt, atque interdum rudes, nulloque cum ornatu, ut videre licet in Tabulis XI. XX. LXXXVIIII. XC. penes Dempſterum. Viſuntur tamen non raro vela parva ſuſpenſa, ſeu ſacrae taeniae ac vittae, itemque placentae & panes in quatuor partes diſpertiti: viſuntur quoque ramuſculi & corollae adpenſae: quae quidem, licet luſus quidam ingenioſorum pictorum credi poſſint, haud tamen improbabile eſt, ad Scenae ornatum adhibita fuiſſe. His accedit tabula quaedam quadrata, longioris tamen formae, tribus chordis tranſverſim poſitis inſtructa, quibus plectrum inſertum eſt, quae, ubi Comoedi fabulam agunt, ſuſpenſa ſpectatur. Hoc rude inſtrumentum trichorde, ſuſpicatur Bonarrotius (3) illud ipſum eſſe, quod Aſſyrii, teſte Polluce (4), invenerunt, & *panduram* vocarunt. Veriſimilius credam, eſſe citharam illam omnium antiquiſſimam, eaque rudi arte, ut primum inventa eſt, conſtructam: & quidem trium chordarum, quae, teſte Suida (5), ἀσιάτις dicta eſt, quod in Aſia urbe Lydiae, ſita in Tmolo Lydiae monte, inventa fuerit: vel etiam ab Aſio Lydo, eius inventore, ita adpellata: quam forſitan Etruſci, ex Lydia, ut complures volunt, in Italiam profecti, retinuere, omniumque primi nobis monſtrarunt. In nummis ſeu ponderibus aereis haec ἀσιάτις cithara trichordis eſt, ſed multo ornatior, magade etiam & echeo inſtructa, ut apud Dempſterum videre licet in Tab. LX. num. IV. & V.

Aram peculiaris figurae, capitulo & latiore baſe ornatam, poſitamque in Proſcenio, exhibet pictum Vaſculum Etruſcum, altitudinis unciarum quindecim, latitudinis vero ſexdecim cum dimidio, quod adfertur in Tabula CLXXXVIII. Effoſſum eſt hoc anno CIↃ.IↃ.CC.XXXVI. apud Adriam, in praediis ſpectatiſſimi civis & Chirurgi Adrienſis Nicolai Franzoſo: quod diligenter

 pictum

(1) Vide Donatum in Andriam Terentii Act. IV. Sc. III.
(2) Ibidem, Act. IV. Sc. III. verſ. 11.
(3) Ad Monum. add. Dempſt. §. XXXVI.
(4) Lib. IV. num. 60.
(5) Tom. 1. in voce Ἀσία. pag. 350.

pictum delineatumque ad me miſit Nobilis Vir Octavius de Bucchis, mihi amiciſſimus. Quam frequenter pretioſa & inſignia monumenta antiqua, pulcherrimas columnas e peregrino marmore ex ſuis ruinis nobis ſuppeditarit Adria, inclyta olim Etruſcorum colonia, nunc Venetorum urbs celeberrima, iam viris doctis exploratum eſt (1). Sex Ludiones planipedes in hoc inſigni Vaſculo picti ſunt: tres in antica, tres in poſtica parte, omnes perſonati, varioque motu corporis inter ſe ludentes, ſeu potius pugnantes: tres cum longis barbis, tres cum iuvenili perſona: ex his quinque, ut videtur ex picto colore carnem imitante, nudi, altero excepto palliato, qui fuſcinam vibrat. Praeterea obſervandum eſt, quod ſinguli galea ſive galericulo ex aere, caput armatum habent.

Quid de his ſentiant viri docti, perlubenter audiam. Interim proponam opinionem meam, quam vel amplexabuntur, vel reiicient, ſi meliora dabunt. Illum, qui fuſcinam tenet, Retiarium eſſe arbitror, reliquos Secutores, & cum his etiam pugnantes Myrmillones. Retiario, ut ait Feſtus, adverſus Myrmillonem pugnanti, cantabatur: *Non te peto, piſcem peto*; quia Neptuni armis pugnabat. Myrmilloni ſive Secutori cantabatur: *Vivum te capere volo* (2). Secutorum arma tam belle deſcribit Iſidorus (3), ut cum hac pictura valde convenire videantur: *Secutor eſt ab inſequendo Retiarium dictus. Geſtabat enim cuſpidem & maſſam plumbeam, quae adverſarii iaculum impediret, ut antequam ille ferret rete, iſte exſuperaret.* Neque enim ſola fuſcina, ſed etiam rete, arma Retiariorum fuere; at fuſcina, ut hinc patet, multo antiquior ex primaevo inſtituto. Perſpicuum eſt ex hac Vaſculi pictura, Etruſcos Secutores geſtaſſe quaedam arma, quae plumbeam maſſam vel malleos, Vulcani proprios, referrent, qui in ſumma erant lati, in ima vero parte forſitan in cuſpidem deſinebant. Rationes deinde adfert idem Iſidorus, huius ludicri certaminis, quamque ob cauſam his cum armis inſtitutum eſſet, nimirum quia Retiarius Neptunum aquis praeſidem, Secutor Vulcanum ignis dominum, pugnamque ignis cum aqua referebant. *Haec armatura* (nempe Secutorum) *ſacrata erat Vulcano. Ignis enim ſemper aquam inſequitur: ideoque cum Retiario componebatur; quia ignis & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt.* De his, qui plura cupit, Lipſium adeat.

Pugnante Retiario cum Secutore, ut in antica Vaſculi facie, prope columellam ſive aram adſtat alter Secutor, qui, ut opinor, vicit,

(1) Haec indicat Aloyſius Grottus, cognomento Coecus Adriae, in Oratione funebri in laudem Rectoris eius Vrbis, quam recitavit anno MDLXXV. edit. Vener. MDCII. pag. 91.

(2) Ex Quinctiliano, quem citat Lipſius Saturnal. Serm. Lib. II. Cap. VIII.

(3) Etymol. Lib. XVIII. Cap. LV.

Digitized by Google

vicit, praemiaque conſecutus eſt; nempe torquem, qui ex eius collo dependet, & haſtam puram. Secutis temporibus victoribus in his ludis palma dono data eſt: quod docet eburnea teſſera, quam adfert Laurentius Pignorius, in qua ſculpta eſt fuſcina & palma, & ſpectati victoris nomen. In poſtica parte huius Etruſci Vaſculi pictus eſt Secutor cum Myrmillonibus pugnans.

Quam igitur antiqua fuerit Retiariorum & Secutorum ludicra pugna, ni fallor, hinc probe intelligimus. Hanc apud Etruſcos in uſu fuiſſe, atque in ea exhibenda excelluiſſe Adrienſes, Etruſcorum colonos, forſitan eius inventores, a quibus poſtea Romani accepere, ex hiſce picturis rariſſimis non abſurde forſitan coniicimus. Alios ludos, ad riſum in ſpectatoribus excitandum, Etruſci invenere, inter quos Aſcolia enumeranda videntur. His adde talorum & pilae ludos, in quibus Etruſci inventores praecelluere, teſte Herodoto, de quibus alibi opportunius diſſerendum erit.

Interim pro coronide adnotandum erit, non aliunde Italis & Romanis innotuiſſe Bacchanalia & Perſonas, quas nunc *Maſcheras* dicimus, niſi ab Etruſcis, qui Tragicas, Comicas, Satyricas, honeſtas, obſcenas invenerunt, primique monſtrarunt: quod ex his, aliiſque apud Dempſterum editis monumentis manifeſtum eſt. Origo eorum fuere ruſticorum feſta Cerealia & Lenaea, de quibus paullo ante ad Tabulam CLXV. diximus.

TABVLA CLXXXVIIII.

NVPTIIS ETRVSCORVM

Dii Deaeque vindices ſcelerum praeſentes: quibus ſacris praemiſſis, quibuſve caerimoniis & auſpiciis iunctae dextrae. Augures, ac pronubae mulieres, pueri patrimi & matrimi adeſſe ſoliti.

QVum veteres Tuſci, divinandi augurandique ſcientia praeſtantiſſimi, in quamplurimis cinerariis Vrnis NVPTIAS, ante oſtium domus iunctis dexteris peractas, expreſſerint, optime arguit Senator Bonarrotius omni aevo celebrandus, eos crediaiſſe, nuptias cum funeribus maximam habere ſimilitudi-

tudinem. Quia enim tam nuptias, quam mortem fines hominibus eſſe videbant, utriſque communia dona, faces, coronas, aromata & unguenta eſſe voluerunt: adeoque quemadmodum funera ad oſtium Sepulcri, ita nuptias ante oſtium domus clauſum, quod poſtea peractis nuptiis aperiebatur, magno hominum ac mulierum comitatu peragendas ſanxerunt.

Quanta vero cum religione Tuſci nuptias celebrarint, ex eo intelligi poteſt, quod his potiſſimum credidere, praeſentes adeſſe Furias Deas, ſcelerum ultrices, ſontiumque hominum vindices: & quidem gerentes ardentes lampadas, manuſque capiti vel Sponſi vel Sponſae admoventes: adeſſe etiam Genium familiarem cum malleo, ſive Picumnum vel Pilumnum, coniugum auſpices Deos: Diſcordiam, ſeu potius Iunonem inferam vel Hecaten, nudato gladio adſpectuque terribilem, ut videre eſt in Sepulcro adlato ſuperius in Tab. LXXXIIII. quibus etiam Deis veriſimile eſt, ſacra ante nuptias facta fuiſſe, ut mala omnia omina averruncarent, atque ut connubiis non ſeveri, ſed mites adeſſent. Horum igitur Numinum praeſentia, ut ex his Sepulcrorum emblematis liquet, eos, qui ad nuptias accederent ſine morum ſanctitate, caſtaque fide & religione, Etruſci deterrere voluerunt: qui, ſi in manum convenirent ſcelerata mente, ſcirent in ipſo limine domus adeſſe Deos, ultionem illaturos, maximaque infortunia, flagella & calamitates, fatales denique nuptias ſe mox ſubituros: e contrario ſi pura mente optimaque voluntate connubia inirent, ſe omnia bona conſecuturos, & pericula omnia evaſuros pro certo haberent. Deos bonis nuptiis praeſentes ac faventes adeſſe, veteres etiam Graeci crediderunt: quod maxime ex Diodoro Siculo intelligi poteſt (1), qui Cadmi Agenoris filii cum Harmonia Iaſionis ſorore iuſtiſſimum connubium, donis condecoratum ſecundatumque a Diis, & feſtis choreis atque adclamationibus celebratum, deſcribit.

Ante quam dexteras Etruſci Sponſi & Sponſae in nuptiis iungerent, quo comitatu, quave pompa carpento vecti ad ſacra facienda pergere, quae dona Diis coniugalibus adferre, quae vota nuncupare, quamve victimam immolare ſolerent, iam dixi in obſervationibus ad Tabulas CLXVI. CLXVII. CLXVIII. & CLXVIIII. nunc ad oſtium domus dextras iungentes obſervemus.

Multa in adlatis Sepulcris in Tab. CLXXXVIIII. adnotari poſſunt, quae ad ritus & caerimonias nuptiarum Etruſcarum pertinent. Duo vero haud praetereunda ſunt, nempe auſpicia captata: de quibus Cicero adeundus (2), antequam dextrae more anti-

(1) Biblioth. Hiſt. Lib. v. pag. 223. (2) De Divinatione Lib. 1.

antiquiſſimo, a Perſis accepto, iungerentur, quo concordia & mutua fides coniugum declarabatur. Aequale imperium, aequale ius, omnia ex aequo inter coniuges partienda indicant ſervi, trabem per medium ſecantes. Duo etiam Augures ſedent, auſpicata inſtrumenta verſantes: alter forſitan avem, quam labefactato marmore, non bene dignoſcimus: alter cum malleo, boni ominis cauſa, diſiicit aliquod inſtrumentum, forte fictile, factum in ſimilitudinem humeri Pelopis, quem ad Troiam delatum, fatalem fuiſſe, Etruſcis quoque compertum fuit. Adſtant etiam duo viri, forſitan Hymnologi, Hymenaeum canere ſoliti, & nuptialia carmina, quae Feſcennina dixere Etruſci, qui ea invenerunt (1).

In altera Vrna adſunt Augures, item Pronubus & Pronuba, & pueri tres patrimi & matrimi, quorum uterque parens ſuperſtes erat. Hos, teſte Feſto (2), Romani, Etruſcorum exemplo, in nuptiarum ſolemnibus adhibuere. Patrimus, qui prope Sponſum ſculptus eſt, arculam tenet, ut opinor, nuptialibus donis mundoque muliebri refertam, quem Sponſa a Sponſo accipiebat. Apud Athenienſes in nuptiis panes in caniſtris deferebantur. Memorat Varro adlatam in nuptiis aquam e puro fonte, qua nubentibus ſolebant pedes lavari (3). Quod in aliis Etruſcorum ſculpturis non occurrit, vir baculum, poteſtatis ſuae inſigne, laeva praefert; uxor vero, velato capite, dextram cum viro iungit.

A TAB. CXC. AD CXCV.

TRICLINIA ETRVSCA.

Vaſculorum, coronarum & unguentorum luxus: Servi epulas & vina miniſtrantes: acroamata in conviviis. Vrnae cinerariae Etruſcorum illuſtrantur.

TRICLINIA veterum Etruſcorum pretioſis aulaeis & ſtragulis, lectis pulvinisque ornatiſſima, feſtis encarpis, e lana pulcherrimi coloris compoſitis, unguentiſque delibutis coronata, ſplendide ac magnifice inſtructa fuiſſe, ex adlatis duobus Sepulcris Etruſcis in Tabula CXC. aliiſque monumentis apud

(1) Vide Dempſterum de Etruria Regali Lib. IV. Cap. XLVI.

(2) Lib. XVI.

(3) V. Servium in Lib. IV. Aeneid. verſ. 167.

apud Dempſterum facile intelligere poſſumus. Id etiam diſerte teſtatur Athenaeus (1), qui memorat, apud Tuſcos bis quotidie ſumtuoſas menſas parari ſolitas, ornatas ſtragulis florido colore tinctis, & omnifariis ex argento poculis, ac magno Servorum numero, qui decoris pretioſisque veſtibus induti convivantibus dominis adſiſtebant. Praeter Servos fercula miniſtrantes (nam ex menſa cibum cepiſſe Etruſcos, non conſtat ex antiquis ſculpturis: hincque licet arguere, eos voluptuoſiſſimos ac delicariſſimos fuiſſe) aderant etiam Pocillatores, quorum imagines alibi proferemus: aderant Saltatores & Pſaltriae: Comoedi, Mimi, Hiſtriones, Citharoedi & Cithariſtriae, Symphoniaci & Poëtae aderant, qui carmina, improviſo enthuſiaſtico furore concepta, qua laude ſemper Etruſci floruere, exſtantque etiam apud Homerum in Demodoco, & apud Virgilium in Iopa illuſtria exempla, acroamatibus convivas mirifice exhilarabant.

Tuſcorum phialas ex auro ſculptas, laudat Critias apud Athenaeum (2). Admirando artificio perfecta ſunt pocula, in capita diverſorum animalium deſinentia, ſcyphi, aliaque vaſcula, quae convivas praeferre videmus. Pictorum vero Vaſculorum quanta copia, quam variae & elegantes figurae, quam ingenioſae ſymmetriae! Convivae myrto redimiti, onuſti ſertis & corollis, in modum torquis e collo pendentibus, vel floridis vel laneis, multo unguento perfuſis, tenuibus veſtibus amicti, diſcumbebant, tenentes dextra pateram vel ſcyphos; nam Diis cum ante, tum poſt epulas vina libabant: eoſque ad veſcendum invitabant. Vxores, non ad pedes, aut in gremio, ſed pari gradu ad latus virorum diſcumbebant, ſumtuoſis ſtragulis & pulvinis inſidentes: ſiquidem memorat Plutarchus, Tuſcas mulieres mirum in modum maritos ſuos dilexiſſe.

Tuſci in delicias maxime effuſi, Genio lautius indulgebant, memores brevis aevi. Hinc, ut exhibet Tabula CXCI. num. I. & II. in cinerariis Vrnis lecti diſcubitorii ſculpti ſunt: nec raro etiam roſae, quibus Sepulcra ſpargebantur. Perpauca, poſt Bonarrotium, de Tuſcorum funeribus, deque eorum opinione circa defunctos, adnotanda ſuperſunt. Interim eorum Sepulcra Thracicis peltis, vittis, delphinibus, atriſque cupreſſubus ornata, & Etruſca epigraphe inſcripta, obſervanda propono.

MV-

(1) Deipnoſoph. Lib. IV. Cap. XIII.

(2) Deipnoſoph. Lib. I. Cap. XII.



MVSEI ETRVSCI
CLASSIS V.

ETRVSCORVM LITTERAS
MONETAM . GEMMAS . ARTES . INVENTA INSIGNIORA COMPLECTENS.

DISSERTATIO V.

DE PRISCA TVSCORVM SCRIPTVRA LINGVA ARTIBVS ET INVENTIS.

DVae ſunt potiſſimum res, quibus potentia & gloria ETRVSCORVM mirifice aucta eſt, ARMA & LITTERAE. Imperium late terra marique armis amplificatum: Religio litteris adeo inclaruit, ut Romani, non ab aliis quam a Tuſcis ſacras caerimonias, ritus cultumque Deorum didicerint: miſſis etiam, in ipſis aeternae Vrbis primordiis, ad ſingulas Etruſcorum urbes ſex nobiliſſimis pueris, qui, ut plures ſcriptores teſtantur, eorum litteris ſacriſque inſtitutis imbuerentur. De Etruſcorum litteris ſtudiiſque ſermo nunc inſtituendus: in quibus quam praeſtantes fuerint, his verbis diſerte teſtatur Diodorus

Eee Si-

Siculus (1): Γράμματά τε καὶ Φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖστον, καὶ τὰ περὶ τὴν Κεραυνοσκοπίαν μάλιστα πάντων ἀνθρώπων ἐξειργάσαντο. διὰ καὶ μέχρι τῶν νῦν χρόνων οἱ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ὅλης ἡγούμενοι θαυμάζουσί τε τοὺς ἄνδρας, καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς κεραυνοῖς διασημείας τούτοις ἐξηγηταῖς χρῶνται. *Litteris atque cumprimis naturae cognitioni plurimum ſtudii impenderunt : fulminum obſervationi prae cunctis mortalibus ſummopere intenti ; quapropter hac etiamnum aetate , totius paene orbis moderatores hos viros admirantur , iiſdemque ad interpretanda fulminum oſtenta utuntur*. Proprias litteras & dialectum , ut & proprios mores , habuiſſe Tuſcos (2), dudum etiam ante Troiana tempora , iam ſatis ſuperque conſtat . Meminit Plinius (3) ilicis , Vrbe vetuſtioris , in qua titulus aereis litteris Etruſcis ſculptus , religione arborem iam tum dignam fuiſſe ſignificabat . Cenſorinus laudat (4) rituales Etruſcorum libros , & Hiſtorias octavo eorum ſeculo ſcriptas . De Tagete , Bacchetitide & Bygoë Haruſpicinae auctoribus , de libris fulguritarum arborum , ſacrorum Acheronticorum , deque ceteris praeclaris diſciplinis & traditionibus , iam ad Tabulas XIIII. & XV. ſuperius adlatas diſſerui .

Neque vero Romani ſacros dumtaxat ritus ſacraſque caerimonias , verum etiam iura Fecialia & ſupplementa duodecim Tabularum ab Etruſcis accepere (5). Aſtronomiae ſcientia clariſſimos fuiſſe Tuſcos , ex eo coniicere poſſumus , quod caelum in ſexdecim partes diviſerunt : idque plurimum referre arbitrati ſunt , ut notat Plinius (6) , ut facilius unde venirent fulmina , quove concederent , explicarent . Conſtat etiam annorum , aetatum ſive ſeculorum , & magni anni revolutionem eos obſervaſſe (7). Memorandus eſt Ianus Geminus , a Rege Numa dicatus (8), qui pacis bellique argumento colebatur , digitis ita figuratis , ut trecentorum ſexaginta quinque dierum nota , per ſignificationem anni , temporis & aevi , ſe Deum indicaret . Minime dubitandum eſt , Numam Regem omnem numerandi ſcientiam ab Etruſcis , ut alia praeclara , didiciſſe . Conſtat etiam , eum non Graecos (nullum enim cum Graecis commercium tunc fuit) ſed Tuſcos (9) ſecutum eſſe in conſtituendo anno trecentis quinquaginta quatuor diebus , eoque partiendo in duodecim menſes , obſervato non Solis , quod Graeci fecerunt , ſed Lunae curſu motuque . Id etiam perſpicue adparet

ex

(1) Biblioth. Hiſt. Lib. v. pag. 219.
(2) Vide Dionyſium Halicarnaſſ. Lib. I. Cap. xxx. Strabonem Lib. v.
(3) Hiſt. Nat. Lib. xvi. Cap. xliv.
(4) De Die Natali Cap. xi. & xvii.
(5) Ex Servio in Lib. vii. Aeneid. Virgilii pag. 479.
(6) Hiſt. Nat. Lib. II. Cap. liii.
(7) Vide Cenſorinum de Die Nat. Cap. v. & Plutarchum in Sylla.
(8) Conſule Plinium Hiſt. Nat. Lib. xxxiv. Cap. vii.
(9) Vide Macrobium Saturnalior. Lib. I. Cap. xv.

Digitized by Google

ex Tuſcis nominibus Iduum & Nonarum (1), atque ex delectu imparis numeri, ex Pithagorae placitis, ut obſervat vir doctiſſimus Benedictus Averanius (2). Omnibus Idibus Iovi immolabatur a Flamine Tuſco, quod & Romani fecere: tranſactiſque novem diebus, Nonae apud Tuſcos habebantur: qui nono quolibet die Regem ſuum ſalutabant, deque ſuis negociis conſulebant (3). Quae fuerint veterum Etruſcorum notae numerales, ex eorum inſcriptis monumentis mox indicabo. Heic peropportune in lucem proferre cupiebam columellam e Tiburtino lapide, duos pedes altam, quae exhibet Solis imaginem & ſigna Zodiaci, deſcripta Etruſcis notis. Inſigne hoc monumentum exſtat Peruſiae iuxta portam Sanctae Suſannae; ſed quia hodie, temporum injuria ac vetuſtate, eius notae Aſtronomicae, diverſae ab Etruſcis characteribus, omnino deletae fugerunt, lectorem adlego ad Felicem Ciattium, qui ſua tempeſtate eam, non tam male labefactatam, exſcripſit, protulitque inter monumenta Peruſiae Etruſcae (4). Iam in confeſſo eſt, quam eximia naturae rerum ſcientia Etruſci praecelluerint: quantum etiam Philoſophiae ſtudio, quum ex Etruria, Italicae Philoſophiae parens, Pythagoras prodierit (5).


Sed quum haec alii accuratius pertractarint, in his illuſtrandis diutius immorari haud eſt operae pretium. Conſilii mei ratio eo potiſſimum tendit, ut vetuſtiſſimas Etruſcorum litteras, eorumque poteſtatem, concinnato, quanta fieri poterit diligentia, priſco Alphabeto, ex genuinis monumentis, clariſſime adſtruam. Nulla exſtant litteris inſcripta monumenta, Aegyptiis & Phoeniciis exceptis, quae Etruſcis ſint antiquiora. Tabulae Eugubinae, aeri inſcriptae, tantam praeſeferunt vetuſtatem, ut duabus ferme aetatibus ante Troianum bellum ſcriptae credi poſſint. Hac ſiquidem tempeſtate, quum Pelaſgi maximis calamitatibus & aerumnis premerentur: terraque, penuria imbrium atque aeſtu exhauſta, nullum maturum ferret fructum, exſiccati eſſent fontes, mulierum foetus interirent, ſiti ac fame vexata armenta mortem paſſim oppeterent: quas calamitates ex Myrſilo Lesbio luculenter deſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus (6); hymni, vota preceſque conceptae ſunt, atque in iiſdem veterrimis Tabulis exſcriptae, quae ſtatis ſolemnibus conventibus canerentur a Pontifice eiuſque ſacro Collegio, queis opem Iovis Patris, & Martis plebs univerſa imploraret. Ex his Tabulis unam heic mox proferam, ex archetypo,

Eee 2 charta

(1) Ibidem. Vide etiam Feſtum.
(2) In Livium Diſſertat. xxx.
(3) Ex eodem Macrobio, ibidem.
(4) In Tom. 1. Peruſiae Etruſcae Lib. vi. pag. 197.
(5) Vide Clementem Alexandr. Strom. Lib. 1. de quo fuſius.
(6) Antiquit. Roman. Lib. 1.

charta antigraphice in eo diligenter impreſſa, deſumtam, quam ut eruditorum gratiam inirem, mecum communicavit V. C. Franciſcus Victorius Eques, omnis antiquitatis aeſtimator eximius. Buxeae potius Tabulae, quam aereae incidendam curavi diligenter, quia melius ita litteras archetypis ſimillimas repraeſentari poſſe cenſui. Ea eſt ſecunda in Dempſteriano Opere Tom. I. poſt pag. 90. nam priorem edidit omnium primus Baldus, deinde Gruterus (1).

Neque tantum aeri, verum & in plumbeis laminis Tuſci ſcribere conſueverunt. Vnicum exemplum proferre poſſum ex tenui plumbea lamella, Volaterris effoſſa anno CIↃ.IↃ.CC.XXXII. in praediis Franceſchiniis, quae repoſita erat ſuper calvariam defuncti hominis, in duo fragmenta diffracta, iniuria etiam temporis aliquantulum ita labefactata.



Sepulcra litteris inſcripta in hoc opere frequenter occurrunt: Cineraria quoque marmorea & Vrnae fictiles cum litteris in argilla ſtilo ſculptis. Frequenter etiam litteras Etruſci in fictilibus Vrnis pinxere vel colore rubro, vel atramento nigerrimo, quod ad hoc tempus, quaſi litterae heri aut nudiuſtertius pictae ſint, viget maxime, omniumque ſtupore perennat. Gemmas quoque anulares ornarunt epigraphe, ut ſequentes Tabulae oſtendunt. Inſignem eburneam teſſeram, Etruſcis litteris inſcriptam, haud fas eſt praeterire, quam e Muſeo Gervaſonio depromſit, primuſque edidit, atque oppido erudite interpretatus eſt V. C. Annibal de Abbatibus Oliverius (2). Simulacra Deorum tum aerea, tum marmorea, litteris Etruſcis exarata, habes apud Dempſterum & in hoc Muſeo Etruſco. Inſcriptiones cum in femore & cruribus, tum etiam in veſtibus ſculptae. Id potiſſimum ab Aegyptiis didiciſſe Etruſcos cenſet Bonarrotius (3). Memorat enim Herodotus (4), in antiquo Seſoſtris ſimulacro in Ionia, ex altero ad alterum humerum ſcriptas extitiſſe ſacras litteras Aegyptias in haec verba: *Hanc ego regionem meis obtinui humeris*. Cicero in Verrina V. laudat Apollinis ſignum, in cuius femore litteris argenteis nomen ſcriptum erat, ut puto illi perſimile, quod ſuperius in Tabula XXXII. exhibuimus. Iam illud etiam pervulgatum, quod Beatus Ioannes in di-

(1) Vide pag. CXLII.
(2) In Explicatione ad Monumenta Pelaſgica, in Tabula in fine Fig. V.
(3) Ad Monumenta addita Dempſtero §. XLVII.
(4) Lib. II. quem vide.

Digitized by Google

divina Apocalypſi Dei imaginem pingens, ait (1): *Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum*: REX REGVM ET DOMINVS DOMINANTIVM.

Ad ſcribendi rationem quod adtinet, illud notandum eſt, Etruſcos ſcripturam & verſus, ad dextro latere inchoatos, in laevum duxiſſe, exemplo Phoenicum aliarumque Orientis gentium, & cumprimis Aegyptiorum, a quibus multa didicere; quos ita verſus exaraſſe, docet Herodotus (2). Exſtant (pauciſſima tamen) monumenta Etruſcae gentis, quae ſive artificum oſcitantia, ſive aliquo alio caſu, id acciderit, non ſemper eos ita ſcriptitaſſe oſtendunt; ſed haec, ut monebam, pauciſſima exempla ſunt: neque obſtant, quominus adfirmemus Etruſcos perpetuo a dextra in laevam litteras exaraſſe. Litterarum quoque figura identidem in ſcripturis aliquantulum variat: quod & a Graecis atque etiam a Romanis, proindeque ab univerſis nationibus in ſingulis aetatibus factitatum fuiſſe exploratum eſt; ſed ſi ſingulae litterae, probe ac diligenter ex archetypis characteribus exſcriptae, in ſuas ſpecies accurate redigantur, omnes difficultates cito evaneſcunt. Id feliciter factum eſt noſtra aetate cura & ſtudio primum celeberrimi noſtri Coryphei Philippi Senatoris Bonarrotii: deinde ingenio perſpicaciſſimo immortalis viri Ludovici Bourguetii: quo auſpice, quantum profecerimus in cognitione Etruſcae ac Pelaſgicae linguae, iam uno omnium ore, aeternaque commendatione ubique praedicatur. Lubet in hac ſparta meam quoque qualemcumque operam ponere, atque experiri ingenium meum, licet ſentiam, quam ſit exiguum & imbecille.

Igitur in manus capiamus priſcum Graecorum Alphabetum; nam Phoeniciis & Graecis litteris vetuſtiſſimis, quales in Sigeo lapide apud eruditiſſimum Edmundum Chiſhull, ſcriptae occurrunt, admodum ſimiles ſunt Tuſcorum litterae.

I. A. Primum, ut ordine procedam, *Alpha* Graecorum, ſive A Latinorum, ita a Tuſcis ſcribitur. 𐌀. 𐌀. 𐌀. 𐌀. 𐌀. Quod haec littera, A ſonet, ipſa Etruſcorum Deorum Heroumque propria nomina oſtendunt, quae litterarum poteſtatem clariſſime evincunt: & quum ſcripta ſint iuxta eorum imagines, nullum dubitandi locum relinquunt. Minervae nomen quater ſcriptum eſt in pateris ſacrificalibus, quae apud Dempſterum adferuntur, nimirum in Tab. II. IV. V. & VI. in queis omnibus A eodem modo ſcripta occurrit. 𐌀𐌅𐌓𐌍𐌄𐌌 : 𐌀𐌅𐌓𐌍𐌄𐌌 : 𐌀𐌅𐌓𐌄𐌍𐌄𐌌 : 𐌀𐌅𐌓𐌄𐌍𐌄𐌌. nimirum *Menrva : Menerva*. Quamvis in ſingulis admodum variet figura quatuor litterarum, non variat tamen 𐌀. Neque etiam

nos

(1) Cap. XVIIII. verſ. 16.

(2) Lib. II.

nos dubitare ſinit de huius litterae poteſtate Apollinis nomen, quod legitur in duabus pateris: ita enim duobus modis ſcriptum eſt, primum in Tab. III. litteris a dextra ad ſiniſtram, ᴀᴘᴠʟᴠ: *Apulu*, quod ſcalptoris oſcitantiam arguit; nam Bacchi & Mercurii nomina e contrario, more Tuſcis uſitatiore, exarata ſunt. In altera patera in Tabula IV. ita legitur ʟᴠᴘᴀ. hoc eſt *Apul* inverſo *lambda*: quod etiam non raro feciſſe Tuſcos in ſcribendis reliquis litteris, liquet ex compluribus inſcriptionibus; quare id ſcribendi genus inuſitatum docti viri non advertentes, rem difficillimam eſſe cenſuere legere Etruſcos characteres. His addendum, Caſtoris nomen, ita inſcriptum in patera Tabula VII. apud eumdem Dempſterum: ᴘᴠᴛꜱᴀᴋ, id eſt *Kaſtur*. Adde etiam, ſi vis, nomen Deae Ankariae, quod inſcriptum in duobus pateris fictilibus a me adlatis in Tabula XII. & XIII. iam explicavi.

* ʙ. Ita ſcriptum non obſervatur, niſi ſemel in Tab. XCII. penes Dempſterum. Exſcriptorem erraſſe puto; numquam enim in titulis Etruſcorum, quos αὐτόπτης exſcripſi diligenter, ʙ obſervavi. In Tabula Eugubina, quam mox ſubiiciam, ſaepius occurrit ᴅ, ſemel ʙ. Bonarrotius incertus pendet utrum valeat ᴅ, an vero ᴏ diverſimode pronuntiatum. Huc facit ᴄ. ʙɪʟɪᴏꜱ in columna roſtrata, poſt ducentos & amplius annos ᴄ. ᴅᴠɪʟɪᴠꜱ adpellatus: item *duellum*, *duellona*, quae Etruſcorum voces cenſentur, factum *bellum*, *Bellona*. Perſpicuum eſt, deeſſe in antiquiſſimo Etruſcorum Alphabeto ʙ. quemadmodum etiam defuit in Alphabeto Graecorum vetuſtiſſimo, cuius loco Tuſci ᴘ nempe ᴘ vel potius ᴘ conſonanti ᴠ, uti potuerunt.

* Γ *Gamma* quoque deeſt in Alphabeto Etruſco. Cl. Bourguettius unicum huius litterae exemplum ſe reperiſſe, inſculptamque hanc litteram, Hebraico ductu ac more, adfirmat in titulo cinerariae Vrnae penes Dempſterum Tabula LXXXIV. num. ɪᴠ. ᴀᴇɢɪᴀʟɪꜱꜱᴀ. ᴀᴇɢɪᴀʟɪꜱꜱᴀ. Mihi vero, qui hoc operculum Vrnae emortualis, apud Bonarrotios exſtans, conſului, potius videtur ς, nimirum ꜱ inverſum. Vnicum exemplum, & ut in veteri proverbio, unica hirundo ver non facit, non ſufficit, ut adfirmemus ɢ fuiſſe in uſu apud veteres Tuſcos. Loco ɢ arbitror uſos eſſe ᴋ *Kappa*: idque ex multis coniicio, praeſertim vero ex aſſe Etruſco apud Dempſterum Tabula LIX. num. ɪᴠ. in quo ſcriptum eſt ɪᴋᴠᴠɪɴɪ. hoc eſt *Ikuvini*: pertinetque, ut creditur, ad *Iguvinos*, ſive, ut nunc dicimus, *Eugubinos*. Adſimile ſaepe occurrit in Tabulis Eugubinis tum Etruſce tum Latine ſcriptis ᴀɴɪᴠᴠᴋɪɪ ᴘᴘᴀᴛᴠᴛ. *tutaper ikuvina*, hoc eſt *per totam iuventutem*. Veteres quoque

La-

Latini C pro G uſi ſunt, dixeruntque MACESTRATOS. CARTACINIENSIS. CERENS. COCNATOS. ERCO. pro MAGISTRATVS. CARTHAGINIENSIS. GERENS. COGNATOS. ERGO, ut in columna roſtrata.

* D quoque, ut etiam obſervat Bonarrotius, deſideratur in Tuſcorum Alphabeto. Bourguettius in quodam operculo Vrnae cinerariae apud Bonarrotios, ſe detexiſſe gloriatur hanc litteram apud Tuſcos: ſcriptumque in eo adfirmat ꓤꟼMꓤᗡ, *damra*, quae vox explicatur, *uxor*. Suſpicor tamen τὸ ᗡ ſculptum pro ꓤ, nimirum R de qua dicemus; ſiquidem ſuperne & inferne eſt haſta protracta, quae fabrilia & quidem levia errata non curanda ſunt. Sed expectandum cenſeo, dum alia effodiantur Etruſcorum monumenta, ut id clarius confirmetur; non enim puto viris doctis ſufficere poſſe unicum exemplum. Loco D, ut reor, uſi ſunt + +, nempe T. Haud eſt difficillimum ex ipſa quoque Tuſcorum ſcriptura exempla proferre. In compluribus aſſibus ſeu nummis penes Fabrettum, Fontaninum & Dempſterum ſcriptum eſt ƎꓤƎ+V+, nempe *Tutere:* quae vox *Tutertum*, ſive *Tudertum* ſignificare creditur. Ita etiam factum a Pelaſgis videmus in Tabulis Eugubinis, & in aſſibus ſive ponderibus mox adferendis in Tabula CXCVII. & CXCVIII. in quibus ſcriptum HAT. nempe HATRIA vel HATRIENSES, pro *Hadria*, *Hadrienſes*. Priſci quoque Latini *aput* & *ſet*, pro *apud*, *ſed*, aliaque huiuſmodi dixerunt.

II. E. In ſcribenda hac littera nihil ferme differunt Tuſci a Graecis: idque perſpicuum eſt ex Inſcriptione Sigea & Deliaca, quamvis modo erectam, modo inclinatam, cruraque tridentis vel recta vel obliqua in hunc modum faciant Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ. Ǝ.
Quod vero haec littera abſque dubio ſit *Epſilon* Graecorum & Latinorum E, manifeſte adparet ex nomine Minervae, quod ſupra vidimus, quo modo ab Etruſcis quater ſcriptum fuerit. Adparet etiam in nomine Herculis, quod ita bis ſcriptum in pateris occurrit apud Dempſterum Tab. II. & VI. ƎꓶƆꓤƎB. & BEDKOLE, *Herkle*. Alia etiam ſuppetunt evidentiſſima exempla ex Tab. VII. nam iuxta caput Meleagri ſcriptum eſt ƎꓤꓘAꓶƎM. *Melackre:* iuxta caput Pollucis ƎꓘV+ꓶVꓕ. *Pultuke:* prope imaginem Menelai ƎꓶИƎM. *Menle*. Nolo etiam aliud praeterire exemplum e patera relata in Tabula XCI. penes Dempſterum; nam ſupra imagines Pelei & Thetidis ſcriptum eſt ƎꓶƎꓕ *Pele*. ƧIOƎO *Thethis*, vel *Tetis*, pro *Peleus*, *Thetis*, cuius nota eſt fabula ex Hygino.

* Z non reperitur inter Etruſcos characteres. Plinius additam Graeco Alphabeto a Simonide Melico adfirmat, ut videtur, poſt

poſt Troianum bellum (1). Tuſcis ST eumdem ſonum Z reddidit.

III. 𐌇. Loco adſpiratae H, uſi ſunt 𐌇 Etruſci, ut colligimus ex Herculis nomine iuxta eius imaginem ſcripto, ac ſuperius relato ex pateris editis a Dempſtero in Tabula II. & VI. Variat frequenter eius figura in monumentis Etruſcis. In patera apud Dempſterum Tabula V. ſculptus eſt Perſeus cum Minerva, quae Gorgonem, confoſſo eius capite, haſta interficit. Etruſcorum fabulis, uti ex hac ſculptura arguere poſſumus, pervulgatum fuit, Gorgonem non a Perſeo, ſed a Minerva interemtam fuiſſe: caput vero Perſeum obtruncaſſe, atque in pera recondidiſſe. Iuxta Perſei caput ſcriptum eſt ƎMΘƎ𐌇. Forſitan prior littera eſt adſpirata H, ut dicat *Herme*; ita enim adpellatur a Graecis Mercurius; quaſi Perſeus, Mercurialibus armis indutus, alter Mercurius fuerit: ni tamen M ſit inverſa, & legendum ſit *Herſe*, ideſt *Perſeus*. Accuratius iterum inſcipienda eſt eadem patera, quae extat Peruſiae in Muſeo Comitum Anſideorum, utrum ductus extimi pilei Perſei occupet 𐌕, ita ut ſcriptum ſit ƎMΘƎ𐌇𐌕, id eſt *Therſe*. In nomine Caſtoris ΘV+ƸAK, inſcripto in patera Tabula VII. apud Dempſterum, Ʒ quodammodo referre videtur Ʒ inverſam & iacentem, adeoque in nomine Perſei potius erit S iacens, quam M.

IV. ⊙ O utroque modo cum puncto & ſine puncto in centro ſcripta frequenter invenitur in priſca Tuſcorum ſcriptura. Inter quatuor litteras, a Palamede adiectas Graecorum vetuſtiſſimo Alphabeto, a Plinio (2) recenſetur ⊙, quae etiam apud Etruſcos valet TH, ut notat Bourguettius. Bonarrotius dubitat; ſaepius enim notat occurrere in Tuſcorum inſcriptis monumentis I⊙ꟼAↃ. aliterque ſine puncto IOꟼAↃ. quaſi diverſo ſono pronunciandum. Sed videtur legendum LARTHI. nullaque difficultas eſſe poteſt, quum ſignificet *Larti*, *Larthi* poſitum eſſe ſepulcrum: quas voces Etruſcas eſſe omnes antiqui ſcriptores teſtantur. Exemplum poteſtatis huius litterae ſuppeditat patera Etruſca penes Dempſterum Tabula XCI. in qua ſupra imaginem Thetidis ſcriptum eſt ƧIOƎO. hoc eſt TETHIS, ut Bourguettius interpretatur. In baſi ſimulacrorum, quae Iunonem & Venerem, ſeu potius Nortiam Deam exhibent, ut ſupra adnotavimus, ſcriptum eſt AИAO. hoc eſt *Thana*; videlicet *Dea*, *Diva*. Graecis Θέαινα. Igitur a Tuſcorum Alphabeto removenda non eſt littera ⊙ O, quamvis antiquiori ac primigenio Alphabeto ſerius additam facile crediderim. Quod vero adtinet ad propriam huius litterae ⊙ O poteſtatem, credo, utramque

& T

(1) Lib. VII. Cap. LVI.

(2) Ibidem.

& ᴛ & ᴛʜ apud Etruſcos & Pelaſgos habuiſſe promiſcue: ecce exemplum, quod mihi nunc occurrit in Eugubina Tabula, quae eſt prima in Dempſteriano Opere. Legitur in linea 20. VOIↃVIꟼVꓕ ideſt *purtuſitu*, ſeu *purtuvitu*: & in linea 22. pro ⊙ ponitur ꓕ. ita enim ſcriptum VꓕIↃVIꟼVꓕ. In eadem Tab. I. linea 1. ſcriptum eſt ꓕИVꟼAꟼƎ. *erarunt*; at in Tabula IV. linea 23. idem verbum ita ſcriptum eſt ꓕИVΘAꟼƎ. quaſi Θ valeat duo ⊖ inter ſe complexa; ſed aliquid etiam Tuſcis quadratariis tribuendum eſt; nam errata fabrilia fere in omnibus inſcriptionibus cum Graecorum, tum Romanorum pervetuſtis occurrunt. Certe frequentius O ⊙ pro ᴛ & ᴛʜ ſcribuntur: eademque littera frequenter praecedit, & coniuncta cum ꓕ, id eſt ᴛ, cernitur. Saepe etiam multa verba in ⊙ & ꓕ deſinunt.

V. 1. Minime dubitandum eſt, Etruſcos ita ı ut Graecos *Iota*, & ut Latinos ı ſcripſiſſe, nulla variatione aut mutatione facta. Id adſtruitur ex adlato nomine ƧIOƎ⊙ *Thetis*, ut in patera nuper deſcripta. Adferri etiam in exemplum poteſt Iunonis nomen ab Etruſcis uſurpatum, quod legitur in patera relata in Tab. II. Dempſteriani Operis, nempe ƧIꟼƎ, *Eris*: quod nomen, ut notat Bonarrotius (1), redolet aliquid Graecae originis; nam apud Graecos Iuno Ἥρα, *Hera* vocatur. Occurrit etiam ı in nomine Aeternitatis ſeu Nemeſis, quae conſecrat Herculem, ut videre eſt in eadem patera, ita inſcriptum, ƧIOꓕ, *Etis*, unde Latinis *aetas* (2). Praeterea Etruſca nomina fere ſimilia Iovis & Bacchi AИIꓕ. *Tina*. AIИIꓕ. *Tinia*, hoc eſt *Tonans*, ut explicat Bourguettius. Poteſt etiam hoc cognomentum, Iovi & Baccho ab Etruſcis datum, oriri, uti & multa Tuſca vocabula a Graecis originem habent, a τίω ſeu τίνυμαι, hoc eſt *ulciſcor*, *vindico*, *punio*; nam Tuſci Deos, quibus fulmina adtribuere, praecipue vero Iovem & Bacchum, *ultores*, *vindices*, ut opinor, vocarunt: vel etiam illud cognomen deduci poteſt a τινάσσω, *concutio*, *vibro*, *iaculo*: adeoque TINA, TINIA, *concuſſor*, *fulminator* reddi poteſt.

VI. ꓘ habetur pro K, *Kappa*: ita occurrit ſcriptum in monumentis Etruſcis. In pronunciatione ſonum & poteſtatem habuit c Latinorum: idque argui poteſt ex nominibus Deorum Herculis, Caſtoris & Pollucis, quae ſculpta ſunt prope eorum imagines in pateris, ut paullo ante obſervavi. Figura huius litterae primaeva ac primigenia eſt ꓘ; ſed videtur interdum variaſſe figuram apud Etruſcos: quod factum puto, vel ornatus gratia, ex varietate multiplicis figurae characterum reſultantis; vel quia interdum > > diverſo

 ſono

(1) Ad Monum. add. Dempſt. §. II. pag. 10. (2) Ibidem §. XIII. Vide ſuperius pag. 199.

ſono pronuntiari debebant, vel magis leni, vel magis aſpero. Siquidem aliquando ꓘ deeſt haſta ı; quia in ſcribendo ſemper id quod maioris facilitatis & commodi eſt inquiritur curaturve: ideoque haſta praetermiſſa, fecere ɔ >. quae valent κ. Id evidenter adparet in nomine Herculis bis ſcripto in Tab. II. & VI. apud Dempſterum, priore in loco ƎJɔЯƎᗺ, ſecundo retrogradis litteris ᗺƎDKOLƎ: ideoque ex ɔ > ſine haſta, c Latini fecerunt. Loco G eamdem litteram adhibitam, ſuperius quoque adnotavimus in voce ꟼИIɔVꓘI *Ikuvini*. Vmbris quoque κ pro c & G inſervit.

VII. ⅃ ita Etruſci Graecorum *Lambda* exararunt, inverſa ʌ Graeci forma. Erectum crus Etruſci ⅃, per planum Latini L extenderunt. Quod igitur valeat L, manifeſtum eſt ex nominibus Herculis, Apollinis, Meleagri, Menelai & Pelei, quae in pateris, apud Dempſterum iam indicatis, leguntur. Aliquando huius litterae ⅃ crus adeo eminet, ut v referre videatur, ut in patera apud Dempſterum Tabula IV. quare ſedulo diligentia adhibenda eſt in diſtinguendo ⅃ ab v. quum maxima inter utramque figuram non raro intercedat ſimilitudo. Non raro etiam adverſa facie ſcribitur hoc modo ⅂.



VIII. ᛗ eſt M. Quamvis Etruſci diverſimode ita figurarint M, M. m. m. ⴏ. m. tamen ſemper eumdem ſonum habet M, non ſecus ac apud Graecos & Latinos. Id perſpicuum eſt ex nominibus Deorum inſcriptis in pateris iuxta eorum imagines, quemadmodum in nomine Minervae, Menelai & Meleagri in Tab. II. IV. V. & VI. apud Dempſterum. Interdum etiam inverſa figura W ſcriptum occurrit; ut in adlato marmoreo Cinerario, quod exſtat Cortonae in Muſeo Academicorum Etruſcorum. Defuncti nomen ita interpretandum videtur: *Larts*, vel *Lartis Hnemi Velſinal*. hoc eſt *Felſinal*, ſeu *Felſinatis*: unde Bononiae Etruſcum nomen.

VIIII.

VIIII. и eſt ɴ. De и Etruſcorum eadem dici poſſunt, quae de ᴍ. Quater in nomine Minervae, ſemel in Menelai nomine occurrit. Interdum и. и. ч. ч. и. ɴ. linea in medio, quae duas haſtas iungit, vel ab imo vel a medio, vel ſuperne adſurgit. Semper tamen eſt ɴ. nec ſonum variat, licet aliquantulum variet figuram.

* ᴢ. ſive ᴄs ab Etruſcis excogitatam cenſet Bourguettius; duplices namque litteras habuiſſe atque inveniſſe Etruſcos obſervat. Huius litterae exemplum indicat in Gemma Etruſcis litteris inſcripta, quam nos infra in Tabula CXCVIIII. exhibemus. Sculpti ſunt Salii Sacerdotes ancilia in pertica ſuſpenſa geſtantes & oſtentantes. Ita enim ⦚ duo ᴄ ſuperpoſiti utroque contrario modo, quaſi efficiant ᴄs ſimul coniunctum. Cenſet Bourguettius ſcriptum eſſe X. ᴀᴘᴠᴛᴠx ᴀʟxᴇ. *Clypeorum oſtentatio*.

* o carent Etruſci; ſiquidem loco o uſi ſunt v, ut factum videmus in nomine Apollinis, quod duobus in locis ſcribitur cum v, nimirum ᴀᴘᴠʟᴠ *Apulu*, & ʟᴠᴘᴀ *Apul*, pro *Apulu* & *Apul*. Item in nominibus Caſtoris; ſcriptum eſt enim ᴋᴠᴛſᴀᴋ *Kaſtur*, & Pollucis ᴇᴋᴠᴛʟᴠᴘ *Pultuke*. Iurantes dicebant *Aedepol*, per aedem Pollucis: feminae vero *Ecaſtor* vel *Aedecaſtor*: de qua iurandi conſuetudine vide Gellium Lib. xi. Cap. vi. Vnicum o exſtare exemplum forſitan aliquis cenſebit in Tabula VI. apud Dempſterum, in qua ſculpta eſt Minerva alata, opem ferens Herculi hydram tricipitem interficienti; ita enim nomen Herculis exaratum litteris retrogradis ʜᴇʀᴋoʟᴇ *Herkole*. Verum unicum in tot Etruſcorum inſcriptionibus exemplum non me movet; quamvis eo non caruiſſe vetuſtiſſimam Graecorum ſcripturam conſtet, auctoritate lapidis Sigei & inſcriptionis Deliacae. Pictorem potius erraſſe puto in deſcribendo Herculis nomine in eadem patera expreſſo: erroriſque cauſa, ut arbitror, fuit, quia inter ᴋ & ʟ forſitan adeſt in archetypo, uti etiam in aliis obſervavi, aliquod foramen, vel aeris vitio, vel fortuito caſu eo in loco inductum. Vtcumque res ſe ſe habeat, niſi certiora in poſterum habeamus documenta, per me o in praeſenti non erit in Tuſcorum Alphabeto. Tuſci dixere dubio procul ʜᴇʀᴋʟᴇ, quod ex altera patera edita in Tabula II. evincitur. Accedit etiam, quod Latini iurantes *Hercle* dicebant. Ea vero littera o, quae frequenter occurrit in Etruſcis ſcripturis, eſt ᴛʜ, vel etiam ᴛ ſono forſitan diverſo a ᴛ ideſt ᴛ pronunciata, de qua mox dicam. Et quia Tuſci o carebant; ideo parum curarunt punctum addere in centro o; quare paſſim o ⊙ ita ſcribitur, reddique debet ᴛʜ, vel ᴛ, ſi mavis non adſpiratum, ut ſupra obſervavimus.

Digitized by Google

X. ꟼ eſt Π Graecorum. Quod Etruſci hac littera ꟼ. ꟼ. ꟼ. ꟼ. capite modo angulari, modo rotundo, modo magis vel minus inclinato, pro P uſi ſint, haud relictus eſt dubitandi locus. Quater in Deorum nominibus eodem modo conſtanter expreſſus cernitur, nimirum in nomine Apollinis in Tabula III. & IV. apud Dempſterum, in Tabula VII. in nomine Pollucis *Pultuke*, & in Tabula XCI. in nomine Pelei *Pele*. Hinc Latini priſci ſuum Γ P efformaſſe videntur: poſtea crus in ſemicirculum ductum, efformavit P. In Sigeo lapide, Graecorum Π, ita effictum ꟼ Γ videmus.

XI. ᗡ eſt R. Complura habemus ex Etruſcis pateris exempla, quae proculdubio hanc litteram, apud Etruſcos ita efformatam, ᗡ. ᗡ. ᗡ. ᗡ. evidenter indicant, ac proinde pro R ſumendam eſſe. Id adparet in nomine Iunonis, quae ab Etruſcis dicta eſt *Eris*, fere ut apud Graecos Ἥρα. Clarius vero huius litterae poteſtas adparet ex nomine Herculis bis ſcripto in pateris Etruſcis: quater etiam ex nomine Minervae in Dempſterianis Tabulis II. IV. V. VI. & in alia ſuperius edita Tab. LXXXVI. quae referre ſupervacaneum eſt. Occurrit etiam in nomine Caſtoris & Meleagri Tab. VII. *Kaſtur* & *Melakre*. Haec quoque littera interdum inverſa occurrit, ut in Vrna apud Dempſterum Tab. LXXXII. num. 1I. PLAVTN. Liquet igitur, Etruſcos ſcripſiſſe ᗡ quaſi D Latinorum inverſum. Saepenumero etiam eadem littera caudata occurrit hoc modo ᗡ: nec dumtaxat triangulus totam haſtam complectitur, verum etiam ſemicirculus, hac figura ᗡ ᗡ. praeſertim in Tabulis Eugubinis. Aliquando etiam ᗡ ita ſculptus eſt, ut R Latinorum inverſo admodum ſimile ſit: vel haſta nimirum ſuperne & inferne ſic eminet ᗡ: tamen pro ᗡ. ᗡ. ᗡ. ſemper accipe. Huc pertinent, quae notat multae lectionis ſummique ingenii vir Matthaeus Aegyptius in explicatione S. C. Romanorum de Bacchanalibus, quae, ut ab eo ſcripta ſunt, referre libet (1). „ ARF pro ADF; nam R pro D ſaepiſſime apud veteres. „ Sic inferius (*in eadem Tabula S. C.*) ARFVISE, pro *adfuiſſe*, „ ARVORSVM, pro *advorſum*. In lapide apud Gruterum (2) legitur „ ARVORSARIVS, pro *adverſarius*. Sic olim dictum ARVOCATVS, „ ARFINES, ARVOLARE, pro *advocatus*, *adfines*, *advolare*. Hinc „ ab AVRIS factum eſt *audio* (3): & converſa ratione pro AVDI- „ CVLAS dicimus *auriculas*, & MERIDIEM, pro *medio die*: itaque „ olim ſcriptum FEDETRIO, pro *Feretrio* (4). Certe inverſum ᗡ „ Etru-

(1) Pag. 148. & 149.
(2) Pag. DVII.
(3) Lactant. Cap. VII. de Opificio Dei.
(4) Varro Lib. V. L. L. Vel. Longus de Orth.

„ Etruſcis, Romanorum finitimis, ſonabat R, ut ex vetuſtiſſimis
„ monumentis merito ſuſpicatur Cl. Philippus Bonarroti, in Ad-
„ ditamentis ad Etruriam Regalem Dempſteri, *pag.* 22. Veriſimile
„ eſt igitur, rudi adhuc Lingua Latina, priſcos illos pronuntiaſſe
„ *arvocatus*, ſcripſiſſe AGVOCATVS: poſt R vero litteram ab Appio
„ Claudio Craſſo inventam (1), qui Coſ. cum Camillo A. V. CCCCV.
„ ſcriptum fuiſſe ARVOCATVS; ac tandem, abiecta canina littera,
„ reditum ad imaginem priſci characteris, & dulcioris ſoni gra-
„ tia ſcriptum pronuntiatumque fuiſſe ADVOCATVS. Horum igno-
„ ratione, ut puto, Heſychius ait, Tyrrhenos pro PEA dixiſſe
„ ΔEA (2); nam ◁. ▽. Etruſcorum, figura quidem accedebat ad Δ,
„ pronunciatione vero erat ipſum Graecorum P. Exarabant igitur
„ ΔEA, efferebant PEA. Et hinc, nec mirum, in veteribus Crotonia-
„ tarum quibuſdam nummis P, ſecundam litteram ſyllabae ϘPO,
„ ſculptum eſſe veluti caudatum ϸ. Rem doctioribus examinan-
„ dam relinquo; nam & in his nummis non ſine laude verſari
„ quandoque poſſunt.

XII. Ƨ. Etruſcis eſt S. quae vel imitatur Graecorum inverſum *Sigma* Ʒ, vel S Romanorum, qui a Tuſcis hanc quoque litteram accepiſſe videntur. Illud etiam de figura huius litterae notandum, quod interdum ita efformata eſt, ut Z referat: cuius haec ſunt exempla apud Dempſterum Tab. LXXXIII. num. VI. ſcriptum eſt ita AZIVA, videlicet *cymba*, *urna*: at num. III. AZIHAIV. & in Tabula LXXXIV. num. III. AZIVA. In operculo ibidem adlato num. IV. in quo Bourguettius G putat ſe reperiſſe, ς apud Etruſcos, ſcriptum videtur non AEGIALISSA, ſed AEGIALISZA. hoc eſt AEGI ALISZA. litteris inverſis. Interdum etiam SS geminatur, quod rariſſime, vel numquam accidere aliis litteris videmus. Exempla habemus in Vrnis editis in Dempſteriano Opere alterum in Tabula LXVIII. num. I. ubi NAJƆ : ƧƧINAM *Maniſſ: klan*. quaſi *Manibus deflendis*; nam Manium Deorum nomen ab Etruſcis: alterum in Tab. LXXXIII. num. VII. INIYƧƧƎJ : OJ. forſitan *Lartis Leſſtini*, ſeu *Leſtini*. Forſitan veteres Etruſci ƧƧ geminabant in vocibus, ut nos hodie in patrio ſermone facimus, quum S maiori ſibilo pronuntiare oportebat. Quod vero Ƨ ab Etruſcis pro S adhibita ſit, indicat nomen Caſtoris ſcriptum in patera Etruſca apud Dempſterum Tab. VII. in qua iuxta eius imaginem legitur ЯVTƷAK. *Kaſtur*. Indicat etiam nomen Thetidis ſcriptum in patera Tabula XCI. ƧIOƎO *Thetis*. Praetereo alia exempla in Ta-

(1) Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. I. Cap. I.

(2) Citatus a Clariſſ. Editore Dempſteri Tom. I. pag. 91.

Tabula I. II. III. apud eumdem Dempſterum, Deorum imaginibus adſcripta.


XIII. ✝ eſt τ. Aliter quoque ſculptum cernitur in antiquis Tuſcorum monumentis in hunc modum ✝ . ✝ . ✝ . Y . Y . ⊦ . ⊣ . eumdem tamen, ut apud Graecos & apud Latinos τ, ſonum & poteſtatem habet. Diligenter expendenda eſt huius litterae figura, quia interdum ſi crus haſtae adnexum diffunditur & valde diſpeſcitur hoc modo Y Y, facile eſſe poterit non τ, ſed v. Ex quibus omnibus perſpicuum, quanta diligentia adhibenda ſit in exſcribendis Etruſcis Inſcriptionibus; quia ex minima varietate, probe & accurate non obſervata, poſſunt facile perſimiles litterae confundi. Aperte τ poteſtatem indicant Caſtoris & Pollucis nomina, ſcripta iuxta eorum imagines in patera edita apud Dempſterum Tabula VII. ɑV✝ʒAꓘ *Kaſtur*, ∃ꓘV✝ɅV7 *Pultuke*. Indicant etiam aſſes ſive pondera in Tabula LX. Dempſteriana, in quibus ſcriptum· eſt ∃ɑ∃✝V✝ *Tutere*, & ad *Tudertum* pertinere cenſentur. Haec littera, ut dixi, variis figuris ſcribitur ab Etruſcis: frequentius tamen ita ✝ . ✝, vel hoc modo ✝ . ✝ : non raro etiam, ut videre eſt in Tabulis Eugubinis, ita occurrit Y . Y . & ⊣ . ⊦ . Quod vero Y ſit idem ac ✝ . exempla profero ex Tabula III. verſ. 10. in quo ſcriptum ɑVYɑ∃8ɋA . *arſertur*: & in Tabula V. verſ. 16. ɑV✝ɑ∃8ɋA . *arſertur*. In Tabula I. verſ. 5. VYI∃ƐɋA . *arveitu*: & in Tabula IV. verſ. 6. V✝I∃ƐɑA . atque ita paſſim. Pro *Delta* Δ Graecorum, ſeu D Latinorum mihi inſerviſſe videtur Vmbris, Pelaſgis & Etruſcis. Hanc quoque litteram geminatam ſuſpicor, atque ita deſcriptam unica figura ⋕ ⋕, quae non raro occurrit in compluribus Etruſcis Inſcriptionibus.

XIIII. ٧ eſt v vocalis. De huius litterae figura & poteſtate nullus ambigendi relictus eſt locus. Quamvis enim alterum crus interdum parum emineat aut adſurgat, hoc modo ٧ V, vel in medio haſtae adſurgat, in hunc modum Y Y. interdum etiam ita quaſi aequet alterum cornu ٧ V. abſque dubio pro v accipiendum eſt. Id perſpicue liquet ex nomine Apollinis bis ſcripto, A⊦VↃV. *Apulu*. & ↃV7A *Apul* in Tabulis Dempſterianis Tabula III. & IV. & Tabula VII. in nomine ɑV✝ʒAꓘ *Kaſtur* & ∃ꓘY✝ɅV7 *Pultuke*, hoc eſt Caſtoris & Pollucis. Notandum etiam, quod interdum inverſa figura exhibetur, ut in aſſibus ſive monetis, in quibus ſcriptum eſt ∃ɑ∃✝V✝ . vel ∃ɑ∃✝V✝ . *Tutere*, ut in Dempſteriana Tabula LX. & in nomine Apollinis in Tabula IV.

At v conſonans alio modo ſcribitur ab Etruſcis, nimirum duplici ſchemate: alterum in hunc modum ∃ . ꟻ . ∃ . ∃ . ∃ . ^

quaſi

quaſi geminum v inverſum contineat : alterum vero ita ſcribitur ɔ . ɔ . ɔ . ɔ . vel etiam inverſum c & ɜ : ſemper enim v conſonans ita pronunciari debet, ut aſpero ſono aliquantulum F Latinorum quodammodo retineat, ac proinde exprimat digamma Aeolicum, quod occurrit etiam in Inſcriptione Deliaca : quo pariter uſi ſunt conſecutis temporibus veteres Latini pro v conſonanti. In marmore Tiburtino, quod adfert Gruterus (1) & Fabrettus (2), de Imperatore Claudio legitur, quod quum eſſet CENSOR . P. P. AVCTIS. POPVLI . ROMANI FINIBVS . POMERIVM AMPLIAꟻIT . TERMINAꟻITQ. At Cl. Ficoronius (3), iterum invento hoc lapide, exſcripſit POMERIVM AMPLIAꟻIT . TERMINAꟻITQ. quod veriſimilius videtur.



In hac quoque fictilis Vrnae inſcriptione, quae Florentiae exſtat in Muſeo Nobilium Cerretaniorum, videmus aliter ꟻ ſcriptum eſſe. Titulus vero, nigerrimo atramento ſcriptus, forſitan ita explicari poteſt : *Kai Hvrvni Tetinatis :* & forte Herenniam familiam ex Etruria ortam eſſe, hinc diſcimus. Huius igitur litterae ꟻ ꟻ poteſtatem apud Tuſcos perſpicue oſtendit nomen Minervae inſcriptum pateris adlatis apud Dempſterum Tab. II. IV. V. & VI. in quibus v in MINERVA, ſcriptum eſt variis ſchematibus, AꟻAƎИƎM. AꟻAƎИƎM . AꟻAИƎM . AꟻAИƎM. In Tabula Eugubina, quae eſt II. apud Dempſterum verſ. 21. legitur ƎAYAꟻƎƆVI. hoc eſt IUVEPATRE. quod exponitur IOVIS PATER. & verſ. 23. 28. & 29. AИIƆVII AƎTAYVY. *tutaper iiuvina :* id eſt *totam per iuventutem :* at in Tabula Eugubina, Latinis litteris ſcripta, quae eſt VI. apud Dempſterum, pluribus in locis legitur TOTAPER IOVINA ; quare manifeſtum eſt ꟻ ꟻ ꟻ & ɔ aliaſque litteras his ſimiles, eiuſdemque claſſis, &, ut ita dicam, coloniae, eſſe v conſonans.

XV.

(1) Pag. CXCVI. 4.
(2) Inſcript. ant. Cap. x. num. 445.
(3) In Diſſertat. de Bulla aurea nobilium puerorum &c. pag. 68.

: XV. Huic adfinis eſt 8 & 8 littera, quae mihi compoſita videtur ex duplici v v. quorum alterum, ſi cum altero componatur hoc modo ◊ ◊, & interſecetur ⊖ ⊖, ſonum aſperum duplo maiorem reddet, ut Φ *Phi* Graecorum, & Latinorum F exprimat. Germanis W ſonat F. In Tabula III. Eugubina apud Dempſterum verſ. 6. ſcriptum eſt VƎꟼꓘAƧ. *ſakreu*; in IV. vero verſ. 65. 8ƎꟼꓘAƧ. *ſakref*. Si quis etiam bene animadvertat 8 ⊖ Etruſcorum, probe refert Φ Graecorum, ſi haſtam non perpendicularem, ſed tranſverſam & diagonalem obſerves, ⊖ in hunc modum. Certe apud Etruſcos ſonat ut Φ Graecorum, & ut F Latinorum. In hunc ordinem referendae videntur litterae ♀ & 8. in hanc ſpeciem, forſitan ſcriptorum, ut ſolet oſcitantia, ita exaratae, quae tamen rariſſime occurrunt. Perſaepe in Tabulis Eugubinis legitur ꟼƎ⊥Aꟼ8. Vꟼ⊥Aꟼ8. ƧꓘƎꟼ⊥ꟼ8: quibus FRATRES. FRATREM. FRATER. proculdubio exprimitur. Pro Φ forſitan ſcriptum eſt ◆ in marmoreo Cinerario, quod ſuperius protulimus in Tab. CXCV. num. 1. in quo ſcriptum eſt MAINYΦAT. ni fallor, legi debet *taſuniam*; hanc tamen litteram nullibi, praeter quam in hoc Sepulcro, ita exaratam inveni.


Superſunt aliquot litterae, quas ſuis locis & claſſibus reſtituent viri docti. Igitur eas proponam, & meas qualeſcumque coniecturas ſubiiciam. Prima eſt ɑ, quae in Tabulis dumtaxat Eugubinis occurrit. Forſitan eſt eadem ac ꓘ; nam in Tab. I. apud Dempſterum in verſ. 26. legitur. ƧƎɑIꟼVꟼ. & verſ. 24. ƎɑIꟼVꟼ. *puprike*, hoc eſt *publice*: eademque vox in eadem Tabula verſ. 10. ſcribitur ƎꓘIꟼVꟼ. *puprike*, id eſt *publice*. & verſ. 11. 12. & 13. eiuſdem Tabulae ƧƎꓘIꟼVꟼ. In Tabula II. verſ. 27. & 35. habetur ƎꓘIꟼVꟼ. *puprike*. Hanc litteram Etruſci, ut arbitror, a Phoeniciis deſumſerunt; nam interdum in eorum monumentis occurrit o inferius caudata, hoc modo ♀ Q. cuius exempla habes in ſuperiore Tabula LVIIII. in qua Priapi ſimulacra exhibentur. Certe Q referre non poteſt; de qua littera ita Victorinus de Orthographia: *Sed nec* G, *nec* Q *Latinus ſermo introduxit*. Cato de originibus ait; Sabinos & Etruſcos Q littera caruiſſe; quamob rem CVRINVM pro QVIRINVM ſcribebant. Conflatam hanc litteram Q putarunt ex C & V, ſic Ϲ. teſte Velio Longo (1). Vero propius cenſet V. C. Matthaeus Aegyptius (2) Q Latinorum (idem de ♀ Q Etruſcorum adfirmo) eſſe Phoenicium ♀ *Koph*, iamdiu pro K uſurpatum, ut liquet ex nummis Crotoniatarum, in quibus ſcriptum eſt Ϙρο. In coxis equorum, qui iuncti ſunt currui trium-

(1) De pronunciat. Ling. Lat. Cap. XIII. (2) In Explicat. S.C. Bacchanal. pag. 157.

Digitized by Google

triumphantis Etruſci, ut in Vaſe apud Dempſterum Tab. XLVIII. inuſta eſt, more antiquiſſimo, & apud Tuſcos uſurpato, nota quaedam, quae ♀ refert, vel ∂ inverſum: quam eſſe ꓘ Etruſcum diximus: eaque nota equorum patria, forſitan Kroton, notatur (1). Bonarrotius putat hanc notam eſſe Etruſcum ꝗ inverſum (2).

Alphabetum Etruſcum.



Superſunt hae quatuor figurae litterarum, ꟻ . ✱ . ↑ . ↓ . quas viri docti accuratius expendent. Prima eſt ꟻ . quae forſitan eſt ꟻ inverſa; ac proinde pro v conſonanti, ſicuti digamma Aeolicum, cum aſpero ſono efferenda videtur.

 Alte-

(1) V. Begerum in Muſ. Brand. T. 1. p. 332. (2) Ad Monum. addita Dempſt. §. xxxi.

Altera eſt ꟻ, quae eadem ac ꟻ eſſe poteſt: vel duplex ᴛ: idque arguendum eſt ex hac voce, quae iiſdem figuris litterarum ſcripta eſt in Tabula IV. Eugubina verſ. 26. ꟻ϶ᑯꓮ፣. poſtrema variante, & in Tabula I. verſ. 27. ꟻ϶ᑯꓮ፣ legitur. Nec mirum: quia Etruſci etiam ᴛ, ita ſcripſere linea tranſverſa vel integra vel dimidiata in hunc modum ꟻ. †. ⊣. ⊢. ꟻ. ꟻ.

Altera eſt ↑. ⊤. ⸸. quam pro duplici ᴘ adhibuiſſe Tuſcos crediderim.

Altera eſt ⸸. ⸸. cuius exempla haud rara ſunt. Erit forſitan qui cenſebit eſſe Ψ *Pſi* Graecorum. Veriſimilius crederem referre duplicem litteram Etruſcorum vel ᴠᴠ, vel ʟʟ, ut ſupra dicebam ad titulum Etruſcae caſſidis Tab. CLXXVII. pag. 364. & poteſt eſſe ᴠ & ⅃. nempe ᴠ & ʟ. ſed hac de re ſatius expectare hominum doctiſſimorum iudicium, & aliorum exemplorum auctoritatem. Neque enim inſolens Etruſcis fuit duas litteras ſimul coniungere, ut adlatae inſcriptiones in hoc opere & in Dempſteriano evincunt. Saepe etiam Etruſci, quemadmodum litterarum variant figuram, ita alteram litteram commutant cum altera, quae ſono ſit propior, ut ᴍ cum ɴ. ɪ cum ꟻ, & ꟻ cum 1, ut in Tabula II. Eugubina verſ. 15. 16. 17. 22. ᴠꟻᴎ϶ꟻᴎꓮ. at in eadem Tab. verſ. 23. ᴠ†ᴎ϶1ᴍꓮ. Tab. II. verſ. 21. ᴠ†ɪᑫꓮꓘ. Tabula IV. verſ. 33. ᴠ†϶ᑫꓮꓘ. Tabula I. verſ. 1. ꟻᴎᴠᑫꓮᑫ϶. at in Tabula IV. verſ. 23. ſcriptum ꟻᴎᴠΘꓮᑫ϶. quaſi ⊖ pro duplici ⊜ ſit; nam & ſuperius in Tabula XIII. Ankariae Deae nomen ſcriptum eſt cum ⊖, in medio ſecta quadam lineola, quod inobſervatum nolui relinquere. In Tab. IV. Eugubina verſ. 7. 51. 58. 64. 68. ꟻ϶†ᴠꓘ. at verſ. 3. 1϶†ᴠꓘ. adeoque & ꟻ cum 1 commutatur. Item ⊖ cum † ut in Tabula I. verſ. 20. ᴠ⊙ɪƆᴠ1ᑫᴠ1. & in eadem Tab. verſ. 18. & 22. in Tabula V. verſ. 24. 29. ᴠ†ɪƆᴠ†ᑫᴠ1. & in 1, ut habes in Tabula I. verſ. 14. ꟻᴠɪ1ᴠꟻᑫᴠ1.

Igitur perſpicuum eſt, Etruſcas litteras Graecis admodum ſimiles eſſe, ſi earum figura invertatur, conferaturve cum litteris Sigei lapidis, praeſertim in illis verſibus, qui a dextro ad ſiniſtrum latus ducti eunt. Quod vero frequenter variet Etruſcarum litterarum figura, id elegantiae varietatique ſcriptionis, cum Bonarrotio, tribuendum eſſe cenſeo. Alia de Dialectis Pelaſgico & Etruſco, de Vocalibus, de Diphthonghis, de Orthographia, ſeu de interpungendi ratione, de Notis numeralibus, quae omnia aliaque etiam heic non vacat expendere, loco opportuniore, in altero huius operis volumine adnotare mihi propoſui. Si qua vero in re contrarium ſentiunt litterati homines, per epiſtolam me quaeſo admoneant.

TA-

Google

TABVLA CXCVI. CXCVII.

MONETA ETRVSCORVM.
Quid capita Deorum, litterae, notae, orbiculi aliaque emblemata ſignificent, diſquiritur.

ETruſcorum MONETA dubio procul eſt vetuſtiſſima, ante Romam conditam, non typo expreſſa percuſſave, ſed ex aere fuſo conflata (1), quod ex opificio, notis, ſymbolis & emblematis, quae praefert, argui poteſt. Ea nunc in locupletiſſimis Muſeis rariſſima eſt: ſuſpicari etiam poſſumus & antiquitus perraram fuiſſe, quum nemo veterum ſcriptorum eam deſcripſerit, quod paene incredibile videtur. Memorant quidem veteres auctores, Ianum apud Etruſcos ſignandae monetae auctorem fuiſſe; ſed notas, ſymbola, emblemata, litteras Etruſcas, quae in his occurrunt, ſilentio praetereunt. Qua vero de cauſa aes primum ſignatum fuerit, his verbis declarat Macrobius (2): *Regionem iſtam, quae nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit, qui, ut Hyginus, Protarchum Trallianum ſecutus, tradit, cum Cameſe aeque indigena terram hanc ita participata potentia poſſidebant, ut regio Cameſene, oppidum Ianiculum vocitaretur. Poſt ad Ianum ſolum regnum redactum eſt: qui creditur geminam faciem praetuliſſe, ut quae ante, quaeque poſt tergum eſſent, intueretur: quod proculdubio ad prudentiam regis ſollertiamque referendum eſt, qui & praeterita noſſet, & futura proſpiceret: ſicut Antevorta & Poſtvorta, divinitatis ſcilicet apertiſſimae comites, apud Romanos coluntur. Hic igitur Ianus cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio: & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit. Quum primus quoque aera ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam; ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur; quo Saturni memoriam ad poſteros propagaret. Aes ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleae luſu; quum pueri denarios in ſublime iactantes*, capita aut

 navim,

(1) Vide Bonarrot. ad Dempſt. §. XXXVIII. (2) Saturnal. Lib. I. Cap. VII.

navim , *luſu teſte vetuſtatis , exclamant . Hos una concordes regnaſſe , vicinaque oppida communi opera condidiſſe , praeter Maronem , qui refert*

Ianiculum huic , illi fuerat Saturnia nomen ;

etiam illud in promtu eſt , quod poſteri quoque duos eis continuos menſes dicarunt , ut December ſacrum Saturni , Ianuarius alterius vocabulum poſſideret .

Theodorus Ryckius [1] animadvertens , Saturni & Iani tempora non poſſe ſimul congruere , nec utriuſque pati conſortium (nam Saturnus Iano ſeſquiſeculo ſuperior cenſetur) putat , Ianum a Sterce Pici patre in partem agri fuiſſe receptum : eique tamdem mortuo in regnum ſucceſſiſſe , ac ſub nomine Saturni divinos honores conſtituiſſe ; quemadmodum Athenis eos paullo ante Erechteo avo decretos noverat . Ex Euſebio ac Dionyſio colligit idem Ryckius , exordium regni Iani in annum incidere ſextum ferme & quadrageſimum ſupra centeſimum ante Ilii expugnationem . Ex quibus perſpicuum eſt , quam antiquae ſint hae Tuſcorum monetae , vel etiam ſi ſecutis temporibus conflatas dicamus . Saturni effigiem , ni fallor , exhibet ille aſſis , qui adſertur in Tab. CXCVI. num. VIIII. Littera s. ſemiſſem eſſe innuere poteſt : Saturni tamen nomen , haud crediderim declarare . Non male etiam convenire poteſt Iano , quem claſſe in Italiam advectum eſſe teſtatur Draco Corcyrenſis apud Athenaeum [2] , praeſertim vero quum laurea ſit ornatus ; nam , ut diximus , coronarum inventorem Ianum veteres exiſtimarunt . Accedit etiam , quod nova laurea ſingulis Calendis mos fuit Ianum coronare [3] .

Ratem ſive navim expreſſam praefert aes grave , adlatum in Tabula CXCVI. num. VI. quodque eſt rariſſimum , cum rate caput Deae galeatum , Romae ſimillimum , quod cernimus in nummis , qui dicuntur Conſulares . Galeae iungitur mitella , quemadmodum in ſimulacro Deae Valentiae ſuperius edito in Tabula VII. obſervavimus : quam etiam poteſt referre . De hac effigie avide expecto doctorum hominum iudicium ; nam ſunt etiam , qui Rheam ſive Opin Saturni , alii qui Iani uxorem eſſe exiſtiment . Tum in antica , tum in poſtica cernitur nota numeralis x ; ſed & altera circa vultum Deae additur ↄ , quaſi s imperfecta . Hoc inſigne pondus ex aere exſtat Romae in Muſeo Capponio : exactumque ad librae Romanae valorem , pendit uncias

(1) Diſſertat. de primis Italiae Colonis Cap. V.

(2) Deipnoſoph. Lib. XV. Cap. XIII.

(3) Sidon. Apollin. Carm. II. in princ.

cias quadraginta. Quum autem noſtra libra veterem ſuperet & excedat, facile eſt, antiquitus duobus aeris libris conſtitiſſe. Inter priſcam Etruſcorum & Romanorum monetam illud intereſſe diſcrimen videtur, quod Etruſcorum pondera ſive aſſes, ex aere fuſo conflatoque conſtant; Romanorum vero percuſſi cuſique ſunt: adeoque Etruſcae monetae antiquiores cenſentur, utpote ante artem cudendi conflatae. Apud Romanos ſignati aeris auctores alii Numam, alii Servium Tullium faciunt (1). Quae vero a nobis adferuntur monetae, profecto vel longe ſuperant, vel aequant Vrbis originem.

Has inter, illae monetae pro antiquiſſimis omnium haberi debent, quae vel ab uſitata forma recedunt, ut ea in Tabula CXCVII. num. iI. ovalis figurae, quae exſtat Piſauri in Muſeo Paſſerio: vel Deorum non imagines, ſed notas quaſdam & emblemata praeferunt: quaeve referendae ſunt ad ea loca & urbes, ſive prope mare, ſive prope paludes ſitas, ſive aliquo opere & artificio ea tempeſtate valde celebres & ubique notas. Occurrit delphinus, vel turſo ſeu tyrſo (eſt piſcis delphino congener) qui cum Tyrrhenorum nomine congruit, quo primum Tyrſeni vocati ſunt: de quo nomine plura ex Spanhemio & Bocharto notat Bonarrotius (2). Videre etiam eſt, ut in Tabula CXCVI. num. v. in his Etruſcorum monetis expreſſos talos luſorios, qui originem Tyrrhenorum a Lydis, qui talos aliaque ludorum genera invenere, fortaſſe ſignificant. Accedit muſca, apis, ſeu potius cicada & tridens, ut in eadem Tab. CXCVI. num. iiI. bipennis & rota: pariterque rota & ancora ab Etruſcis inventa: & in aſſibus, qui ad Hatrienſes pertinent, Etruſcorum colonos, gallus & crepida, piſces ſpecie diverſi: in aſſibus vero Vtinenſium lancea & vas diota. His addenda eſt, ex monetis adlatis in Dempſteriano Opere, rana, aquila, & cornu frugum, uvarum pomorumque copia refertum: in aliis etiam aſſibus, quos vidi, fulmen utraque in parte exhibetur.

His breviter delibatis, ad numiſmata veterum Etruſcorum, quae biceps caput praeferunt, gradum facio. Diligentius expendenda eſt ampliſſimi Senatoris Bonarrotii coniectura, qui ſuſpicatur, bifrons caput facile reſpicere poſſe urbium peculiare regimen, quae duobus praeſidibus gubernarentur. Animadverſione etiam dignum cenſet, quod in Romanis caput intectum adparet: in Etruſcis vero quodam pileo tegitur, qui etiam, ut in nummo Pembrochiano, a Spanhemio adlato, in inferiore & extima parte glo-

(1) Vide Plinium Lib. xxxiii. Cap. iiI. (2) Ad Monum. add. Dempſt. §. xxxviii.

Digitized by Google

globulis ſeu gemmis circumornatur ; unde pro dignitatis ſummae ornamento accipiendum eſſe cenſet . Accedit Draconis Corcyrenſis, paullo ante laudati , auctoritas , qui teſtatur bicipiti capite inſignita ſpectari numiſmata complurium civitatum Graeciae , Italiae & Siciliae . Quod vero Ianus in Italiam navigaverit , & in monte Romae vicino conſederit , quem ſuo nomine Ianiculum vocavit ; qui mons , quod in extrema Etruria cenſeatur : ea peculiari ratione Etruſci , Iani effigie monetam ſignare potuerunt . Facile etiam crediderim in templo fortaſſis communi tum Iani tum Saturni , aerarium Tuſcos conſtituiſſe ; quod de aerario Saturni & Opis apud Romanos , Etruſcorum imitatores , exploratiſſimum eſt .

Mihi quidem , etſi non parum adrideat haec viri doctiſſimi coniectura , nonnihil tamen difficultatis habere videtur , ſi gemina capita duorum ſummatum , praeſidum regumque peculiare regimen in urbibus ſignificare dicamus . Nam antiquiſſimis temporibus apud Etruſcos , uti & apud Graecos , cenſeo , nulla alia capita , niſi Deorum Heroumque , in numiſmatibus impreſſa fuiſſe , non vero regum & principum : quod etiam per complura ſecula ubique gentium , & apud Romanos , invaluit . Interdum etiam Etruſci ſive Pelaſgi , quum in numiſmatibus capita Deorum non expreſſere , eos per propria ſymbola declararunt . Exemplum ſuppeditat numiſma Ikuvinorum ſeu Eugubinorum , adlatum in Dempſteriano Opere Tabula LIX. num. IV. quod exſtat in Muſeo Mediceo : in quo in altera facie rota radiata , Solis index , in altera Luna ſilens , & in extimo orbe quatuor aſtra ſculpta conſpiciuntur , cum hac epigraphe ΙΝΙƆVΚΙ , hoc eſt IKVVINI ; nimirum , ut hodie dicimus , *Eugubini* . In nummo Tudertium , cuius iconiſmum profero ex Muſeo Comitum e Gherardeſca in Tabula CXCVI. num. x. penſatque unciam unam & denarios quatuor , quia Apollinem vel potius Mercurium religioſiſſime coluerunt , ſculpta eſt lyra ἀσίλις , & lupus dormiens , quem Etruſci & Sabini *Hirpo* ſeu *Irpo* dixerunt . Etruſcae litterae ƎЯƎ†V† , *Tutere* , ut diximus , *Tudertes* vel *Tudertum* indicant . Notandus etiam mos Etruſcorum , utraque in nummi parte quandoque inſcribendi urbium nomina . Iidem Tudertes , quia Dioſcuros Caſtorem & Pollucem , urbis ſuae tutelares Deos , devenerati ſunt , binas clavas , & manum expanſam , ceſto armatam , in numiſmatibus , eorumdem Deorum haud expreſſa effigie , repraeſentarunt . Iidem etiam aquilam Iovis Patris miniſtram , & copiae cornu fructibus abundans expreſſere , ut apud Dempſterum in Tabula LX. num. I.

Omnium

Digitized by Google

Omnium maxime inſigne Etruſcum pondus, librarum duarum totidemque unciarum, exſtat Arretii in locupletiſſimo Muſeo Baccio, & adfertur in Dempſteriano Opere Tabula LXI. num. I. In eo anchora, ſuperne in modum crucis efformata; utrimque etiam, quod notatu dignum, anſata exhibetur: in altera vero facie rota, cum his tribus Etruſcis litteris ꟻVИ. Pertinet dubio procul ad Nucriam urbem, de qua Stephanus: ΝΟΥΚΡΙΑ, πόλις Τυρσηνίας. *NVCRIA, urbs Tyrrheniae*. Sed ne τὸ ꟻ adverſari meae ſententiae videatur, duos ex aere Etruſcos nummos profero ex Muſeo Praeclariſſimi Viri Matthaei Aegyptii, quos mecum cum duobus ſequentibus aliiſque non paucis delineatos humaniſſime communicavit: & vide in Tabula CXCVII. num. XII. & XIII. in quibus altera parte caput Deae, ut auguror, Dianae: altera canis currens ſculptus eſt cum his litteris, quae etiam circa caput Deae in altero nummo leguntur, MVИIϘИꟻVИ. hoc eſt *Nuukrinum*: ſcriptum quoque MVИV... vel VИVM... neſcio an *municipium* ſignificet. In adverſa alterius nummi ad Nucrinos ſpectantis, viſuntur duo Caſtores equitantes. Alii duo nummi inſcripti ſunt AИIϘV. *Vrina* & VDIИA. *Vrina*. Teſtari videntur litterae, hanc Tuſcorum eſſe urbem; utrum vero in Apulia, an in Meſſapia, de qua Herodotus (1), quem Strabo & Stephanus ſecuntur, expendit, adlato eodem numiſmate, Laurentius Begerus (2): in quo tamen litteras Graecas inſcriptas eſſe cenſet, nil de Etruſcis cogitans. In praeſentia, quia ad alia propero, diligentius obſervandum viris doctis propono.

Neque tantum notas, inſignia quaedam & ſymbola Deorum in numiſmatibus expreſſerunt Etruriae populi; verum etiam Deorum capita, quod ex adlatis tum in his, tum in Dempſterianis Tabulis perſpicuum eſſe exiſtimo. In Tabula CXCVI. num. I. in aereo triente, ponderis fere unciarum trium, expreſſum eſt caput biceps barbatum, ornatum pileo umbellato ſeu umbonato. In altero, qui ſequitur num. II. eodem modo biceps caput, ſed iuvenile & imberbe, non ſecus ac quoque cernitur in altero aſſe, edito in eadem Tabula num. XI. Notabile hoc diſcrimen me monet, alia via incedendum eſſe in explicatione horum numiſmatum. Quod ſi mecum cenſebunt viri antiquitatis gnari, haec capita non poſſe tam facile referre duos ſummates vel Lucumones, praeſides aut reges, qui conſorti regimine alicui urbi imperarent, accuratius, quod propono, inveſtigabunt: videbuntque, an

Her-

(1) Lib. VII. Hiſtoriarum. Vide Strabonem Lib. IX. pag. 404. & Holſtenium.

(2) Vide ad Numiſm. Sel. Theſauri Brandemburg. Tom. I. pag. 320.

Herculis & Mercurii bifrontis imagines potius repraeſentent. Multa id valde veriſimile ſuadent: atque ea cumprimis, quod Etruſcorum exemplo, ut notat Fabrettus (1), Herculem ponderibus praeeſſe docuerunt. Id teſtantur veteres inſcriptiones HERCVLI PONDERVM ſacrae (2): ſiquidem in eius tutela fuere pondera, propter inſignem iuſtitiam & aequitatem, ab eo mirifice delectam. Id etiam adnotaram ad Inſcriptiones Donianas, quas, ſi otium eſt, vide (3). Monſtra ab Hercule ubique domita ac perdita, nil aliud quam hominum ſcelera, & publicum bonum iniquis fraudibus, everſoque iure, iuſtitia & aequitate corruptum, detecto fabularum velamine, perſpicue oſtendunt. Pileus, capitis tutamen, ei tribuitur propter itinera, quod orbem fere univerſum peragrarit. De Liguria ac Tuſcia ab eo emenſa, inſigne eſt Diodori Siculi teſtimonium (4). Accedit clava, eius virtutis inſigne: ſtipem aliqui ſunt qui credunt; inde ſtipendium, quod Veſtalibus, militibus, ac proinde emeritis dabatur. Ratis etiam, ſi quando in his antiquiſſimis ponderibus occurrat (ut in eo ibidem a me relato num. IX. quod etiam ad Herculem pertinere poteſt) ei bene convenit; quod per mare navigio vectus, ad multorum urbes adpulerit, & oppreſſos homines a fraudibus iniuſtorum regum liberarit. Ratio vero, cur bifrons ſculptus ſit, ea admodum probabilis eſſe poteſt, quod aequiſſimus utramque partem in contractibus & venditionibus reſpiceret.

Quod adtinet ad pondera, perrara quidem inter cetera, quae Mercurium bifrontem cum iiſdem inſignibus praeferre videntur, de his eadem, quae de Hercule, adfirmare poſſumus. Conſtat enim, Mercurium quoque ponderibus Romanos praefeciſſe: idque ad exemplum veterum Etruſcorum deſignaſſe: quod indicant inſcripti lapides, qui eodem modo, ut Herculi, a Magiſtris vicorum Mercurio quoque ponderum cuſtodi (5), mercimoniarum praeſidi, lucrorum Deo potenti (6), & theſaurorum auctori & conſervatori vigilantiſſimo dicati ſunt. Adfertur in Gruteri Theſauro ara votiva (7), MERCVRIO NEGOTIATORI. & apud Reineſium MERCVRIO NVNDINATORI ſacra (8). Ob id etiam marſupium, nummis refertum, ei tribuit vetuſtas. Diodori Siculi auctoritate haec confirmari poſſunt (9), qui de Mercurio haec habet:

Φασὶ

(1) Inſcript. Cap. VII. num. 375. pag. 527. & 528.
(2) Vide Fabrettum ibidem & num. 279.
(3) In Claſſe I. num. 96. & 97.
(4) Biblioth. Hiſtor. Lib. IV. pag. 358. & 359.
(5) Vide apud Fabrettum Inſcr. Cap. VI. num. 171.
(6) Inter Inſcr. Donianas Cl. I. num. 168.
(7) Pag. LV. num. I. vide.
(8) Claſſis I. num. LXXX.
(9) Biblioth. Hiſt. Lib. V. pag. 236.

Digitized by Google

Φασὶ δὲ αὐτὸν καὶ μέτρα, καὶ σταθμὰ, καί τὰ ἐκ τῆς ἐμπορίας κέρδη πρῶτον ἐπινοῆσαι, καὶ τὰ λάθρα τὰ τῶν ἄλλων σφετερίζεσθαι. *Ferunt etiam, eum menſuras & pondera atque negotiationis lucra, & aliena clam intervertendi rationem, omnium primum excogitaſſe*. Quod vero aequas in negotiationibus partes reſpiciat, vel reſpiciendas eſſe mercatores ementes vendenteſque moneat, idcirco geminus in ponderibus ſculptus eſt; quamquam etiam interdum μονοκέφαλος, Arcadico pileo alato tectus, occurrat: & cum rate in averſa parte, ad indicanda terra marique prolata commercia & negotia, ut videre eſt in Tab. CXCVII. num. VI. in perraro numiſmate aereo, quod apud me exſtat. Quod etiam ratis, vel ratis roſtrum, aſſium ſignatorum imagine Mercurii, Herculis & Deae galeatae, ſit ἐπίσημον, ſuſpicor negotiationis, commercii & mercaturae eſſe ſymbolum. Alrerum, quod ibidem ſequitur num. X. longe eſt vetuſtius, eumdemque Mercurium cum rate exhiber, exſtatque in Muſeo Comitum e Gherardeſca. Cererum etiam tricipitem Mercurium dedicavit vetuſtas, de quo Suidas (1), itemque Macrobius videndus, qui plura de eius duplici poteſtate (2).

Dum haec adnotarem, ſuſpicio oborta mihi eſt, ut reor, non omnino contemnenda, an geminum illud caput, in Tuſcorum moneta tam frequenter expreſſum, vel barbatum vel imberbe, indicare etiam poſſit Vertumnum ſeu Vortunum, quem Etruſci inter cetera, praeſertim mercaturae Deum, religioſiſſime devenerati ſunt. Romani, ut arbitror, Tuſcorum exemplo, eius ſimulacrum pluribus in locis, ubi hominum praecipue negotiatorum frequens conventus habebatur, poſuerunt, ut in vico Tuſco, in vico Thurario, iuxta baſilicas, in foris, praeſertim olitorio: quod teſtantur complures veteres auctores, quos citat Dempſterus (3). Idem fere in omnibus Italiae municipiis factum notat Acro, Horatii interpres (4). Idem Horatius ait (5):

Vertumnum Ianumque liber ſpectare videris.

Ex eodem Acrone haec libet adferre (6): *VERTVMNVS & IANVS Dii ſunt, qui praeſunt rebus ementium & vendentium: ante quorum templa erant loca, in quibus eum ceteris rebus etiam libri venales erant: per Deos autem etiam loca deſignat* (Horatius). Eiuſdem ſententiae eſt quoque Porphyrio (7): *VERTVMNVS Deus eſt vertendarum rerum,*

(1) Tom. III. pag. 303.
(2) Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.
(3) De Etrur. Reg. Lib. I. Cap. XV.
(4) Ad Lib. II. Satyr. VII.
(5) Lib. I. Epiſtol. ultim. verſ. I.
(6) Ad eumdem locum Lib. I. Epiſt. ult.
(7) In Comment. ad eumdem locum. Vide etiam, quae notat Iacobus Cruquius.

hoc eſt vendendarum & emendarum, qui in vico Thurario ſacellum habebat. IANVS quoque, ſcilicet vicus, eſt a Iano Gemino adpellatus, qui in eo arcum ſibi habet conſecratum: per quos Deos (Horatius) *ſignat loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant*. Forſitan etiam Tuſci in monetis hac de cauſa Iani & Vertumni capita ſimul coniunxere, quae facile ipſi dignoſcebant, vel quod alter dexteram, alter ſiniſtram teneret: vel ex tutulo galeroque magis minuſve ornato, vel diverſimode fabrefacto: quod haec quoque pondera, aliaque apud Dempſterum adlata, inſpicientibus, perſpicue patebit. De his coniecturis penes viros doctos liberum iudicium eſto.

Dioſcuros, Deos magnos ac potentes, Caſtorem ac Pollucem (qui Herculis quoque comites & ſocii fuere) ponderum, menſurarum nummorumque cuſtodes & praeſides Etruſci fecerunt; quare aſſes vel eorum imagine, ut videre eſt num. XI. Tab. CXCVII. capite pileato: vel inſignibus, nimirum duplici clava, & manu ceſto armata, Etruſciſque litteris inſcripti, occurrunt penes Thomam Dempſterum Tabula LX. Iuvenalis Caſtorem adpellat vigilem (1): notatque veterem conſuetudinem ei committendae credendaeque pecuniae, quod divites in eius templo facere ſolebant. Id etiam deſignat inſcriptio, litteris argenteis diſtincta, quam praefert pondus aeneum trilibre, editum a Fabretto (2) in hunc modum: III. EX A AD CASTO.

Quod vero ſupra dicebam, vetuſtiore aevo non conſueviſſe alia niſi Deorum capita ſignari in monetis, id & alia pondera, quae ad Pelaſgorum & Etruſcorum colonias pertinent, perſpicue teſtantur. In numiſmatis Hatrienſium ſive Hadrienſium exhibetur caput Neptuni, ut vides in Tabula CXCVII. num. I. item Apollinis, ni fallor, ibidem relatum num. V. Capilli, in elegantes tricas implexi, Apollinem coronant: aliudque ex iiſdem tricis ſertum ſuperne eius caput complectitur: quod coronamentum in Apolline interdum etiam occurrit, praeſertim in ſimulacris Graecorum, uti nuper ad Doniana monumenta obſervavimus (3): interim a noſtris uſurpatum, haud abs re erit adnotare.

Habes ex meo pondere, quod ſequitur num. IX. in eadem Tabula, penditque ad noſtros lances uncias quatuor, & ſcrupulos quatuordecim, expreſſa duo capita Dearum: primum videtur Opis, cui pone meſſoria falx addita eſt: alterum vero, ni fallor, Minervae; ea forſitan de cauſa in monetis ſculpta, quia agricultu-

(1) Satyr. XIV. verſ. 273.
(2) Inſcript. ant. Cap. VII. num. 374.
(3) Ad Inſcriptiones Donianas Tab. III. pag. XLIII.

Digitized by Google

culturae & artibus, quibus divitiae parantur, augenturque commercia in publicum bonum, praeeſſe credebantur. Hoc pondus ex aere apud me exſtat: inventumque aiebat in agro Cluſino Vir Nobilis Riſtorus Paolotius, qui ut eſt animo humaniſſimo, mihi dono dedit. Addita nota ᔕ, ut diximus, ſemiſſem forſitan indicat: pondus tamen ſemiſſem non aequat; nam eſt mancum, penditque uncias IV. ſcrupulos XV. Alia quoque in Muſeis, quae in Etruriae urbibus perluſtravi, exſtant pondera, quae alibi, Deo iuvante, proferam & expendam.

Ad litteras ſive epigraphen, quam praeferunt monetae adlatae tum in his Tabulis, tum in Dempſterianis, gradum facio. Conſtat igitur, Etruſcos ac Pelaſgos in his urbium ſuarum nomina conſignaſſe; declarata urbe vel integro nomine, vel unica ſyllaba, vel etiam initiali tantum, vel duabus aut tribus dumtaxat litteris, ut mox oſtendam. Integrum nomen habes in Tabula CXCVI. num. II. in aſſe, qui exſtat inter mea Cimelia, & in altero num. XI. ſcriptum ICOAVEA *Velatri*. Certum eſt indicare nomen urbis, vel etiam Etruſcos populos: incompertum tamen an *Velitras* apud Volſcos, Tuſcorum coloniam, an potius *Velitrenſes*, *Velitrinos*, antea forſitan *Velatrenſes* nuncupatos, deſignet. Memoratur ab Iſidoro *Veles*, urbs Etruſcorum [1], unde *Velites* milites dicti ſunt, & *velitares* haſtae veſteſque, quas Etruſci invenere. Videndum etiam, an *Veliates* Liguriae populos, Etruſcorum colonos, ſignificet: veriſimilius crederem *Velitrenſes*.

Alterum Etruſcum nomen, inſcriptum in aſſe Tab. CXCVI. num. X. ƎЯƎTVT, hoc eſt *Tutere*, *Tuder*, Straboni Τοῦδερ, poſterioribus *Tudertum*, inter Vetonam & Ameriam, indigitari videtur. Incolae in vetuſtis monumentis *Tudertes* vocantur. Alios aſſes eodem modo inſcriptos, ſed emblematis diverſis, vide apud Dempſterum Tabula LX. Ad Tudertes forſitan pertinet parvus aſſis, a me relatus in Tabula CXCVII. num. VII. quorum per primam ſyllabam VT. *Tu*, nomen indicatur. Aliud urbis vel populorum nomen unica priori ſyllaba indicatum occurrit in aſſe adlato in Tabula CXCVI. num. III. in quo IL ſcriptum eſt *Il*. quod etiam occurrit in tribus aliis apud Dempſterum Tabula LXI. num. II. III. & IV. etſi in III. aliquantulum prior littera diſcrepet. In his anchora & rana pro typo ſunt: at in eo, qui exſtat in Muſeo Comitum e Gherardeſca, tridens & cicada ſeu locuſta expreſſa, ut videtur. Probabile admodum eſt ſpectare ad *Ilienſes* Sardiniae populos; de quibus Plinius [2]: *Celeberrimi*

(1) Etymolog. Lib. XVIII. Cap. XVII. (2) Lib. III. Cap. VII.

mi in ea (inſula) *populorum Ilienſes*, *Balari*, *Corſi*. Pomponius Mela de eadem inſula : *In ea antiquiſſimi populorum ſunt Ilienſes*. De his plura Cluverius & Cellarius , quos vide . Sardis , teſte Feſto (1) & Plutarcho (2) , Lydorum primaria urbs : inde in haec loca Lydi migrantes , inſulae Sardiniae nomen dedere : omneſque ex his orti Etruſci in eo mari inſulas & Corſicam & Nicaeam ditione tenuere (3) . Ex his igitur numiſmatis clarius elucet Etruſcorum origo .

Quandoque etiam , ut ſupra monebam , unica littera initiali indicatum urbium vel populorum nomen , ut videre eſt apud Dempſterum in Tabula LIX. num. v. nam in altera aſſis facie rota , in altera bipennis abſque manubrio , ſexque globuli viſuntur , & littera ſive Aeolicum digamma Ǝ. quo nomen ΙqΟЯ⅃ƎƎ. *Velatri* incohatur : adeoque ad hos populos pertinere videtur .

Etruſcis rariores ſunt aerei aſſes , qui nunc primum a me in lucem dantur in Tabula CXCVII. num. I. II. III. & v. qui praeter emblemata , litteras quoque non Etruſcas , ſed Pelaſgicas HAT. praeferunt , & ad HATRIATES (ita enim vocat Varro *Atriates Tuſcos* (4) , qui atria , nobiliſſimum edificii genus , inſtituerunt , a Romanis imitatum) commutata , ut iam dictum eſt , T in D pertinere cenſentur . Priori edito num. I. alterum numiſma perſimile , ſed minoris moduli , adfert Celeberrimus Havercampus inter monetas Siculas , & P. Cl. Du Molinet in Muſeo S. Genevefae Pauperum . In eo ſcriptum eſt HATRI . Neptunus coronam , tribus radiis & gemma in medio ornatam , praefert . Noſtro aliud ſimile exſtat Venetiis in Muſeo C. V. Abbatis Honorii Arrigonii , cum eodem typo litteriſque HAT. ſed iuxta caput Neptuni deeſt nota ∨ quae in altero minori apud Havercampum , neſcio an diligenter ſit delineatum , eſt V . Haec quatuor pondera , quae adfero , Florentiae adſervata in Muſeo Gaddio , teſtantur Schedae , quas in eo inveni ; quibus etiam pro archetypis in his incidendis uſus ſum . Litterae a ſiniſtra ad dexteram eunt . Has Latini a Pelaſgis accepere ; nam , ut memorat Plinius (5) , in Latium eas adtulerunt Pelaſgi : ex quibus adparet aeternus litterarum uſus .

Ponderi a me relato in eadem Tabula CXCVII. num. v. aliud adſimile exſtat Venetiis in Muſeo Arrigonio ; ſed in eo quatuor tantum globuli , in noſtro quinque viſuntur : differt etiam H figura . Primum numiſma ſeu pondus referre cenſui caput Neptuni , quia Hatriatum ſive Hatrianorum tutelare numen Neptunus : quod

(1) Lib. XVII. quem locum Scaliger reſtituit .
(2) Problem. Rom. Cap. LIII.
(3) De Etr. Reg. Lib. III. Cap. LIV.
(4) Lib. IV. Ling. Latinae pag. mihi 39.
(5) Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. LVI.

Digitized by Google

quod etiam ex nummis inſecutis temporibus percuſſis adparet, praeſertim ex eo, qui ſervatur in Muſeo Mediceo, & deſcribitur ab Holſtenio (1). Stephanus: ΑΤΡΙΑ, *πόλις* Τυῤῥηνίας, Διομήδους *κτίσμα*. *Atria* (Hatria) *urbs Tyrrheniae, a Diomede condita*. De adpellationibus, ſitu, deque Diomede eiuſdem urbis conditore, conſulendus Cluverius in Italiae antiquae deſcriptione. Alia fuit Hatria in Piceno ſita, longe diverſa ab Hatria ditionis Venetorum, quae non ſolum Etruſcorum, verum etiam Pelaſgorum colonia fuit, ſicuti teſtantur haec numiſmata, quae circa ea loca eruta ſunt: quod accuratius oſtendet in Hiſtoria veteris Hadriae V. C. Octavius Bucchius Nobilis Hadrienſis, a quo ea, quae exſtant in Muſeo Arrigonio, delinata accepi. De hac plura etiam Dempſterus, quem vide (2). Marini pariter piſces pro rypo expreſſi, hanc indicant, frequentes in mari Hadriatico, cui haec urbs celeberrima atque opulentiſſima nomen dedit (3). Praecelluiſſe Hadrienſes artifices vaſculorum opificio, indicat vas diota inſculptum, ut in nummo v. Duo longe antiquiſſima Vaſcula, picturis inſignia, Hadriae nuper effoſſa, ſupra dedimus in Tabulis CLXV. & CLXXXVIII. in altera ludi in honorem Neptuni & Vulcani celebrati exhibentur. Neque ſilentio praetereunda eſt gallina, emblema monetae Hadrianorum, ut in eadem Tabula num. 11I. De his audiendus Plinius (4): *Eſt autem tanta fecunditas, ut aliquae & ſexagena pariant, aliquae quotidie, aliquae bis die, aliquae in tantum, ut effoetae moriantur. Hadrianis laus maxima*. De natura & fecundirate ſoli, plura etiam Stephanus & Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει.

Reliquum eſt, ut notas quaſdam, ut reor, numerales, quae in his Etruſcorum vetuſtiſſimis monetis inſculptae ſunt, nonnulla obſervem. Prior eſt obelus, ut in pondere, quod praefert talos luſorios, Tabula CXCVI. num. v. Alia habes exempla apud Dempſterum in Tabula LVI. num. 1. & 11I. Tabula LIX. num. IV. in aſſe Eugubinorum & Tudertium in Tabula LX. num. 1. Interdum duo obeli adnotantur, ut videre eſt in Tabula LVI. num. 1I. Altera nota, poſtquam obeli forſitan notari deſiere, eſt ☾, ſilenti, ut aiunt, Lunae ſimillima, ut oſtendit aſſis, a me productus in Tabula CXCVI. num. 1I. & x. nec aliter etiam apud Dempſterum; ſed notandum utrimque expreſſam ☽ ☾ in aſſe num. x. cuius rei alia exempla non ſuppeditant Tabulae Dempſterianae. Quandoque etiam e contrario ☽ ſculpta in

(1) In Stephanum pag. 9.
(2) De Etrur. Reg. Lib. IV. Cap. CXVII.
(3) L. Florus Epitom. Lib. v.
(4) Hiſtor. Nat. Lib. x. Cap. LIII.

in hunc modum occurrit. Poſt haec ἐπισημάτια, ubi eadem praetermiſſa ſunt, notantur globuli ſive orbiculi, unum, duo, tres, quatuor, quinque, atque etiam ſex. Hi procul dubio deſignare nequeunt pondus aeris; numquam enim cum unciis, quod diligenter obſervatum a me eſt, conveniunt atque concordant. Quid igitur ſignificabunt? id perdiſcere vehementer cupio: hac in re cognitu ſcituque ſatis digna, doctorum virorum iudicium ac ſententia erit mihi gratiſſima. Coniecturas meas in tanta rerum caligine non invitus proponam, quas ipſi reiicient, ſi meliores ac veriſimiliores dabunt. Mos fuit Etruſcorum antiquiſſimus, annorum ſupputationem ex clavis fixis colligere: id factum a Volſinienſibus in templo Nortiae Deae Etruſcae, memorat ex Cincio Livius (1): *Volſiniis quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiae Etruſcae Deae, comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius adfirmat*. Clavus, ille quotannis defixus, *annalis* dictus. Feſtus (2): *Clavus annalis adpellabatur, qui figebatur in parietibus ſacrarum aedium per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum*. Apud Romanos, qui hanc ab Etruſcis numerandi conſuetudinem primum accepere, penes Praetorem maximum, deinde penes Dictatorem figendi clavi munus fuit, teſte Livio (3): *Lex vetuſta eſt, priſcis litteris verbiſque ſcripta, ut qui Praetor maximus ſit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextro lateri aedis Iovis optimi maximi, ea ex parte, qua Minervae templum eſt. Eum clavum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt: eoque Minervae templo dicatam legem, quia numerus a Minerva inventus ſit*. Hinc alia deſumi poteſt cauſa, cur in monetis antiquiſſimis, ut in Tabula CXCVII. num. XI. Minervae imago ſit efficta; quia nimirum Minerva monetam & pecuniam, invento numero, quo nam modo numeranda eſſet, monſtravit. Igitur globuli ſive orbiculi illi, qui in monetis Etruſcorum & Pelaſgorum occurrunt, quum ſint clavis longe ſimillimi, facile indicant annos, quibus fuſae ſunt, vel ſi parum videtur, etiam ſecula: & fortaſſe, ut crediderim, ius conflandi monetas iiſdem urbibus conceſſum, vel id factum ob alias cauſas, memoratu dignas. Obelus ille ſingularis, vel duo, idem denotare poſſunt. Nota vero Ȼ, ſeu Ↄ, forſitan centeſimum annum deſignat. Decennium forſitan ſignificat X. quae in maximo pondere adlato in Tabula CXCVI. num. VI. occurrit; nam X. pro *decem* Pelaſgi & Etruſci inter notas numerales uſurparunt. Haec pauca in praeſenti ſufficiant.

TA-

(1) Decad. I. Lib. VII. fere in principio.
(2) Lib. III. vide etiam Scaligerum.
(3) Decad. I. Lib. VII. Vide etiam Dempſterum de Etrur. Reg. Lib. I. Cap. XV.

TABVLA CXCVIII. CXCVIIII. CC.

GEMMAE CAELATAE.
Artes & inventa inſigniora Etruſcorum obſervantur: pro coronide ARATOR ETRVSCVS.

ARtis praeſtantiſſimae ſculpendi GEMMAS, illuſtria primordia, teſte ipſa vetuſtate, totque immanibus obeliſcorum molibus & monumentis, quae ſuperſunt, Aegyptiis dubio procul debentur: Graecis vero progreſſus atque operum abſolutiſſima delineamenta adſcribenda, qui minimo in loco naturae & artis maieſtatem coarctarunt. Etruſci ſcalptores antiquiſſimi, omnium primi Aegyptios imitati ſunt; namquemadmodum illis mos fuit Scarabeos anaglypho opere inſculpere, & inferius in planitie eorum ſaepiſſime incidere imagines Numinum, quae colebant; ita hi quoque Scarabeos figuris & litteris ornare conſueverunt: quod ex his, quos nunc primum in lucem mittimus, perſpicue intelligi poteſt. Scarabeorum gemmis Aegyptii ornabant frontem, pectus & brachia Deorum ſuorum: hos quoque gerebant Deorum cultui addicti Sacerdotes: inde in praemium dati viris, optime de re publica ac bellica meritis: demum pro amuletis ab omnibus geſtati, quod adverſus fata & invidiam, virtutem maximam habere cenſerentur. Nec etiam dubito, Etruſcos, Aegyptiorum exemplo, tanquam animatam Solis effigiem, eos geſtare conſueviſſe; nam utrimque perforati ſunt, ut funiculo interiecto, vel collo, vel brachiis adligarentur.

Ad hanc diem haud magno in pretio habitum eſt hoc gemmarum genus: in poſterum maiori ſtudio conquirendos Scarabeos cenſeo; quum hi in ſerie ſculptarum gemmarum, antiquiſſimae caelaturae primum gradum ſive ordinem teneant, ac nobis exhibeant. Praeſtat enim, eximios veterum gemmarum aeſtimatores, huius artis praecellentiſſimae exordia, progreſſus, abſoluta demum paullatim per omnes perfectionis gradus delineamenta cognoſcere: demum tam felici admirandoque conatu Graecorum ſculptu-

pturas contemplari, qui adſiduo immenſoque ſtudio, aemulatione acerrima, ſculpendi artem ad ſummum pulchritudinis & gloriae faſtigium evexerunt.

Igitur quia vehementer cupio, ut in poſterum cultores antiquitatis ſedulo ſibi bonoque litterariae reipublicae conquirant huiuſmodi gemmas Etruſcas, quod & ipſemet feci, meque monente multos feciſſe video, praeſertim Marchionem Alexandrum Gregorium Capponium, veterum elegantiarum eximium aeſtimatorem, qui e ſuo Muſeo lectiſſimo multa Etruſca ectypa perhumaniter ad me miſit; itemque V. C. Franciſcum Victorium Equitem: haud abs re me facturum puto, ſi quaſdam Etruſcae ſculpturae peculiares notas proponam, queis facilius ab aliis dignoſcantur. Omnium igitur praecipua nota ea eſt, ut figurae in Scarabeis inciſae ſint; quamvis interdum etiam in gemmis, quae ut facilius in anulis aureis inſerantur, ſectae e Scarabeis, nonnullae occurrant. Adde litteras Etruſcas, quas perpaucae omnium rariſſimae praeferunt: adde opificium primum rude, deinde per varias aetates & caelaturae gradus, magno ſtudio perpolitum: adde etiam quaedam peculiaria ornamenta, ab Etruſcis uſurpata. Siquidem gemmae vel ſingulari vel duplici circulo in extrema ora ornantur. Circulus ſingularis, cancellis perparvis frequentius interſecatur: vel intercurrentibus parvis globulis, veluti unionibus continuis, diſtinguitur, ut in gemma IV. Tabula CXCVIII. & in VI. Tabula CXCVIIII. Circulus duplex itidem quibuſdam parvis lineis ſeu cancellis ita diſtinguitur, ut torquem ſeu ſtroppum referat, ut in gemma edita num. IV. Tabula CXCVIIII. quo Etruſci colla Deorum Heroumque ſaepiſſime nobilitarunt. His notis accedit ſuggeſtum, in quo ſtant figurae, Tuſcanico opificio perfectum, eo fere modo, ut in gemma I. Tab. CXCVIII. & in adlatis pateris videmus: accedit globulus & aſtrum, non raro expreſſum, ut in Tabula CXCVIIII. num. V.

In gemmis Etruſcis numquam ad hanc diem vidi inſcalpta Deorum capita, ſed integras tantum figuras. Frequentiora apoſphragiſmata, quae occurrunt, ſunt, Iupiter ſive Neptunus agitans quadrigam, qualem exhibet pictura Etruſci Vaſis apud Dempſterum in Tabula LXXIV. Minerva Gradiva & Armata: Vulcanus arma fabricans, ſedenſque, non in ſcopulo, ut paſſim, ſed in ſella curuli, quam Etruſci invenere (1): Hercules, clava & arcu armatus (2): Caſtores vel equum ducentes, vel equitantes: Centauri, clypeo & bipenni vel trunco arboris armati: Satyri Faunique ſal-

(1) V. Dempſt. de Etr. Reg. Lib. II. Cap. II. (2) Adde pharetram, ut in Dempſt. Tab. VI.

ſaltantes, tibias canentes, caudati perſonatique cum barbis prolixioribus, amphoram geſtantes ſive adtollentes, vinumque fundentes: frequentius vero exhibentur Heroes, praeſertim Homerici, Vlyſſes, Achilles, Aiax, Diomedes, ſtantes ſedenteſque, aliique Heroes ingeniculati, mortem ſibi inflicto vulnere conſciſcentes: Athletae victores cum palma: milites ad bellum proficiſcentes: Salii cum ancilibus ſaltantes: viri inequitantes, nullo freno, more antiquiſſimo, equos regentes: Hiſtriones & Mimi perſonati. Poſt haec occurrunt etiam Diis dedicata animalia, Sphinx, Gryphus, Pegaſus, Cerva ſeu Dama, Baccho conſecrata ab Etruſcis, ut diximus ad Tabulam LI. Accedunt monſtra fabuloſa, Chimaera, Cerberus, Piſtrix, Hydra, Achelous pugnans: animalia frequentius, equi, tauri, triga equorum, triga volucrum, equi bicipites, quatuor pedibus currentes, rana, tridens, ſus foeta: ludicrae etiam gemmae viros exhibent, cycno vel delphino vel tyrſoni inſidentes, aliaque his ſimilia emblemata, quae in Scarabeis obſervavi; ectypa mihi pariter ſuppeditante Philippo de Stoſch, Barone, viro praeſtantiſſimo, deque omni antiquitate optime merito. Scarabeorum ingentem numerum nuper undique conquiſivit Vir Celeberrimus Chriſtianus Gabriel Fiſcher Regiomontanus, Philoſophiae penitiorumque Naturae rerum indagator conſultiſſimus: qui, quum Florentiae moraretur ſuperiore anno, humaniſſime mecum communicavit, e quibus ectypa excepi. Scarabei, praeſertim Sardis, Achati & Iaſpidi viridi, aliiſque lapillis inſcalpti reperiuntur.

TABVLA CXCVIII. num. I. Veterum Etruſcorum inſigniores gemmae, quae a me proferuntur, ineditae omnes ſunt, priorem excipe, adlatam in Tab. CXCVIII. iam ab Auguſtinio (1), demum in Muſeo Florentino publici iuris a me factam (2). Duo Miniſtri Saliorum, de quibus plura Dionyſius Halicarnaſſeus (3), ſex ancilia conto ſuſpenſa ferunt. Haec feſtis diebus, ex Etruſcis deſumtis, apud Romanos ex Numae inſtituto, per urbem circumferebantur, a Mamurio fabrefacta ad exemplum duorum, quae caelitus dilapſa fuerant. In veſte eius miniſtri, qui primus incedit, pictus eſt equus marinus, in altero Gigas, cuius crura in ſerpentem deſinunt: alter Neptuno, alter Iovi, qui Diis adiuvantibus contra Gigantes pugnavit, ſe conſecratum indicat. Etruſca epigraphe ƎƧ⅃Я ƧY†ƎƎЯ. hoc eſt APVTVKS ALKSE. Cl. Bourguettius interpretatur: *Clipeorum oſtentatio* (4): ita ego: *Oſtenſio*

(1) Vide inter Gemmas ab Equite P. A. Maffeio illuſtratas Par. III. Tab. LXXXVI. pag. 158.

(2) Tom. II. Tab. XXIII. num. III.

(3) Antiquit. Roman. Lib. II.

(4) In Diſſertatione I. edita inter ceteras Academicorum Etruſcorum Cortonae, pag. 10.

ſive *Circumductio Saliaris* : altera vox, Graecae adſimilis, ἀπόδειξις : altera ab ἅλλομαι, *ſalio* : pluſquam perfectum ἥλμην, ἧλσο, ἧλτο, Ionice ἅλτο, deduci poteſt.

II. Haec gemma exhibet aliquem Heroem, Homeri quoque laudibus illuſtrem, dextro genu in terram collapſum; forſitan Achillem vel Achamantem vel Hectorem, ſeu mavis Memnona ſeu Eurypylum: quos vulneratos in bello ita cecidiſſe Iliaca Tabula penes Fabrettum & Begerum oſtendit. Maior ſimilitudo ſtat pro Achille ab Agenore vulnerato. Gemma eleganti artificio inſcalpta, exſtat Romae in Muſeo Capponio.

III. Faunus ebrius, recalvaſter, barbatus & capillatus: deſtra ſcyphum, ſiniſtra phialam vinariam gerit. Exſtat haec gemma vetuſtiſſima in Muſeo Victorio, Romae.

IV. Duabus figuris, in hac perinſigni gemma ſeu Scarabeo expreſſis, nomen Etruſcis litteris ſcriptum reſpondere videtur, ſedenti ƎꟼVΛV, ſtanti ƎꓘƎ+A: videtur *Vlyſſes* & *Achilles*. Vlyſſes ſedens in curuli ſella, peculiari pileo, more legatorum, ornatus, pallioque inferius velatus, iratum Achillem armatum, bella & caedes minitantem, placare ſtudet, ut ab Homero deſcribitur (1). Huius Scarabei ectypum ab amico meo optimo accepi. Eamdem gemmam luculentius illuſtrabit V. C. Abbas Andreas Adamius in Hiſtoria antiquiſſimae urbis Volſinii, quae iamdudum nobis promiſſa, nondum in lucem prodiit.

V. Primum occurrit Scarabei imago, Sardae exſciſa, quae apud me exſtat, ex dono V. C. Franciſci Ficoronii. Apoſphragiſma ſunt tres feminae, nudo corpore ſedentes in curuli ſella, quae haſtam tenent, virginum more, collectis nodo crinibus. Hae forſitan Deae Matres ſive Parcae ſunt, quas homini ſtatim in lucem edito veteres adſignarunt. Aetatis hominum ſex gradus indicant ſex viri in gyro equum agentes, quorum crura informia rotam conficiunt. Hos omnes praeit, ut arbitror, Genius, quem Tuſci aetatibus & actionibus hominum praeeſſe putarunt.

VI. Haec quoque apud me exſtat Sardonychi inſcalpta. Virum, in terram collapſum, ſibique vulnus infligentem, adgreditur Sphinx. Hoc ferale emblema, vim imperiumque Mortis ſeu Fati omnia ſibiicientis, declarat. Perſaepe in ſepulcris veterum Etruſcorum hoc fere typo ſculpti ſunt viri in terram deiecti, in quos irruunt Gryphes: quorum impetum, licet clypeo armati ſint ſeque tueantur, nequeunt tamen effugere (2).

TA-

(1) Iliadis Lib. VIIII.
(2) Vide apud Dempſterum de Etr. Reg. ad finem Lib. III. pag. 454. & Lib. IV. pag. 242.

TABVLA CXCVIIII. num. I. Sarda octagona, inſtar columellae, utrimque perforata, exſtat penes virum Praeſtantiſſimum Benedictum Breſcianium, Magni Ducis Etruriae Bibliothecarium. Haec exhibet, Etruſco opificio, ut mihi videtur, tres Bacchas ſeu Maenadas (quarta deeſt, temporis iniuria) quae ſalrantes inſiſtunt arulis: manus adtollunt vel pectori admovent, brevi tunica amictae, cum capire crebris cornibus radiato. Superne pendet pampineus encarpus. In lateribus anguſtioribus candelabra & thyrſi vittati ſculpti ſunt. Hanc pro amuleto geſtatam fuiſſe collo ſuſpenſam, vel etiam tamquam votivum donarium dicatum donatumque Bacchis, ſuſpicor. Faeſulis, Etruſcorum urbe vetuſtiſſima, inventum eſt anno CIↃ.IↃ.CC.XVIII. in qua Bacchi templum fuiſſe, & apud Faeſulanos celebrata certamina *Aſcolia*, iam ex vetuſtis monumentis obſervavi ad Inſcriptiones antiquas, quae in Etruriae Vrbibus exſtant (1).

II. III. E Muſeo Corazio prodit anulus aureus, Etruſco opificio, inſertaque in eo gemma, Achati ſapphirino inſcalpta, valde inſignis & ſingularis. Tum anuli tum gemmae, quae parvum olivae folium refert, ſchemata exhibeo. Aurum pendit ſcrupulos quindecim: paſtor quidam apud Faſcianum in agro Cortonenſi invenit. Figura, quam praefert gemma, ab eximio Etruſco ſculptore inciſa, vel Cererem vel eius Sacerdotem refert. Dextra facem, vel ſi mavis, aſpergillum tenet, ſiniſtra hamulam. Quod vero Cereris ſacerdos, & forte maxima, quae Eleuſiniis myſteriis, ut diximus, apud Tuſcos in uſu, initiabar (2), facile eſſe poſſit, e pictura perelegantis Vaſis Etruſci, quod in Dempſteriano Opere exhibetur Tabula XLVII. colligi poteſt, quae eodem cultu veſtium, iiſdemque cum ſacrificalibus inſtrumentis picta eſt. Luſtralem aquam faceſque in his ſacris adhibitas, iam ſupra adnotavimus ad Tabulas LXXVIIII. & LXXX. Anulos gemmis inſignes, tum viros tum feminas Etruſcas geſtaſſe, declarant adlatae a me imagines, quae ſepulcris ſuperpoſitae ſunt, & ſtatua ahenea Fecialis Etruſci, quae exſtat in Muſeo Mediceo. Aereis quoque ſigillis ſupellectilem obſignare ſolitos Etruſcos, docent duo ſigilla, quae vides in Tabula CXCVI. num. IV. & Tabula CXCVII. num. VIII. Exſtant in Muſeo Ornatiſſimi Equitis Ioannis Antonii de Peccis, Patricii Senenſis, patriae Hiſtoriae conſultiſſimi, qui ea mecum communicavit. Alterum ſigillum ſeu potius anulum vetuſtiſſimum, haud praetereundum cenſeo, his litteris Pelaſgicis in criptum, quae in Tabulis Eugubinis, Pelaſgorum lingua ſcriptis,

(1) Par. II. pag. 104. & ſequentibus. (2) Bonarr. ad Monum. Dempſt. §. XXXI.

occurrunt : MARTIER TIOM ISIR SVBOCAV. Has Cl. Annibal de Abbatibus Oliverius adfert ex Sanſovino (1), & interpretatur : *Mars ſit ſub tua virga paſtorali* (2): ego vero ita interpretor : *Mars tua ſit virga paſtoralis* : qua fauſta prece & acclamatione donatum auguror hunc anulum ſtrenuo militi victori ex acie redeunti, vel potius ad bellum proficiſcenti.

IV. Litterae Etruſcae ƎꓘIVA, omnino ſimiles ſunt illis exaratis in gemma IV. Tab. CXCVIIII. niſi quod pro Ǝ, ſcriptum eſt I. Indicant ſculptum eſſe Heroem *Achillem*, qui belli cupidiſſimus, ocreas dextro cruri aptat, gladio ſuſpenſo. Haec quoque gemma perinſignis eſt : eam, ex archetypa diligenter delineatam, humaniſſime mihi exhibuit V. C. Philippus de Stoſch.

V. In gemmis fabulas quoque ſculpſiſſe veteres Tuſcos artifices, ſequentes Scarabei oſtendunt. Cernitur Hercules currenti ſimilis, qui Delphicum tripodem in humeris deferens, inſequentem Apollinem retortis oculis reſpicit, clavaque ſublata, necem minitari videtur. Apollodorus narrat, pugnam Herculis cum Apolline ob tripodem raptum, Iovis fulmine diremtam fuiſſe (3). Venienti ad oraculum Delphicum Herculi Amphitruonis filio, tradit Pauſanias (4), Xenocleam Dei interpretem, reſponſum dare recuſaſſe, quod caede Iphiti erat pollutus : ideoque ſublatum e templo tripodem, Herculem aſportaſſe Pheneum Arcadiae, coepiſſeque reddere reſponſa : demum reddito tripode, quicquid volebat a Xenoclea didiciſſe. Tripodem Delphicum, quomodo Etruſci expreſſerint, ex hac rariſſima gemma, quae exſtat in Muſeo Corazio, diſcimus. Obſervanda eſt nota aſtri, de qua ſupra dicebam.

VI. Fabulam, apud Tuſcos valde celebrem, exhibet eximia gemma, quae exſtat apud Marcum Tuſcher Noricum, egregium Pictorem & Architectum : cuius delineationem idem accurate fecit, & ad me miſit. Vnum e nautis Tyrrhenis, de quibus ſupra dicebam (5), Bacchi numine circa Naxum in delphinum converſum, repraeſentat, galea clauſa, clypeo & thyrſo, ad ſpeciem fuſcinae, armatum & pugnantem. Epigraphe, litteris retrogradis ſcripta, manca eſt : neque divinare poſſum, quid ſignificet : credo militis *transformati* nomen ꟽIꓤAꓤAꟽ . . . A. *Mipapam . . . a*. Hanc transformationem egregie pingit auctor hymni in Bacchum, qui Homero ſive Orpheo tribuitur. Veriſimile arbitratur doctiſſimus Bochartus (6), Tyrrhenos ſive Tyrſenos, propter nominis vicinitatem,

(1) In Deſcript. Familiar. Italiae pag. 341.

(2) In Obſervat. ad Monumenta veterum Pelaſgorum, pag. 24.

(3) Lib. II. Cap. VI. §. II.

(4) Lib. X. in Phocicis Cap. XIII.

(5) Pag. 235. 236. Vide Ariſtidis orat. in Bacchum, & Lucianum de Saltatione.

(6) Geograph. Sac. Lib. I. Cap. XXXIII.

tem, *turſionem*, delphino ſimile animal, prorae adpixiſſe pro navis παρασήμῳ: atque id dediſſe occaſionem fabulae de Tyrſenis in delphinos ſeu turſiones converſis. Iidem Etruſci, ut vidimus, in monetis delphinum ſculpſere: ſepulcrorum quoque ferale emblema eſſe ſanxerunt: quod & Romani fecerunt, ea, ut opinor, de cauſa, quod delphinus Fati Mortiſque ſit ſymbolum: quem Athenaeus (1) vocat animal φιλανθρωπόλκτον, hominum amantiſſimum, & prudentiſſimum, quod etiam ſcit gratiam rependere.

Igitur Aegyptiorum caelatis inſcalptiſque gemmis, proxime ſuccedunt gemmae Etruſcorum, opificio ſimiles, quae ſane vel aequant, vel longe ſuperant Troiana tempora. Quamvis enim apud Homerum nuſquam exſtet anulorum mentio; certum tamen eſt, uſum eſſe vetuſtiſſimum, & apud Reges Aegyptiorum valde celebrem, quod ſacra Hebraeorum Hiſtoria perſpicue teſtatur (2). Patet etiam, Romanos, non a Graecis, quibuſcum commercium nullum antiquitus habuere, ſed ab Etruſcis accepiſſe anulorum uſum conſuetudinemque eos gerendi in digitis laevae manus: cur vero id fecerint, rationes & obſervationes, quas vide, proponit Macrobius (3) ex lectione Pontificali, ſuſpenditque iudicium, ut unuſquiſque, ut volet, vel Etruſcam vel Aegyptiacam opinionem ſequatur.

Ex his perpaucis profecto inſignioribus gemmis, anaglyphice & diaglyphice inſcalptis, perſpicuum eſt, quanta & ex aliis, quae hactenus ineditae ſunt, antiquae eruditionis ſeges colligi poſſit. Quum autem nulla harum gemmarum ſcalptoris nomen praeferat, ſuſpicari pronum eſt, neque ſculptores in aheneis ſignis, ut in adlata Chimaera & Gryphe in Tabula CLV. nomen ſuum ſcripſiſſe, quod factum in his ſuſpicatur Bonarrotius (4). Inter celebres Tuſcos Litographos, nullum praeter Mneſarchum, Pythagorae patrem, nominare poſſum: quem Ariſtoxenus Tyrrhenum fuiſſe genere memorat, ex iis Tyrrhenis, qui in Lemno, Imbro & Scyro habitarunt (5).

Superſunt artes nobiliſſimae Plaſtice, Pictura, Sculptura & Architectura, quas Graphice complectitur: neque ſilentio praetereunda Ars fuſoria, in quibus praeſtantiſſimos fuiſſe Tuſcos, & ipſa opera & veteres auctores teſtantur (6). In his illuſtrandis, quia Bonarrotius ſpartam hanc diligenter occupavit, non eſt cur aliena recoquendo, diutius lectores detineam, eorumque abutar patientia.

Non

(1) Deipnoſoph. Lib. XIII. Cap. VIII.
(2) Geneſeos Cap. XLI. verſ. 42. & alibi.
(3) Saturnal. Lib. VII. Cap. XIII.
(4) Ad Monum. add. Dempſtero pag. 93.
(5) Apud Porphyrium in vita Pythagorae.
(6) Viae Bonarrot. ad Dempſt. §. XXXVII.

Non pauca tamen obſervanda adhuc ſuperſunt, quae alibi opportunius depromam. Ex adlatis ſimulacris, ſigillis, toreumatis, vaſculis pictis, candelabris, ceteriſque in hoc MVSEO ETRVSCO editis eximiis operibus, ſatis ſuperque conſtare arbitror, Etruſcos opifices valde peritos, diligentes & εὐφαντασίωτους fuiſſe. Praetermitto vaſa aurea & argentea, in quibus caelandis excelluiſſe Tuſcos teſtantur eadem opera, teſtatur Athenaeus. Opera ex ebore rariſſima certe ſunt; non deſunt tamen, quae digna ſint litteratorum hominum conſpectu. Picturas Apelleas aliorumque pictorum celeberrimorum, hac aetate Graecia oſtentare nequit: oſtentat tamen Etruria in compluribus Muſeis, praeſertim Vaticano & Mediceo, Vaſcula ex argilla inſigniſſima, in quibus poſt tot ſecula adhuc florentes & vividi colores perennant, figurae elegantiſſimae omnium oculos admiratione & ſtupore devinciunt.

Superſunt nunc inſigniora Etruſcorum inventa; ſed in his recenſendis illuſtrandiſque, quum totus in hac nobili ſparta ſit Thomas Dempſterus, de Etruria regali differens, haud magnopere mihi laborandum eſſe video. Nos quoque non pauca in obſervationibus ad ſingula in Tabulis CC. adlata monumenta adnotavimus: praeſertim, quae ad omnem Deorum peculiarem cultum, ad arma Heroum militumque, ad inſignia, veſtes & ornamenta Pontificum, Sacerdotum, Regum Ducumque ſpectant. Quod ſi admiramur Etruſcos, fatemurque tam praeſtantes fuiſſe in arte aeris conflandi, quum primi ſtatuas intus vacuas & inanes fecerint; non ſine voluptate etiam adnotare poſſumus, eos una cum omnibus artibus in Italiam invexiſſe praeclarum inventum eas inaurandi: conſtatque & opera fictilia & marmorea ita fulgenti auro ſuperfuſo induxiſſe, ut adhuc pulcherrima exempla ſuperſint, quae quum primi ab Aegyptiis vel a Phoenicibus didiciſſent, ipſi poſtmodum, ſolerti ingenio ſcientiaque rerum naturalium pollentes, amplificarunt, aliiſque additamentis perpoliverunt.

Pro coronide huius operis in poſtrema Tabula CC. exhibetur ARATOR ETRVSCVS. Hoc perrarum ſymplegma, olim Arretii inventum, nunc exſtat in Muſeo Collegii Romani Societatis Ieſu, tranſlatum e Muſeo Cl. Ficoronii, qui peraccurate delineatum ad me humaniſſime miſit. Ex hac parte proſpectus totius ſymplegmatis deſumendus eſt, unde motus initium habet; unde etiam aurigae in ludis Circenſibus, iidemque aratores in arvis, ut hodie fit, deſumebant & auſpicabantur. Tuſco more, iugo ſimul iuncti boves, dextra taurus, laeva vacca. Quae fuerit Etruſci aratri & ſtivae forma, ex hoc ſchemate cognoſcimus.


In

